AGUSTINOS

Expositio B. Humberti V. Generalis Magistri Sacri Ordinis Praedicatòrum super Regulam B. Augustini Episcopi... -- Vallis-Olet : Typis Dat. in Bonae Mortis Typogr., 1752

[24], 658 [i.e. 608], 73 [i.e. 63] p., *8, 2*4, A-Z8, 2A-2P8, @-4@8 ; 8°

Port. con orla tip. -- Errores de pág., de p. 528 pasa a 579 en el cuaderno de 658 p. y de p. 49 pasa a 60 en el de 73 p.

1. Agustinos-Reglas, constituciones, etc. 2. Agustindarrak-Erregeiak, konstituzioak, etab. I. Romans, Humbert de II. Titulo


R-5132 Enc. perg. -- Ex-libris autogr. en port.

EXPOSITIO
B. HUMBERTI

V. GENERALIS MAGISTRI SACRI Ordinis Prædicatorum ſuper Regulam B. Auguſtini Epiſcopi, cum Epiſtola ejuſdem in tria eſſentialia Religionis vota: necnon Tractu vitæ ſpiritualis S. Vincentij Ferrerij: ad eorum inſtructionem, qui mundo nuntium remittentes, Chriſto ſub tali Regulâ èligũt militare, quàm maximè neceſaria.

SANCTO LUDOVICO BERTRANDO optimo Novitiorum Magiſtro digniſsimè conſecrata.

Quòvirgâ, ac urèdine eòrũ crìmina plectens:
Omnibus eſt datus exemplar, ſic norma Mag.



Annô 1752.

Vallis-Olet. typis dat. in Bonæ Mortis Typogr.

COLENDISSIMIS IN CHRISTO Patribus, ac in eô impensè dilectis Fratribus, sub Regulâ Magni P. nostri Augustini Deo militantibus.

S. P.

PERICULI res plena pretiôsitas. Id ei semper imminere dignoscitur, ut, cùm avidiùs quæritur, in venta citiùs depereat, & absumatur. Summô in pretiô habita sunt ubique egregia super Regulam Mag. Ecclesiæ Doctoris D. Augustini commentaria à venerabili Humbertô de Romanis V. Ordinis Prædicatorum Generali Magistrô amplissimâ venustate, lectissimâque eruditione edita: Unde nihil gratius, nihil delectabilius ejusdem Professoribus, ac omnibus rerum æquis æstimatoribus, quàm ea nocturnâ versare manu, & diurnâ: evênit hoc inde dolendum, ut, & si pluries facta juris publici fuerint exemplaria: in aliquô eorum invenien-dô cassa languescceret vel acutior diligentia. Ut primùm igitur superiorum jussu laborioſum, appri-

mè que regularis observantiæ incremento necessarium munus informandi in sacrâ militiâ júvenes subij: ea mihi fuit præcipua cura, ut laudata perquirerem Commentaria: vix enim, ac nè vix quidem potest ullus, ut animabus Christo lucrandis inserviat, propriam ordinare, & instituere vitam, quin frequentissimè evolvat, circunspiciat, & meditetur dirigentem regulam. Præclarissima fuit Platonis sententia: non tantùm nobis natos nos esse; sed bonam, post Deum maximum, cujus obsequio adscriptos nos in ipsô fœliciter gloriamur, virtq nostræ partem sibi proximum vendicare, Patres optimi, & Charissimi Fratres, quos maximè respicit Platònicum memorabile dictum. Non sum fraudatus, quô inquirendô ardebam, desideriô; sed Deô optimô, cui summôpere gratum ministerium nostrum, meliora præstante, datum est ea invenire, quod mihi optatissimum.

Unusquisque pugnator (inquit Ang. noster D. 2. cor. c. 10. lect. 1.) *habet arma accòmmoda militiæ, & pugnæ suæ :::: Arma eorum, qui pugnant secundùm carnem, seu militant, sunt divitiæ, voluptates, honores, potentiæ mundanæ, & temporales.* In agone contèndimus: necesse ergò est, ut solemnibus votis adstricti ab illis omnibus abstineamus. Abjectionem hujusmodi facillimè edocebitur, quicunquè invigilaverit regulæ commentarijs. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt*

sunt ; sed potentia Deo ad destructionem munitionum , consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei (2. cor. 10. v. 4. & 5.) ut præmonitos optat Apostolus Paulus. Potentium igitur armorum expeditiorem ediscet bonus Christi miles , & obtinebit usum, si animo imbibat, quæ traddit , instituta , tantus Pater ad nova , quæ elegit Dominus , bella doctissimus. His , nè quid deesset tyronibus ad culturam , & instructionem , provectioribus ad certamen , accensendum putavi pulcherrimum S. Vincentij Ferrerij exercitatissimi in cœlesti militiâ ducis, *De vitâ spirituali tractatum.* Ut tantò ditarem vos Thesaurò , ingentia Sacrorum ordinum ornamenta, libentissimè impendi , ac expendi vel usibus proprijs necessaria: eò ergò fruimini:Sacratissima sedulâ perpendite documenta, altâque repònite mente ; non eâ, ut criminatores, quod perditissimorum est , maligni, tùmidi vè aliorum superstitiosi contemptores efficiàmini ; sed ut factores legis justificèmini. Non adesse festinant modò; sed instant etiam tèmpora periculosa: nequissimus humani generis hostis sœvissimè debacchatur in electa servatoris nostri membra: non sumptibus non labori peperci , quò vobis omnem fortium pararem armaturam:Accingimini igitur filij potẽtes: Arrìpite scutum règulæ , nulli tegmen penetrabile tello: ancìpites tenete , circunducite gla-

dios, utrâque manu pro dexterâ utentes, quibus resecetis vitia, quibus conglomerata profligetis, prosternatis que inimicorũ agmina: Imitatores esto te Patris N. Dominici, qui *mundum calcans sub pedibus, manum misit ad fortia, nudus occurens hostibus, Christi sufflatus gratiâ.* In hym. Lętantes prędiate prælia Domini cum Machabæô, ut vobis emèritis inditum obumbret in Siòn nomen Israël: fraternitatem diligite, ea, quę pacis sunt, sectantes invicem, & Deus pacis, cùm in pace factus sit locus ejus, erit vobiscum. Valete tandem Patres optimi, dilectissimi Fratres, meque orationibus vestris Commendatum habeatis, demissimè quęso: è S. Pauli Vallis-Oletanô Conventu die septimâ Maij Coronę Domini Sacrâ annô 1752.

Obsequio vestro ex totô corde devinctus

Fr. Franciscus Conde,
Magister Novitiòrum.

LICENCIA DE N. M. R. P. PROVINCIAL.

EL MAESTRO FRAY EUGENIO BASUALdo, Predicadòr de su Magestad, y Prior Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores: por la presente, y authoridad de mi Oficio, doy licencia al *R. P. Fr. Francisco Conde, Maestro de Novicios de nuestro Convento*

de

de San Pablo de Valladolid, para que pueda reimprimir la Exposicion de la Regla de N. P. San Agustin, *por el V. Humberto*: precediendo la censùra, y aprobacion de los MM. RR. PP. Maestros Fray Pedro Monedèro, Ex-provincial de esta nuestra Provincia, y Prior actual de nuestro Convento de San Pablo de Valladolid: y Fray Joseph Escudèro Alvaràdo, Calificador del Santo Oficio de la Inquisicion, y Cathedràtico de Santo Thomàs en la Universidad de Valladolid, à quienes comèto su aprobacion, y guardando en todo lo dispuesto por los Sagrados Canones, y pragmàticas de estos Reynos, à cerca de la Impression de libros. En fee de lo qual, di la presente, firmada de nuestro nombre, y sellada con el sello menor de nuestro oficio, y refrendada de nuestro Compañero, y Secretario, en nuestro Convento de Santo Domingo de Ocàña, y Diciembre 18. de 1751.

Fr. Eugenio de Basuàldo,
Prior Provincial.

Por mandado de su P. M. R.

Fr. Juan Perez,
Mro. Comp. y Secret.

EXA-

EXAMEN OPERIS, ET JUDICIUM latum â R. A. P. N. Fr. Petrô Monedéro in Sacrâ Theologiâ Magistrô, Ex-Provinciali hujus Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, & Priore Conventûs S. Pauli Vallis-Oletani: & à R. A. P. Fr. Josephô Escudéro, Alvaràdo in eâdem sacrâ facultate Magistrô, atque Doctore Primariô Cáthedræ D. Thomæ in Universitate Vallis-Oletanâ Moderatóre, Examinatóre Synodali, & sacro Fidei Senatui à censuris, &c.

PAratissimos nos invènit injunctum à R. A. P. N. Fr. Eugeniô de Basuáldo Sacræ Theologiæ Magistrô, Provinciali laudatæ Provinciæ, Regiô contionatore, munus, Haud secrèvimus àb obsequiô imperium legendi, ac examinandi diligentiâ summâ egregia, omnique cultiori eruditione præclara super Règulam Mag. N. P. Augistini Commentaria edita à Sanctæ memoriæ Venerabili, ac Reverendissimô Patre Humbertô de Romanis V. totius Ordinis Prædicatòrum Magistrô Generali,

li, quæ ſtudiô, operâ, & curâ R. P. Lectoris Fr. Franciſci Cônde hujus noſtri graviſsimi Conventûs Novitiorum Magiſtri, noviſsimè in lucem prôdeunt. Rem certè magnam, atque eximiè commendàbilem facit prænominàtus Pater omnibus Monàſticæ vitæ profeſsòribus, dignus proindè, qui laudetur ab univerſis tanti Parentis fortunatiſsimis filijs, quibus notiſsimus ipſius zelus plurimum adiutorij, & lùminis confert, ut de virtute in virtutem cüntes, rectiſsimâ, unà cum commentarijs, règulâ Apoſtolicæ vitæ ob oculos aſsiduè obverſante, creſcant proficientes uſque in perfectum diem. Quicunquè in eâ obſervandâ ſeſe fidelem exhibùerit, fidem noſtram in promiſsis liberam deprehendet: quia, *qui amant, & ſequuntur, viam tenent regiam atque ejuſdem Sanctô ductu redeunt ad Patriam*, ut firmat columna veritatis Eccleſia.

Hanc à ſupræmâ Petri ſede, optione datâ, cœteras inter eminentem, quia à magnô Eccleſiæ luminari Doctore, atque Parente Auguſtinô, Sanctitate morum, Divini eloquij, ſapientiæ fœcunditate, ac paſtorali honore præſtantiſsimô, Apoſtolicis viris formandis conformatam, ſelègit ſtrenuus, impiger ſacri belli dux, Prædicatorum Ordinis Inſtitùtor, & gubernator, animarum ſalutis ſitientiſsimus, Cherùbicus Pater noſter Domini-

cus

cus, eamque Filijs proposuit, ut secundùm ipsius instituta sanctissima agentes, in quod vocabantur, explèrent, implerent que Apostolicum ministerium, ubèrrimos reddentes Deo verbi è semine fructus. Lux, sicut externô commendatòre, ita commentatòre non eget; at, cùm pluribus importàbilis, temperatorem requirit. Splendidissima règula; verùm quędam, cùm sublimitate elevatioris acùminis, tum propriâ earum brevitate, queis Divinum Magni Parentis ingenium plaùditur, in eâ occurrebant dubia satis implexa, haud levem inferentia legentibus umbram, quam, ut dispèlleret, mira venerandus Magister Humbertus adornavit, aptavit que commentaria. Opus reverâ ornatissimô stilô, utilissimâ, jucundâ que sententiarum amœnitate confectum, eò que omnibus vitæ regulæ is candidàtis avidiùs desideratum, quò rarius, & antiquius. Suspiciunt, versant, mirantur, & laudant novi, & vèteres probatissimi viri, quod nobis denuò committitur censorium subiturum examen; sed ingenuè sèptuplum probatum dicimus quod tanti Patris commendat venerabile nomen, quô pariter honoratur pulchra trium essentialium Religionis votorum expositio. Cùm totus in hiaret Fratrum utilitati, & profectui, ac statui Religionis promovendo, & ordinando, plura alia elucubravit digna èquidem tantô virô, in quibus est

acu-

acuratiſsima Officialium ordinis inſtructio. Adeò in eâ à ſummô ad infimum uſque cuncta diſtinctè, & expeditè pertractat, ut nec minimum quid pertinentium ad rei familiaris curam prætereat. Nullus non mirabitur virum Supremo Clavo Religionis ad mòtum, altioribus reginiinis Curis intentum, minutiora cujuſvis, vel humilioris officij expendentem, ut omnium peritiſsimum. Probè nòverat venerabilis Humbertus, quòd, cùm in unô còrpore ſint multa membra, & non omnia eundem actum habeant, vegètum robuſtum conſiſtere nequiret, quin unicuique proprium, certos que limites, quos non præter grederetur, in aliud ſubmúrmurans, deſignaret, ſed pro invicem omnia ſolicita ſervare unitatem ſpiritùs in vinculô pacis ſibi prefixô vigilanter incùmberent, ut Angelicus noſter Magiſter cum Apoſtolô docet, & luculentiſsimè oſtendit 2. 2ę. q. 183. art. 2. 3. & 4. Unde ſi, prout ipſe præſcribit, omnis inſtitueretur, ac regeretur domus, conſpicuâ firmitate dignitas, & pulchritudo ejuſdem propter ordines miniſtrantium commendàta vigèret: nihil que in eâ indecòrum, nihil inordinatum, & inofficioſum, inurbanum nihil, vel malignitſimus invidiator inveniret: nullumque inſufficientiâ temporaliũ detrimentum ſubiret; ſed in dies incrementum càperet, ut in pluribus ſic conſtabilitis videmus miran-

tes,

tes, non invidentes. Per laudatam instructionem consultum abundantissimè, & quidem, dubiô procul, bono temporali rei æconomicę callentissimus V. Pater censuit: simul que spirituali per Apostolicę regulę ornatissima commentaria cumulatissimè providit, atque exemplô, aliorum Sacrorum Ordinum professores ad id prestandum accendit, ut Rmùs. P. Nigronius Clarissimæ Societatis alumnus, omissis alijs, exuberanti purioris doctrinæ, omnigenę que sacræ eruditionis copiâ præstitit.

Per hęc haud satis pio, quô fervet, desiderio factum credidit R. Pater erudiendę hujus florentissimæ domûs juventùti prefectus: ideoque adjunctum voluit *Tractatum de vitâ spirituali* ab Apostolô Valentinô, Evangelij tubâ, opere, & sermone potenti, Divô Vincentiô Ferreriô, ex SS. PP. dictis compactum: cujus mònitis, si vitam compônere studuerimus, copiosis cœlestium donorum fructibus collectis, fructificantes in populis, salùtem animarum mirificè promovèbimus, quò totum collineat nostrę Religionis sacratum institutum. Cuncta ergô in hôc volùmine contenta sanæ doctrinę congrua, moribus ordinis utilia judicantus: & *Quicunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei* (Galat. 6. v. 16.) cum Apostolô

in

in eâdem permanentes confidimus. Ita ſentientes abſque judicij rectioris prejudiciô. Dabàmus in hôc Apoſtoli Gentium D. Pauli Vallif-Oletanô Conventu die 7. Martij annô Domini 1752.

Fr. Petrus Monedèro
M. & Prior.

Fr. Joſephus Eſcudèro
Alvarádo M.

DOn Joſeph Manuel de Villèna, Cavallèro del Orden de Calatràva, Marquès de Gàuna, del Conſejo de ſu Mageſtàd, ſu Oìdor en eſta ſu Real Audiencia, y Chancilleria, Juez de Imprentas, por comiſsion del Real Acuerdo de ella: por la preſente doy licencia, paraque ſepueda reimprimir, y reimprima por el Padre Fr. Franciſco Conde, Maeſtro de Novicios en el Convento de San Pablo de eſta Ciudad, el Libro intitulàdo: *Expoſitio B. Humberti Burgundij, Generalis V. Magiſtri Ordinis Prædicatòrum, ſuper regulam D. Auguſtini Epiſcopi, ac tria vota ſubſtantialia Religionis*, impreſſa en Como año de mil ſeiſcientos y dos: y adjunto à eſte un tratado de la Vida, è inſtruccion Eſpirituàl, compueſto por S. Vicente Ferrer, impreſ-

preſſo en Venecia el año de mil ſetecientos y onze. Atento, que de mi orden hà ſido reconocido por el R. P. Fr. Manuel de Vega, Lector de Prima de Sagrada Theologia en ſu Real Convento de Franciſcos Oſervantes de eſta dicha Ciudad, y no contiene coſa, que ſe oponga à las buenas coſtumbres, y regalìas de ſu Mageſtad, y para que conſte de eſte permiſo, ſe refrendarà por el infraeſcripto ſu Secretario, y del mencionado Real Acuerdo, y pondrà en el principio de cada exemplar el tanto impreſſo. Valladolid, y Enero ocho de mil ſetecientos y cinquenta y dos años.

Don Joſeph Manuel de Villéna.

Don Domingo Rojo Salgado.

PA-

PATRIS FRATRIS EMMAMUELIS à Vega Sacræ Theologiæ primarij Lectoris in Regali S. P. N. Franciſci Conventu Vallif-Oleti, judicium.

JUſſu D. D. Joſephi Manuel de Villena Equitis Ordinis Calatrabenſis, Marchiònis de Gauna, Regis à Conſilijs, Auditoris regàlis Chancellariæ hujus Civitatis, majori, quâ potui diligentiâ, oculis, & animô perlègi expoſitionem B. Humberti Burgundij Generalîs V. Magiſtri Ordinis Prædicatorum ſuper regulam. D. Auguſtini, ac tria vota ſubſtantialia, Comi impreſſam annô 1602. quam iterum typis mandare cupit R. P. Fr. Franciſcus Conde Novitiorum Magiſter in celeberrimô, ac Obſervantiſsimô Conventu D. Pauli Vallif-Oleti, nomine Novitiatûs ejuſdem, unà cum tractatu vitæ, & inſtructionis ſpiritualis S. Vicentij Ferrerij ejuſdem Ordinis inclyti alumni, jam antea impreſſô Venetijs annô domini 1711. Et, licèt quàm primùm vidi, omninò immunes ab omni nævô ex tantis Athoribus judicàverim; nihilòminus, potiùs diſcendi, quàm notandi causâ diligentiùs vidij, nihil que niſi laude dignum. Ita ut de quôlibet dici poſsit, quod in ſimili D. Ambr. pròtulit: *plus in eô eſt, quod prò letur aſpectu, quàm quod ſermonibus laudari poſsit: ſuô enim*

utitur

utitur teſtimoniô; *non alienô*. Exam.lib. 1.cap. 9. Neque omitendum, quod ſimiliter Caſiodòrus ajebat: *Neque enim fieri pòterat, ut quem tantus Author, familia que tanta* (una pro omnibus) *produxerat, ſententia noſtra* (parum hoc; neque ullus) *in eô aliquid corrigendum inveniret*. Quin potiùs dicere debeo illud ſapientię 7. v. 14. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quô, qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitię Dei propter diſciplinę dona Commendati*. Sic; nec aliter cenſendum judico, cùm nihil devium à fide, nihil bonis moribus alienum, nihil que Regijs Sanctionibus, neque in àpice, contrarium contineat: quin potiùs omnia neceſſaria, & per utilia ad ſolidè fundandam, mirificè augendam, glorioseque conſummandam regularem diſciplinam, præſertim omnibus, qui ſub tali regulâ Chriſto militant. Quapropter omni jure facultatem concedendam eſſe cenſeo, ut reimprimatur. Utinam etiam in tabulis cordis omnium! Ex hôc S. P. N. Franciſci Regali Conventu Valliſ-Oleti die 5. Januarij annô Domini 1752.

Fr. Emmànuel à Vega.

Ver-

VERSUM IN PRINCIPIJS ANSELMI PONERE DUXI:

Quòd, semitam regulæ, calcar, currentibus, addet.

Quid deceat mònachum, vel qualis debeat esse,
Qui jubet, ut dicam, pòrrigat ipse manum.
Non tonsura facit mònachum, non hòrrida vestis:
Sed virtus ànimi, perpetuus que rigor.
Mens hùmilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque sobrietas, hæc faciunt mònachum.
Hæc vos in cœlum mònachi quadriga levabit:
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
Nil tonsùra juvat, juvat aut vilissima vestis:
Si lupus es, quamvis esse vidèris ovis.
Nam falli possunt homines; sed fàllere Christum,
Qui nullum fallit, nemo potest hòminum.
Ille quidem succum simulàtæ religionis
Damnat, & in rèprobis mòribus esse nequit.
Vovistis fratres? vovistis? vestra rogàmus
Vivite soliciti rèddere vota Deo.
In Majestatem Divinam peccat abundè,
Quisquis, quæ non vult, rèddere vota vovit
Vovistis Dòmino vestros convèrtere mores:
Jam non peccetis, sit modus, & vitijs.
Nunc hùmilis vivat, qui vixerat ante superbus:
Sit castus quisquis luxuriosus erat.

**

Quæ-

Quærèbat cènſus aliquis? Captàbat honòres?
Huic jam vileſcant cenſus, honoſque ſibi.
Gaudèbat dàpibus? gaudèbat dìvite menſa?
Nunc tenuem victum ſobria cœna dabit.
Ille ſuis lætus ſucceſsibus eſſe ſolebat:
Nunc làchrymis culpas diluat ipſe ſuas.
Oſtrô conſpicuus, gemmis inſignis, & aurô:
Veſte modò vili ſquàlida membra tegat.
Verboſus taceat, miteſcat fèrvidus irâ:
Invidus invidiæ dira venèna vomat.
Cuique prius cædes placuit, placúere rapinæ:
Nunc pius, & mitis pacis amàtor erit.
Quiſquis adulantum ventosâ laude tumèbat:
Nunc hóminum laudes æſtimet eſſe nihil.
Et, qui ſponte malus, gratis que nocère ſolebat:
Nunc etiam læſus, útilis eſſe velit.
Ad lites fàcilis fuit, hic ad jurgia præceps:
Fòrtitèr alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat.
Omnia robuſtô corde moleſta ferat.
Pax, ànimique quies inter convitia duret:
Nam fortem rerum nulla procella movet.
Hæc, veniam, fratres, converſio vera merètur:
Hęc, valet offenſum flèctere, vita, Deum.
Funeſtũ mònacho eſt quidquid malè ſúggerit hoſtis:
Et conátur eum fállere mille modis.
Eſſe Deum credat præſentem ſemper ubìque:
Nec ſe, ſi peccet, poſſe latère putet.

Cunc-

Cuncta ſcit, atqué videt, nec quidquã præterit illũ:
Omnia ſunt òculis nuda, & aperta ſuis.
Cùm quid turpe facit, quod, me ſpectante, rubèret:
Cur, ſpectante Deô, non magis ipſe rubet?
Si patriæ judex ſciret ſua facta, timéret:
Si Dòminus rerum, cur nihil ergó timet?
Sed tacet, & differt, & nondum crimina punit:
Puniet, & mèritis àrbiter æquus erit.
Propòſitum vitæ mònachi ſervate rigòrem:
Nec pigeat parvô tèmpore parva pati.
Exiguus labor eſt; ſed merces magna labóris:
Præterit ille citò: præmia fine carent.
Ergó Deô melius, ſi nil cognòſcitis eſſe:
Immò ſi ſummum crèditis eſſe bonum:
Contemptis mundi rebus labentibus iſtis:
Jam ſitit in ſolô gaudia veſtra Deô.
Et mihi, quæ poſſunt amitti, nulla videntur:
Nec longum, quidquid dèſinit eſſe, reor.
Nam quid honor? quid opes? quid gloria? quid vè juventus?
Forma, genus, vires, fœmina, veſtis, ager?
Magna potentia, multa ſcientia, falſa voluptas?
Vita quid, & noſtra còrporis iſta ſalus?
Nõ amo, quod peſtis, quod fur, quod fùbripithoſtis:
Et quæ ſi parcant, àſpera mors àdimit.
Quis pòterit fari, quis loqui, quis meditari:
Quæ dabis in cœlis præmia, Chriſte, tuis?
Quiſquis ad hæc igitur paradiſi gaudia tendis:

Sèdulus angustam nunc age, disce viam.
Nè laxes vitijs angustæ mentis habènas:
Divini semper fræna timóris habe.
Expecta Dòminum, formìda júdicis iram:
Et, quod promittit rex tibi, miles ama.
Pàrvulus esto vide, mentis depóne tumórem:
Porta Dei nullum, qui tumet, arcta capit.
Summa quidem virtus mònachi parère Priòri:
Ferre jugum normæ, sequé negàre sibi:
Quidquid præcipiet, mox, & sine múrmure serva:
Peccatum solúm dedecuisse puta.
Non vilis vestis, non te locus últimus angat:
Sæpé tui, stultos, òrdinis ista movent.
Sed, si nos sanè sapimus, si vera fatèmur:
Aggrèditur virtus ardua, dura probat.
Qui sibi vilescit, qui se nihil æstimat esse:
Et timet, & munai làti illi alta fugit:
Hic est, & sapiens, & cœlo pròximus: iste
Non sine re mónachi nomen inane gerit.
Si vult ditari, varios sequar ille honòres:
Induit occultum pellis ovìna lupum.
Sed, qui cuncta videt, mundi pius àrbiter, ille
Nos it oves, tàcitos novit, & ipse lupos.
Hæc ergò mònachus labijs, & corde frequentet:
Te mihi, te solúm da Deus, & satìs est.
O certé fœlix possessio! quæque beatum
Sola facit: miserum cætera pondus habent.

Cu-

Cura quidem grandis, Lector, nec posita satis:
At facies satis, quę patent menda delendo.

Pag.	lin.	erratum----	correctio.
2.	15.	tradeiunt.	traddiderunt.
7.	1.	eiſt.	eſt.
7.	16.	eu.	ut.
16.	12.	,obſerveris.	obſervetis.
16.	21.	hobitetis.	habitetis.
31.	1.	*cui.*	*cuique.*
41.	21.	me.	mel.
66.	21.	uniquique.	unicuique.
98.	3.	reverentes.	revertentes.
98.	5.	ſepariri.	ſeparari.
108.	8.	ſicur.	ſit.
114.	14.	ſonandis.	ſanandis.
121.	18.	religionē:::odibis.	religione:::odibilis.
128.	11.	duris.	duri.
128.	14.	ſubitos.	ſubditos.
132.	28.	res.	rex.
152.	11.	itē.	item.
164.	26.	ſeeum.	ſecum.
286.	25.	nē.	non.
288.	17.	ab.	ad.
328.	13.	vendō.	vendendō.
329.	17.	fungiunt.	fugiunt.
339.	11.	dolum.	dolium.

448.	4.	Videt.	Vidit.
448	13.	occapationibus.	occupationibus.
450.	5.	debent.	debet.
599.	19.	periti.	perit.
696.	7.	ſi.	ſic.

Pòſita còrrige menda, & primô eſt còdice concors.

Paginâ 266. l. 21. ni fallor, littera trunca eſt: deſideratur enim: *aut tales, qui pròderunt, & non òberunt*: ut ex contextu liquet: & quidem.

Ulla loca invenies manca; at mihi parcito Lector:
Nam tribus hauſtis fontibus, bis ea cònſona vidi.

Siquodnam eſt opus vis ſcire, ut ab ungue Leonẽ:
Hos, oculis luſtra cum pausâ, càndide, verſus.

Humberti quicunque cupis monimenta Magiſtri
Tu fusô hic ſtrictim carmine preſſa leges:
Aſtri feri ſi valla petas, te hæc norma tyronem
Diriget, ut regulæ dògmata in arte rudes.
Tartareos vitare dolos, compeſcere luxus,
Auri que ardentem pellere corde famem:
Mente in hiare ſacris, Hèrebi ſuperare penates
Ed ocet, & primo ſubdere colla Patri.

Ab-

Abdicat iſta viros mundô, cœlo que maritat,
Allicit iſta animos, acceleratque Deo.
Hâc duce opes Creſi ſpernis, nec tòllerîs ullô
Faſtu, nil rètinens dìceris eſſe Bias.
Iſta rheda eſt pernix, vehit alta ad cœlica tempe,
Quem terra optaſti, iu potiére polis.
Edocet, addùcit, frænat, compellit, & arcet,
Allicit, & vitat, ſubdit, amore jubet.
Abdicat, accelerat, libat, diſpergit, & optat,
Nil ambit, ſpernit, nil rètinet que ſibi:
Cœlo in hiare docet, terret, ſolatur, ad auget:
Evehit ad ſùperos, inglòmerat que Deo.
Hanc ſèquere ergò, bonâ, & Chriſti redolebis odore:
Ut rèdolet fragrans cœſpite nata roſa.
Præſta quod dictat, numenque litabis honore,
Tu mactâs vas, thus, victima, & ara Phani.

EX-

EXPOSITIO
B. HUMBERTI
SUPER REGULAM
B. AUGUSTINI.

CAPITULUM PRIMUM.



IRIS Religiosis non mòdicum expedit, ut clarè intelligant totam sententiam Règulæ, sub quâ vivunt, ut sciant ad quid tenentur ex obligatione professionè contractâ. Expedit etiam, ut advertant, quæ rationabiliter sunt in eâ tràdita, ut ex his majorem habeant devotiònem ad illam. Insuper quoniam multum prodest eis, ut considerent utilitàtem eòrum, quæ continentur in eâ, ut libentiùs ea observent. ¶ Proinde, cùm Regula Beati Augustini contineat quædam obscùra, & quædam valde rationabiliter ordinata, quæ multi non solent advèrtere, quoniam multa etiam eorum, quæ continentur in eâ, immò fere omnia sint perutilia, exposi-

tio sequens declarat ipsius dubia: elucidat rationem eorum, quæ ibi sunt tradita. Ostendit, quàm utilia contineantur in ipsâ: ut degentes sub illâ, & maximè fratres Prædicatores, qui sub ipsâ vivere elegèrunt, & sciant ad quid obligantur ex illâ, & ad scita devotionem habeant, & ex devotione hujusmodi diligentiùs observent, quæ continentur in eâ, opitulante gratiâ Jesu Christi.

COMMENDATIO REGULÆ BEATI Augustini. Cap. II.

INter multas, & varias Regulas, sub quibus Religiosi diversi militant in Ecclesiâ: Quædam sunt, quas tradiderunt viri, qui Catalogo Sanctorum non ascribuntur: Aliæ sunt, quas sancti quidam tradèrunt; sed tales, qui non fuèrunt eminentes in sapientiâ: Aliæ verò, quas (& si sancti, vel perfecti in sapientiâ tradidèrunt) tamen non fuerunt multæ auctoritatis. Certum est autem, quòd sanctitas in animâ viri, plus interdū valet ad proferendum salutares sententias, quàm sapientia. Interdum autem simplicitas, licèt sancta, si per sapientiam non dirigatur, minus laudabiliter profert sententiam; sententia verò prolata à sanctitate, & sapientiâ, quibus de est auctoritas, minus acceptatur. ¶ Quantâ ergo, & quali acceptione digna est regula, quæ à viro sanctissimo, sapientissimo, eximiæ auctoritatis beato S. Augustino, tradita reperitur? Præterea, in principio, cum oriri cœperunt religio

nes in Ecclesiâ Dei, fuerunt duo gènera religiosorũ, .s. Anachoritæ, sivè Solitarij, & Cœnobitę, scilicet in congregatione viventes. Post tempus multum beatus Benedictus, cujus regula est in grandi auctoritate in Ecclesiâ Dei, composuit règulam ad exẽplar vitę Cœnobitarum priorum. Beatus verò August. suam formavit ad exemplar vitæ Apostolicæ. Quis autem dùbitet, vitam Apostolicam vitæ cunctorũ viventium prę ferendam ? Antiquitas etiam multũ confert ad laudẽ scripturarum, quia quantò antiquior, & quantò per plurium legentium examen transiens, nec passa calumniam, tantò judiciô plurium approbatur. Cùm ergo regula beati Augustini, non solùm modernas regulas; sed etiam regulam beati Benedicti, multis annis præcesserit, & per tot virorum illustrium, & conciliorum iudicia transierit : quis audeat eam àmodò calumniari ? Præterea multæ sunt regulę, quæ impònunt multas observantias corporales: Regula verò beati Augustini consistit circa spirituales actiones; ut sunt dilectio Dei, & proximi, unitas cordium, concordia morum, & similia : Quis autem nescíat exercitia spiritualia præcèllere exercitationibus corporalibus, sicut spiritus præèminet corpori, & lex spiritualis lègi carnali? ¶ Nota, quòd religionis status est degentium in se, vel in Deô, & requiruntur in eâ quædam pertinentia ad statum congregatorum, circa quem tradit mandata octo. Primum propter

quod &c. Item est status agentium pœnitentiam, ideò dicit: orationibus instate.) Item est status excellentis honestatis,& ideò dicit: (non sit notabilis &c.)Item est status subvenientium multis necessitatibus, ideò dicit: (Vestes vestras.) Item est status spiritualis fraternitatis, ideò dicit: (Lites aut nullas,&c.) Item est status subiectionis, ideò dicit: (Præposito tanquam patri, &c.)

PRAEDICATIO MAGIS COMPETIT religioso. Cap. IIX.

STatus Religiosus magis còmpetit prædicatori, quàm sæculari. Primò quia est excellentior sicut autem prædicatoris est in altò stare, cùm prædicat: ita & altus status, juxta illud Esa. 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Secundò, quia prædicatoris est non solùm præcepta; sed & consilia prædicare. Quòmodò autem credet aliquis de consilijs illi, qui illa renuit accípere sibi? potius videtur, quòd illa reddantur alijs suspecta, cùm ipse nolit ea sibi, & possunt dicere ei, quod dictum est de pharisæis: Dicunt, & non faciunt, nec sequuntur exemplum illius, qui cepit facere, & docere. Tertiò, quia oportet prædicare non solùm bonis; sed etiam perfectis, & mundanis, & mundum contemnẽtibus, carnalibus, & spiritualibus, utentibus voluntate propriâ, & non utentibus. Quis autem dubitet, quin magis

cõmpetat illi, in quô plura ſigna majorum bonorũ appàrent, prædicare illis, qui ſunt in majoribus bonis, quàm illi, in quô non appàrent hujuſmodi ſigna? Quartò, qui ſtatus religionis eſt ſtatus contemplationis, ea verò, quę prędicantur, maximè colliguntur in contemplatione: Unde Greg. In contemplatione hauriunt, quod pòſtmodum in prædicatione effundunt. Quintò, quia homini, qui eſt in ſuâ libertate, timendum eſt de præſumptione, ſi ſit facilis ad prædicandum; ſi verò ſit tardus, timendum eſt ei de negligentiâ: magis ergo èxpedit alienô imperiô prędicare, quàm propriô motu: Ro. x. Quòmodò prędicabunt, niſi mittantur? quis autẽ magis tenet ſtatum nuntij, quàm religioſus, cui dicitur: Vade, & vadit; veni, & venit? Sextò, quia in executione officij prędicationis, de facili, & in multis contingit offendere, propter quod fructus prædicationis impeditur, èxpedit ergo prædicatorem habere correptorem: unde dominus miſit diſcipulos binos, ut unus corrigeretur per alium: nec debet odiſſe correctionis diſciplinam, qui alijs enarrat Dei juſtitiam.

REGULA BEATI AUG. MAGIS cómpetit prædicatoribus. Cap. IV.

INter regulas approbatas regula Aug. magis còn-venit prædicatoribus. Primò, quia prædicato-

res debent esse viri litterati, quod intendit Aug. in regulâ dicens.

Codices certâ horâ singulis diebus petantur. Vult ergo discipulos adeò studiosos esse, quòd nulla dies prętereat, quin còdices revolvantur. Secundò, quia beatus Dominicus pater fratrum prædicatorum profectum in omni bonô, & fructum circa salutem animarum acquisivit sub istâ regulâ. Tertiò, cùm regula beati Augustini deducta sit tanquàm ab exemplari â vitâ apostolicâ, quam prædicatores omnes summè debent imitari? Quartò, quia instituendò novum ordinem prædicatorum oportuit aliqua nova còndere instituta, ut circa studiũ, paupertatem, & hujusmodi: Oportuit ergo talem elìgere regulam, quæ non haberet aliqua, quæ contrariarentur hujusmodi statuendis; sed talis esset, cui hujusmodi convenienter aptarentur.

STATUS PAUPERTATIS MAGIS còmpetit prædicatoribus. Cap. V.

Licèt regula beati Aug. permittat habere possessiones, tamen melius fuit prædicatoribus his carere, quia multò plus còmpetit prædicatio evangèlica pauperi voluntàrio, quàm diviti. Primò, quia prędicatori evãgelij incumbit prædicare Christum pauperem, & evangèlicam paupertatem: quis autem dùbitet, quin hujusmodi prædicatio majorem effectum habeat, & magis deceat in ore pau-

pauperis, quàm divitis? Secundò, quia melius eiſt prædicatoribus vitam excellentioris prædicators imitari, ut fuerunt Apoſtoli paupèrrimam vitam ducentes in prædicatione. Tertiò, quia temporalia multum occupant, & indùcunt ſolicitudinem, propter quod dominus volens prædicatorem eſſe vacuum ab omni occupatione ipſum impedicnte, dixit diſcipulis ſuis: Nemincm in via ſalutandum. Et Paulus, ne traherètur à prędicatione, ceſſabat à baptizandò: Unde quidam zelator animarum, cùm multò tempore prędicaſſet in tantâ humilitate, quòd nolebat dùcere niſi aſinum, tandè expertus, quòd curâ, & ſolicitudo, quam habeat de aſinò, modò cogitandò quid comèderet, modò ne cùm amitteret, modò ne malè cuſtodiretur, dimiſit ipſum, & poſuit ſe ad iter pedibus conficiendum, tu eius animus liberiùs vacaret prędicationi. Quartò; quia prędicatoris eſt, non ſolùm in locis populoſis, ſed etiam in locis mòdicis pauperibus prædicare exemplò illius, qui circumibat caſtella docens: quòmodò autem poſſunt hoc implere divites, qui ducunt equos, & familiam? Quintò, quia fructus prędicationis colligitur in confeſsionibus, & conſilijs animarum: & idcò talem èxpedit eſſe prædicatorem, ad quem fiducialiter accedant omnes pro hujuſmodi: certum eſt autem, quòd perſonæ paùperes audaciùs accedunt ad virum paùperem, & in habitu humili, quàm ad divitem, & in habitu glo-

riosô : quia animalia ad sibi simile facilè sociantur, immò etiam divites, & nobiles laici, & litterati faciliùs committunt animarum suarum secreta pauperibus, quàm divitibus.

DE EXPOSITIONE TITULI. Cap. VI.

QUia dicitur in fine regulę: (Ut autem vos in libellô hôc, tãquàm in speculô, posșitis inspicere:) putaverunt quidam, quòd regula Aug. esset ille liber, qui dicitur speculum Augustini, & ideò dixerunt in titulô: Incipit speculum Augustini; sed hoc est erroneum, speculum enim est liber, in quô recòlligit Augst. mandata Dei, qui dicitur speculum, quia in eô legendô potest quilibet videre quantùm profecerit, vel quid ei desit: posset tamen dici, quòd, sicut duplex est speculum, scilicèt generale, quod quãdoquè ponitur in Aulâ communi, in quô respiciunt omnes, & speciale quod pònitur in camera, in quò domina se rèspicit, ita est duplex opus Augustini, scilicèt liber supradictus, qui pèrtinet ad communes, & alter ad solos religiosos.

QUARE HOC OPUS DICITUR regula. Cap. VII.

DIcitur hoc opus regula dupliciter: Regula enim unô modô dicitur à rectitudine, quasi rec-

rectula, ſicut eſt illa, quâ utuntur ſcriptores, & lignarij, & cœmentarij : Aliô modô dicitur à regendô, ut in grammaticâ, & in alijs ſcientijs. Juxta primũ modum dicitur hoc opus regula, quia ſicut per regulã diſtorta diriguntur, ſic per hoc opus diſtortæ vitę diriguntur: Item ſicut per illã gibbi removentur, ut patet in cœmentariô, ſic per iſtam ſuperbiæ, & ſuperfluitates complanantur : Item per regulam, res quadrantur, ut lapides redduntur quaterni opere quadrô : Sic per iſtud opus fiunt homines quadrati in virtutibus Cardinalibus, ut ſint aptiores, ędificio cœleſti. Item habilitantur res diverſæ, ut fiant aptę conjunctioni in unum, ut patet in cæmentarijs: ſic per iſtud opus fiunt diverſi unũ in Dominô. Item per regulę applicationem relinquuntur in pergamenô diverſæ lineæ rectæ, & multæ: ſic per iſtud diverſę virtutes in homine, quę nihil aliud ſunt, quàm lineę rectæ, quia virtus eſt qualitas mentis, quâ rectè vivitur, unde omnis virtus eſt quędam rectitudo. Item ſicut ſcriptor, qui de regulâ non curat, frequenter diſtortè ſcribit: ſic diſcipuli Auguſt. regulam negligentes, diſtortè vivunt: qui autem ſecundùm eam diriguntur, rectiſsimè vivunt. Item ſicut ex applicatione reglæ quandoquè res, quæ videbatur recta, appàret diſtorta, vel gibboſa, quę apperebat plana: ſic proculdubiò, ſi diligenter vita multorum ſub hâc regulâ degentium ipſi regulę conferatur, apparebit diſtorta,

pluſ-

plusquàm antea crederetur: Secundò etiam modò potest dici regula, quia, sicut regula in sanctis docet artem sciendi, sic istud opus artem vivendi: & sicut per regulam regit se quis in scientiâ, ita per hoc opus in vitâ: & sicut habet regula exceptionem, ita regula recipit dispensationem.

Cap. VIII.

ANte omnia, fratres charissimi, diligatur Deus; deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.

Quia mandata Dei non sunt relinquenda propter mandata hominum, immò super illa debent omnia alia fundari, quia sine illis ista nihil prosunt: ideò Aug. ante omnia mandata sua præponit Dei mandata. Quia verò plenitudo legis est dilectio charitatis ad Deum, & proximum: ideò non ponit mandata singula vitans prolixitatem; sed hoc solùm, in quò omnia alia complentur: & quamvis omni homini necessaria sit charitas; tamen specialiùs prædicatori. Si enim linguis hominum loquatur, & angelorum, charitatem autem non habeat, factus est velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, quod alijs prodest eos vocans, sibi verò nocet seipsũ confringens. Quid autem prodest homini, si totum mundum lucretur, detrimentum autem sui faciat? Item prædicatoris interest instructum esse, & maximè de necessarijs ad salùtem, juxta quod dicitur

de

de Joanne Luc. 1. Ad dandã ſcientiam ſalùtis plebi eius: Certũ eſt autem, quòd interdum, ubi deeſt ſciẽtia alia, charitas inſtruit de his plenè, primæ Io. 2. Unctio id eſt charitas docet vos de omnibus, ſcilicèt neceſſarijs ad ſalutem. Item utilius eſt in prædicatore incèndere, quàm inſtrùere; ſed certè qui non ardet, non incendit, quia charitas inflammat verba, & facit, ut facula. Item in prædicatore grande vitium eſt torpor, vel pigritia: Charitas autem non ſolùm ſolicitat prędicatorẽ; ſed etiam compellit: 2. Cor. 5. Charitas Chriſti urget nos. Item quia charitas non quærit, quæ ſua ſunt; ſed quæ Jeſu Chriſti.

Cap. IX.

HAec igitur ſunt, quæ, ut obſervetis, præcipimus, in monaſterio conſtituti.

Traditis mandatis Dei, tradit mandata ſua. Quidam hìc incipiunt regulam, nec habent præcedentia mandata: & hoc àccidit ex eô, quòd Auguſtinus, ſcribens quibuſdam mulièribus ſuæ diœceſis religioſis inſerit in fine Epiſtolę regulam iſtam, quam tradidit eis obſervandam, incipiens ita: (Hęc igitur ſunt:) In regulâ autem, quam tradit viris, propònit ante iſtud duo mandata charitatis, & incipit ita: Ante omnia fratres &c.) Quare autem in regulâ mulierum non pręmiſit duo mandata de dilectione? Dici poteſt, quòd in mulière amor ſpiritualis

de

de facili degènerat in carnalem,& ideò timens dare huic degenerationi occaſionem, noluit eis aliud impònere de dilectione proximi.

Cap. X.

UTrum omnia,quę continentur in regulâ, ſint in prȩceptô? Videtur quòd ſic. Conſtat enim, quòd hoc pronomen (hæc) demonſtrat omnia, quæ ſunt in regulâ, & de his dicit: (præcipimus) Contra. Sequitur, quòd profeſſor regulæ peccat mortaliter, quandocumque facit contra aliquid, quod ſit in regulâ: ergo ſi non domat carnem ſuam jejunijs, abſtinentiâ eſcę, & potûs, quantum valetudo permittit, vel ſi non verſatur in corde, quod profert, quando pſallit,& ſimilibus, peccat mortaliter. Ad hoc dicunt quidam, quòd hæc dictio (hæc) cùm ſit demonſtrativa rei propoſitę, non demonſtrat ibi niſi duo mandata propoſita, ſcilicèt de unitate cordium, & de comunitate rerum, & hæc duo ſolùm ſunt in prȩceptô in totâ regulâ. Sed, ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd illud, quod remotè dicitur: prȩpoſito tanquàm patri obediatur, non eſſet in prȩceptô, quod conſtat eſſe falſum. Ideò dicunt alij, quòd omnia ſunt in prȩceptô; ſed, cùm prȩcepta affirmativa non ligent ad ſemper, non eſt neceſſe, quòd peccet mortaliter profeſſor regulæ, quandocunque non implet omnia, quę ibi dicuntur. Sed ſi hoc eſſet verum, ſequeretur ſaltem in

ne-

negativis, quæ obligãt ad ſemper, quòd, quicunque contra faceret, peccaret mortaliter: erg. quicunque in Oratotiô faceret aliquid, quàm illud ad quod factum eſt, vel quicunque iret ſine ſociô, & ſimilibus, peccaret mortaliter, quod dicere eſt crudelitas. Ideò dicunt alij, quòd etſi omnia præcipiat Augu. tamen profeſſor regulę illius non peccat mortaliter contra faciendô, quia promittit non obedientiam Auguſtino; ſed prælato. Sed ſecundùm hoc nullus mortaliter peccaret faciendô contra aliquid, quod fit in regulâ, niſi quando ſupra verba Auguſtini adderetur præceptum prælati, quod manifeſtè falſum eſt: Ideò dicunt alij, quòd regula eſt tota in præceptô, non tamen ſingulis; ſed profeſſoribus omnibus, inſimul in cãdem domô exiſtentibus; ſicut ſi pater familias præciperet toti familię, ut purgarent tali die talem campum totum, præciperet omnibus inſimul, non ſingulis, & ſufficeret, quòd unus faceret unam partem, alius aliam, dummodo totum fieret ab omnibus inſimul: Ita etiam impletur præceptum de totâ regulâ ſervandâ, quando in cõdem conventu ſervatur totum, licèt non quilibet totũ impleat. Sed ſecundùm hoc ſufficeret, quòd in eodem conventu aliqui ſervarent abſtinentiam, alius faceret orationes, alius portaret habitum debitum, & ſic de alijs dummodo ſervaretur, quod eſt ridiculum dicere. Ideò dicunt alij, quòd obſervantia regulæ eſt in præceptô; ſed non ſingula, quæ con-

continentur in regulâ, ſunt ſub præceptô, ſicut non ſingula, quæ exprimuntur in Evangeliô. Sed hoc iterum videtur minus benè dictum: Cùm enim dicitur: (Hęc ſunt, quæ, ut obſervetis, præcipimus.) Hoc pronomen (hæc) cùm ſit diſcretivum, potius demoſtrat ſingula mandata, quàm mandata in genere, & ita potius præcipitur obſervantia ſingulorum, quàm obſervantia in genere: ideò, reprobatis prędictis reſponſionibus, dicendum eſt, quòd quędam reperiuntur in verbis divinis, quæ habent in ſe modum, & intentionem præcepti, ut eſt illud: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos; quędam verò, quę habent præceptum in intentione, quamvis non in modô, ut eſt illud: Non furtum facies: quædam autem habent modum præcepti; ſed non intentionem, ut eſt illud de ſanatione ſurdi, & muti Matth. 7. Præcepit eis, ne cui dicerent: Quis enim audeat dicere, quod intenderet eos dominus per hoc ligare ad mortale, & quòd peccaſſent mortaliter prædicandô? Et tale eſt iſtud: non enim eſt probabile, quod vir tam ſapiens, etſi per modum præcipiendi loquatur, intenderet omnia ponere ſub præceptô, & tamen damnationis materiâ miniſtraret accedentibus ad regulam ſuam pro ſalute quærendâ. ¶ Sed oritur ex hôc quæſtio. Quare poſuit verbum præcipiendi, ex quô non intendit præcipere? Ex hôc enim, quòd ſic loquitur, videtur miniſtrare occaſionem ſcrupulorum multorum.

torum. Respondetur, licèt non intendat omnia ponere sub præceptô; tamen suæ intentionis est, quòd multum vult omnia servari: ad expressionem ergo suæ voluntatis utitur verbô præceptoriô, potius quàm aliô verbô simplici, ne daretur ex tenui modô loquendi pigritiæ humanæ occasio minus curandi de mandatis regulę. Et est simile in Evangeliô Marci 6. Præcepit eis, ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantum. ¶ Sed iterum surgit alia quæstio. Si enim verbum (præcipimus) non importat veritatem præcepti; sed solùm intentionem voluntatis: ergo nullum præceptum est in regulâ. Respondeo, verum est, quòd nullum præceptum est in regulâ ex virtute hujus verbi; sed multa sunt in intentione, quamvis non secundùm expressionem in modô loquendi: sicut divina scriptura cùm nobis loquitur eôdem modô, tamen quędam reputantur simplices exhortationes, quædam præcepta: sicut Luc. 7. cùm dicitur: Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & alteram, reputatur consilium: & cùm dicitur in eôdem capitulô: Mutuum date nihil inde sperantes, licèt sit idē modus loquendi; tamen reputatur præceptum. ¶ Si verò quæratur, quomodo possunt hæc cognosci? Respondeo, per rationem: ratio enim benè disposita potest de facili judicare, quòd vir sapiens intendit obligare professores suæ regulæ ad ea, quæ pertinent ad obedientiam, ad castitatem, ad humili-

ta-

tatem, & similia; non autem eque ad ea, quæ pertinent ad ultimam domationem carnis, vel cavendũ omnem notabilitatem in omni motu, gestu, & similia. Sicut ergo in sacris scritupris per ratiofiem, & doctrinam sapiẽtium docemur, quæ sunt præcepta, & quæ cõsilia, vel exhortationes simplices, ubi scriptura lòquitur uniformiter, ita in hôc opere. Patet igitur ex prædictis, quôd modus tradendi mandata hujus regulæ, licèt secundũ verba præceptorius videatur; tamen secundùm intentionem non est præceptorius univ[illegible]saliter. ¶ Quid est, quòd dicitur (ob serveris in monasteriô costituti?) Numquid extra monasterium non sunt hæc obsservanda? Respondeo. Quædam sunt, quę dependent à locô, ut petitio cò dictum, & hujusmodi, & ad hæc non tenetur aliquis extra monasterium: Alia sunt, quæ non dependent ex locô, ut habitus, honestas, & hujusmodi, & hæc ubiquè sunt servanda.

Cap. XI.

PRimùm propter quòd *in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domô, & sit vobis anima una, & cor unum in Deô*) Excellentior est vita Cœnovitarum, quàm Anacoritarum.

In præmiô post mortem.
In securitate in morte.
In emolimentô multiplici in vitâ.

¶ Propter primùm dicitur in vitis patrum, quòd cùm

cùm essent ostensi quatuor ordines in cęlô cuidam viro sancto, scilicet infirmantium,& gratias agentium,servientium infirmis , solitariorum , & viventiùm in congregatione sub obedientia : quartus apparuit sublimior,eò quòd alij omnes faciunt secundùm propriam voluntatem, isti autem secundùm voluntatem alterius: unde , & de Christô dicitur ad Philipen. 2. factus est obediens usque ad mortem, propter quòd,& Deus exalt. illum, &c. Propter secundum dicitur de quôdam hæremitâ, qui,Deô revelâte,cognità morte,accessit adCœnobium, ut securius transiret transitum periculosum in necessitate. Propter tertium, dicitur Ecclesiastici 4. Meliùs est duos esse simul, quàm unum,habent enim emolimentum societatis suæ. Primum emolimentum societatis acquisitio : Si enim tanta est virtus societatis cum muliere fideli,quòd sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem:primæ Cor.7. Quantò magis sanctificatur quis ex societate multorum bonorum?Psalmus:cum sanctô sanctus eris. Secudù sancta in bonô calefactio , sicut carbo frigidus ab ardente:Eccles.4. unus quomodo calefiet ? Etsi fuerint duo fovebantur mutuò. Tertiù corroboratio: Prover.18. Frater,qui juvatur à fratre, quasi civitas firma,ubi murus murum corròborat , & turris turrim. Quartum cadentis sublevatio: Ecclesiast.4.Si unus ceciderit ab alterô fulcietur,veh soli,quia,cùm ceciderit,nô habet sub

levantem. Quintum hostium impugnatio, ibidem: Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Sextum delicti indulgentia: Gen. 18. Si invenero in Sodomis quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter eos. Septimum præsentia Christi per gratiam: Matth. 18. ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, scilicet per aliquem effectum gratiæ. Octavum precum exauditio: Matth. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quãcũquè petierint, fiet illis à patre meo: quia multitudo obtinet, quod non obtinet solus.

QUAE SOLENT TURBARE *unitatem.* Cap. XII.

UNitatem spiritus solent multa turbare. Primum sensus abundantia, cùm alius dicit sic, alius aliter: contra quos dicit Apostolus: Obsecro, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: id est divisiones. Secundum est sapientiæ diversitas: cùm enim alij sapientiam æternam acceptant, & secundùm eam ambulant, & diriguntur; alij verò sapientiã mundi, carnis, vel diaboli: fit divisio, & turbatur unitas prædicta: contra hoc dicit Apostolus: Idem sapite, idest eandem sapientiam habete. Tertium est amor singularis ad alterum: hâc enim occasione frequenter disiungitur quis ab alijs: contra hos dicit Apostolus: Eandem charitatem

tatem habentes, hoc est dilectionem communem Quartum est amor propriæ commoditatis: cùm enim non quæruntur communiter ab omnibus, quę sunt Jesu Christi; sed quærit iste, quod suum est, & ille similiter, òritur divisio, contra quos Apostolus dicit: Nemo, quod suum est, quærat. Quintum est obstinatio voluntatis, cùm aliquis induci non potest ad acquiescendum alijs: contra quem dicitur in Psalmis: In domô Dei ambulavimus cum consensu: cum consensu enim ambulant, qui sibi facilè mutuò acquiescunt, & hoc multùm facit ad cordium unitatem. Sextum est aversio à voluntate divinâ: cùm enim ipsa sit una, qui adhærent, unius sunt voluntatis, & qui avertuntur ab eâ, feruntur in diversa: ideò inquirenda est voluntas Dei secundùm Apostolum, & facienda, prout pètitur in oratione Dominicâ, cùm dicitur: Fiat voluntas tua. ¶ Sed notandum, quòd postquàm dixit.

Ut unanimes habitetis in domô: subiunxit: (Et sit vobis anima una, & cor unum in Deô.)

Errant enim quidam, qui conveniunt in his, quæ sunt mundi, carnis, vel diaboli unanimiter, quę unitas non est laudanda; sed perniciosa: Greg. super illô verbô Job 12. Membra carnium eius cohærentia sibi, sicut pernicioſum est, si desit unitas bonis, sic pernicioſum est, si non desit malis. Tria autè mala sequuntur ex hujusmodi unitate. Primum est incorrigibilitas: Greg. in moral. Qui divisi còrrigi

pòterant, iniquitatum ſuarum pertinaciâ uniti durant. Secundùm eſt audacia in malitia: Actuum. 7. Impetum fecerunt unanimiter in eum: Greg. Perverſos unitas ròborat, dum eos concordat. Tertium, durior perſecutio bonorum: Greg. in mora. Reproborum unitas bonorum vitam tantò durius premit, quàtò ſe ei per collectionem durior opponit: iſta unitas in Deô non eſt; ſed potius contra Deum. Unde Joſuè 9. Congregati ſunt, ut pugnarent contra Joſuè, ideſt Chriſtum: Interdum corde, Pſalmus: Cogitaverunt unanimiter ſimul adverſum te: Aliquando ore: pſalmus: Aperuerunt ſuper mè os ſuum: Aliquando opere: Actu. 4. Convenerunt in civitate iſtâ adverſus puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis Iſraèl facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt. Iſta ſocietas non eſt ſequenda; ſed fugienda: Geneſ. 18: In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cætu eorum non ſit gloria mea. Sed ſunt alij, qui, licèt non ſint in unitate cum malis, non tamen habent cor unum in Deô cum alis, quia reſiſtunt bono, & opponunt ſe reformationibus, reſtrictionibus, novis conſtitutionibus, & ſimilibus, quæ valent ad boni promotionem, juxta illud Act. 7. Durâ cervice vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: Spiritui enim ſancto reſiſtit, qui bonum quodcúque à Spiritu ſanctô eſt, impedit: Contra quos dicitur de ſapiête Jaco. 4. Bonis

con-

consentiens. Sed sunt alij, qui tantâ amicitiâ adhærent aliquibus, quòd semper, & in bonô, & in malô adhærent eis. Sed hæc est amicitia sæcularis, & falsa: quia secundùm Tullium hæc lex est in amicitiâ verâ, ut numquam turpe quid rogemus, nec rogati faciamus: propter hoc, sicut dicitur in Valeriô maximô, cùm quidam rogaret quendam amicum suum, ut faceret quodã inhonestum pro eô, & ille respondèret, quòd non pòterat, quia erat inhonestum, & rogans diceret, quid mihi prodest amicitia tua, si pro me non faceres nisi honestum? ille respõdit, immô quid mihi valeret amicitia tua, si pro te facerem inhonestum? Numquàm adhærendum est alicui, quòd eum sequamur in malô in amicitiâ, & qui contra faciunt, non habent cor unum cum alijs in Deô solô: quia habent, & in bonô, & in malô cor unum cum alijs. Providendum igitur est volenti servare mandatum de unitate cordis in Deô, ne conveniat cum alijs in malô, ut faciunt primi, ne discedat ab alijs in bonô, ut faciunt secundi, ne consentiat cum aliquô cõmùniter in bonô, & in malô, sicut tertij; sed solum in his quę Dei sunt. Hęc est enim unitas, quæ hîc mandatur, ut fides, oratio, prædicatio, studium, ędificatio proximi, promotio ordinis, & similia. Quia verò in congregatione religiosâ, non tantùm unitas animorum; sed etiam rerum communitas inveniri debet: Subjungit. ¶ *Et non dicatis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia.*

DE

DE LAUDE COMMUNITATIS.

Cap. XIII.

CIrca cõmunitatem notanda ſunt quinq; Primò de laude ſtatûs hujuſmodi. Secundò de fructu. Tertiò de occaſionibus proprietatis, & de remedijs. Quartò de perſecutione hujus vitij. Quintò de quibuſdã dubitabilibus circa proprietatem.

Cap. XIV.

CIrca primum nota, quòd in ſtatu naturæ, ante peccatum erant omnia communia: unde Iſid. jus naturale, communis omnium poſſeſsio, diſt. 1. Item, in primordijs ſtatûs gratiæ: Act. 4. erant illis omnia communia. Item in ſtatu futuræ gloriæ: Beda ſuper prædictô verbô, qui ita vivunt, ut ſint omnia communia in domô, Cœnobitæ vocantur: quę vita tantô fœlicior eſt, quantùm ſtatum futurum imitatur, in quô erunt omnia communia. Cùm ergo reperiri non poſsit melior ſtatus naturę, ſtatu ante peccatum, nec gratiæ melior primitivô, nec gloriæ futurô: quàm fœlix eſt ille ſtatus, qui tales ſtatus naturę, gratię, & glorię imitatur!

Cap. XV.

CIrca ſecundum nota, quòd proprietas frequẽter eſt occaſio turbationis cum proximô. Seneca: Quietiſsimè homines vìverent, ſi tollerentur hæc duo pronomina: meum, & tuum. Res enim com-

communes nunquàm ſunt materia litis. Sed cùm ex concupiſcentiâ vult ſibi appropriare quis, ſurgunt frequenter turbationes, vel, cùm haberi non poſſunt, vel cùm habitæ auferuntur, & impletur illud Prover. 15. Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam. ſ. proprietatis. Secundò dat occaſionem victoriæ inimico, quia per proprium poteſt eum inimicus tenere, ſicut tenetur quis ab adverſariò per veſtem: Unde in vitiſpatrum, cùm quidam frater veniſſet ad ſenem volens relinquere ſæculum ſed retinère aliqua modica propter neceſsitatem, dixit ei ſenex; vade ad macellum, & eme carnes, & pone ſuper dorſum tuum, & ſic veni ad me, quò factò invaſerunt eum canes, & occaſione carnium laceraverunt eum: Et dixit ſenex: ſic dilaniantur à dæmonibus, qui abrenuntiantes ſæculo, aliquid rètinent ſibi. Tertiò impedit animum ab alijs, ubi eſt enim theſaurus hominis, ibi eſt & cor ejus, unde, ut ſupra dictum eſt, quidam aſinum dimiſit, ne diſtraheretur.

Cap. XVI.

CIrca tertium nota, quòd tria dant occaſionem proprietatis. Primum eſt indigentia: magis enim èligunt aliqui aliquid habere cum peccatò, quàm indigère: contra hoc eſt duplex remedium, unum eſt liberalitas prælatorum, ut liberaliter ad miniſtrent de communi, & tollatur occaſio hujuſmodi:

modi: Actu.4. Dividebatur singulis, sicut cuique opus erat; & in eôdem, nec quisquè egens erat inter illos. Aliud est patientia subditorum: sunt enim quidam secundùm Gre. qui paùperes esse volunt; sed sine defectu: non sicut Apostolus, qui dicit: Scio abundare, & penuriam pati. O quot penurias sustinuit in victu, & vestitu, qui dicit 2.Cor. 11. In fame, & siti, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate! Hujus ergo exemplô, maximè qui alijs prędicant pœnitentiâ, patienter ferre debent indigentias: Psalmus: Benè patientes erunt, ut annuntient. Secundum est diffidentia de providentiâ divinâ: sunt enim quidam, quibus, quamvis nihil desit; tamen semper timent in futurô sibi deesse. Remedium hujus est conformatio dominica, quam facit verbô, & exemplô, sive promissione, & ratione: Verbô, cùm dicit: primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis: Exemplô, cùm dicit: considerate volatilia cœli, non laborant, neque nent, & pater vester cœlestis pascit ea, quantò magis vos modicæ fidei? Et maximè prædicatores possunt habere istâ fiduciam, qui suam, & aliorum salùtem procurant. Beda: Tanta prędicatori in Deô debet esse fiducia, ut præsentis vitæ necessaria, quamvis non prævideat, tamen sibi non deesse certissimè sciat. Tertium est carnalitas: sunt enim adeo aliqui circa curam carnis intenti in cibis, & vestibus, quòd non sunt con-

contenti neceſſarijs, quæ eis competenter miniſtrãtur, & ideò inordinatè procurant alia ad ſatisfaciẽdum carnalitati ſuæ: contra quos Apoſtolus: Carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Remedium hujus, conſideratio finis, ad quem ducit hujuſmodi carnalitas: Apoſtolus: Si ſecundùm carnẽ vixeritis, moriemini: maximè autem prædicatori cavenda eſt hujuſmodi carnalitas: Apoſtolus: Caſtìgo corpus meum, & in ſervitutem rèdigo, ne fortè cùm alijs prædicavero, ipſe reprobus efficiar.

Cap. XVII.

CIrca quartum, nota, quòd tria ſunt genera peccatorum, quæ magis ſunt perſequenda. Unum eſt peccatum cõtra rem publicam, ſicut furtum, & ſimilia, per quæ lęditur proximus: Et ideò contra hoc dictum eſt Exo. 23. Malèficos non patiaris vìvere. Aliud eſt peccatum, quod habet plures occaſiones excuſationis: aliter enim, ſi ceſſaret perſecutio peccatorum, jam non reputarent peccata, & facilè committerentur ab omnibus, & infiniti damnarentur, & ideò Eccleſia uſuram, quæ hujuſmodi peccatum eſt, inceſſanter perſequitur: Prover. 26. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Si enim Eccleſia hujuſmodi ſtultis uſurarijs, qui non rèputant uſuram peccatum, non reſpondèret per pœnas, per prędicatores abhominantes eoſdem, jam ſapienter ſentire

tire viderentur. Aliud eſt peccatum, quod habet continuitatem, ſicut concubinatus: hujuſmodi enim peccatum facientes, ſunt in malô propoſitô continuè, & ideo gravius peccant. Unde in decretis: Peccata tantò graviora ſunt, quantò diutius ob ligatam tenent animam infœlicem. Et ideò eccleſia frequenter concubinarios persèquitur exemplô Pauli, qui fornicatorem frequenter trâdidit ſathânæ, non ſolùm propter magnitudinem ſcèleris; ſed propter continuitatem. Unde dicitur de illô, quòd uxorem patris habeat, ſicut ſuam: Et exemplô Joannis, qui dixit Mar. 6. Herôdi, non licèt tibi habere uxorem fratris tui. Conſtat autem, quòd in peccatô proprietatis illæ tres cauſæ concurrunt: eſt enim contra rem publicam, quia de communi facit proprium, & videtur quaſi non eſſe peccatum, propter occaſiones cujuſdã neceſsitatis, quę ad hoc inducunt: ipſum nõ cõntinere dètinet proprietariũ, quia de vitiô carnis, vel inobedientiæ, & hujuſmodi citò refurgit quis; ſed in iſtô involutus continuò moratur in eô. Quantò ergo ſancta religio debet pèrſequi peccatum hujuſmodi, habens triplicem circunſtantiam prædictam, quarum quælibet ſola facit omne peccatum, in quô reperitur ſic odio ſum, ut ſine ſimulatione zelus ſanctus in ipſum debeat exercèri? Narrat autem hujuſmodi perſecutionis, & punitionis exemplum Greg. 4. dialogorum, qui præcepit proprietarium ſepeliri in ſterqui-

quilinio, dicentibus fratribus omnibus: Pecunia tua tecum sit in perditionem, & projicientibus tres aureos, quos fuerat inventus habere, cum eo in sepulchro. Dant exemplum etiam ipsi fundatores ecclesiæ primitivæ: quod enim peccatum gravius est punitum in ecclesiâ primitivâ, quàm peccatum Ananiæ, & Saphiræ, qui de eo, quod commune esse debebat, sibi modicum aliquid retinentes, ad verbum. B. Petri, morte subitâ sunt perempti: Et factus est timor magnus in universâ ecclesiâ: Act. 5? Datur etiam exmeplum de Achòr, qui furatus fuerat de anathèmate Hjericò, & propterea fuit lapidatus, & omnia, quæ ejus erant, consumpta fuerunt igne: Josuè 7. Non est ergo hujusmodi peccatum dissimulandum, nec parcendum talibus, quia nec Deus parcit eisdem. Unde monacho habenti proprium negabit Deus suum proprium, quod est misereri, & pàrcere.

Cap. XVIII.

1 CIrca quintum quæritur, utrum possit prælatus dispensare cum subdito super proprio habendo? R. quòd non, quamtecumquè sit auctoritatis, nec etiam Papa: extra de statu mona. cùm ad monasterium, ubi sic dicitur: Non æstimet abbas, quòd super habendâ proprietate possit cũ aliquo monacho dispensare: & quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeò est annexa regu-

lę monachorum, ut contra eam, nec ſummus Pontifex poſsit licentiam indulgere.

2 Utrum cum religioſô, poſsit diſpenſari circa uſum rei? ℟. duplex eſt uſus, certus, qui non poteſt auferri, & incertus, qui eſt in voluntate alterius, ut auferatur, cùm ei placùerit. ¶ Circa primum non poteſt diſpenſari: ſemper enim debet eſſe voluntas religioſi ſubjecta prælato, ut reſignet, quando volùerit. Circa incertum poteſt ex causâ rationabili: ſed quæ vocabitur cauſa rationabilis? ℟. duplex poteſt eſſe cauſa diſpenſandi in his, ſcilicèt neceſsitas, & utilitas. Prima poteſt eſſe duplex, ſcilicèt privata, & communis. Privata, cùm concedit alicui in monaſteriô pauperi, in quô de communi non poſſumus habere neceſſaria, ut aliquid habeat ad uſum neceſsitatis ſuæ, cum propoſitò tamen reſignandi ſemper, cùm fuerit requiſitus. Communis, ut, cùm concèditur alicui officiali communi aliquid ad expendendum in uſus, & neceſsitates aliorum. ¶ Utilitas ſimiliter poteſt eſſe duplex, Privata, cùm conceditur alicui liber ad diſcendum aliquas orationes, vel ad informandum animum ſuum in his, quę pertinent ad ſalùtem, licèt non habeat gratiam docendi alios: Communis, cùm cóceditur alicui liber, qui poteſt ex ſtudiô ſuô alijs prodeſſe: licèt autem hujuſmodi neceſsitates, & utilitates ſint interdum cauſa ſufficiens diſpenſandi, tamen non omnis neceſsitas, & utilitas ſufficit, niſi

nisi sit valdè rationabilis, & manifesta: ut sunt in necessitatibus quotidianis, quę pertinent ad victū, & vestitum, & est valdè cavendum, ne in hujusmodi facilè dispensetur propter speciem mali: quandoquè enim, & si subsit aliqua causa, tamen species mali rèmanet ibi. Item propter conscientiæ periculum, facilè enim fingitur causa, ubi non est, & mentitur iniquitas sibi petens hujusmodi dispensationem. Item propter sequelam, trahitur enim dispensatio, quæ fit cum unô ex causâ bonâ, de facili ad consequentiam in alterô, in quô non subest èadem causa. Sed esto, quòd dispensetur cum aliquô circa usum rei incertum sine causâ: nunquid excusatur à vitiô proprietatis, si habet animum resignandi cùm fuerit requisitus? ℟. Excusatur à proprietate; sed non à peccatô: quia in dispensante est abusus potestatis, quæ data non est in destructionē; sed in ædificationem, in recipiente est avaritia: cùm teneat aliquid sine causâ rationabili, de quô posset aliquis proficere, tanquam pecuniam in sudariô, quę dari debuit ad lucrum: Mat. 25. Et idcò districtam de hôc oportebit eum rèddere rationē. Sint ergo vobis omnia communia; sed quia de hujusmodi communi ministrandum est singulis non æqualiter; sed secundùm exigentiam, subjungitur de hôc mandatum. ¶ *Et distribuatur unicuiquè vestrum àpræpositô vestrô, nō æqualiter omnibus, quia non æqua. va. omnes; sed potius uni. secundùm quod*

cui.

cui opus fuerit. ¶ Quia dixerat omnia communia esse debere, posset credi, quòd quilibet de communi posset accipere, tanquam de suô, pro libitô, quem errorem excludens subiungit, quòd non propriâ auctoritate sunt res accipiendæ; sed per distributionem: circa quod quatuor determinat, videlicèt: quibus sit distribuendum, ideſt unicuiquè: à quô, nempe à præpositô: quid, videlicèt victus, & tegumentum: qualiter, quia non æqualiter omnibus.

Cap. XIX.

UTrum religiosus accipiens propriâ auctoritate aliquid de communibus bonis peccet? Videtur quod non: quia sicut tẽpore necessitatis omnia sunt communia omnibus, sic & religiosis sunt cõmunia; sed in casu necessitatis licet accipere cuilibet propriâ auctoritate: similiter ergo hîc. ℟. Quædam sunt ita cõmunia alicui universitati, quòd licet cuilibet accipere partem pro suô libitô, sicut nemus, alicujus villæ, & similia: quædam verò sunt ita communia, quòd totũ à totô possidetur, & nihil partis à parte, sicut sunt aliqua bona, interdum alicujus capituli in communi: tempore necessitatis omnibus omnia sunt communia secundùm primũ modum, & ita licet cuilibet accipere de communibus istis; Religiosis verò sunt omnia communia secundô modô, quia nulli in singulari licet aliquid

pos-

poſsidere : & ideò non eſt ſimile. Præterea neceſſitas non ſubeſt legibus; religio verò ſubeſt: & ideò non licet religioſis accipere de communibus; niſi ſecundùm leges traditas. Præterea religioſus non eſt ſui juris: & ideò multò magis non debet ſibi facere jus etiam in alijs rebus ſine alterius auctoritate, aliàs peccat plus, vel minus. Sunt enim in communibus bonis quędam, quæ non ſolent diſtribui, ut thęſaurus eccleſię, quædam quæ ſolent diſtribui, ut victus, & hujuſmodi. Item inter ea, quæ diſtribuuntur, quędam ſunt majoris neceſsitatis, ut victus, & veſtitus, quædam verò minoris, ut libri, pergamenum, & hujuſmodi. Item inter ea, quæ ſunt alicujus neceſsitatis, quædam ſunt, quę non ſunt diſtributa; ſed ſunt adhuc in communi; quædam verò ſunt jam diſtributa. Item inter diſtributa, quædam ſunt, quæ non poſſunt àccipi ſine turbatione alterius, quędam ſic: Plus ergo peccat, qui accipit, quod non ſolet diſtribui, & plus, qui accipit, quod eſt majoris neceſsitatis, & plus, qui aſsignatum jam alijs, & plus qui cum turbatione. ¶ Utrum excommunicato ſit diſtribuendum? ℟. Si poteſt habere abſolutionem, & non curat, non eſt ei aliquid dandum, præcipuè ſi ſit ei fomentum malitiæ; ſi autem non poteſt habere, quia eſt fortè caſus pertinens ad Papam, & hujuſmodi, cùm religioſus ſit pauper, poteſt ei dari ſequeſtratim, dùmmodò dans faciat hoc causâ humanitatis; non

ex

ex contemptu excommunicationis, & recipiens ex hôc non negligat laborare pro absolutione: unde Grego. 11.q.3. si quis excommunicatis ad sustentationem non superbiæ; sed humanitatis causâ aliquid dare voluerit, non prohibemus. ¶ Quæritur, quid per Præpositum intelligitur? R. Prælatus, qui per se potest distribuere, dummodo non impediatur à melioribus bonis, cùm dicatur Luc. 22. de exemplô prælatorum: Ego autem in mediô vestri sum, sicut qui ministrat; potest tamen prælatus istam distributionem facere etiam per alios. Hìc est argumentum: quòd prælatus debet esse solicitus de temporalibus subditi, cùm habeat distribuere, sicut pater cogitare de necessitatibus filiorum. ¶ Circa tertium nota, quòd non solùm victus, & vestitus accipienda sunt per distributionem; sed omnia alia necessaria, tamen de his magis fecit mẽtionem, quia sunt majoris necessitatis, & quotidianæ, de quibus magis posset videri, quòd possunt sumi propriâ auctoritate. Nota, quòd laudabilior est consuetudo religiosorum, qui non dant certô tempore certam vestem, ut pote tunicã unam in annô, vel cappam in duobus, & hujusmodi; sed dant secundùm indigentiam. Item illa consuetudo, quæ dat certam pecuniã certò tempore pro vestibus, aut alijs necessarijs cuilibet, omninò est reprobanda, non solùm quia est materia proprietatis; sed quia est contra regulam, quæ dicit: Non pe-

cu-

cuniam; ſed victum, & veſtimentum eſſe tribuendum. ¶ Circa quartum ſcilicèt non æqualiter omnibus: hoc videtur eſſe contrarium Beato Benedicto, qui in regulâ ſuâ dicit certam menſuram panis, & potûs dandam omnibus. R. quòd beatus Benedictus committit abbàti, ut plus tribuatur, ſi neceſsitas hoc requirit; in cõventu tamen põt aliquid dari interdum alicui, quod alijs non datur, cùm hoc requirit neceſsitas, vel infirmitatis, vel naturę, aliter non eſt extendenda hujuſmodi diſpenſatio: ne ſub palliô neceſsitatis peragatur negotium voluptatis.

¶ *Sicut opus fuerit, non ſicut quiſquè volúerit.*

¶ Per hoc innuit, quòd cavenda eſt ſuperfluitas, & nimia tenacitas omni religioſo, & præcipuè prædicatori, triplici de cáusâ. ¶ Primò ne prædicatio impediatur. Cùm enim difficile ſit aſſueta relinquere, quicumque aſſueſcit ſuperfluitati, vix põterit indigentiam ſuſtinere; ſed diſcurrentem propter ſalutem animarum oportet indigentias ſuſtinere; alioquin refúgeret prędicationem, ut declinaret inopiam. Secundò ne ipſi prædicatori damnoſa fiat prædicatio: cedit enim ad damnum prædicantis pœnitentiam, niſi & ipſe rectè vivat: primę Cor. 9. Caſtìgo corpus meum, &c. Tertiò ut efficacior in attrahendò fiat; nihil enim eſt, quod magis attrahat ad prædicationem, quàm fama prædicatoris: inter opera verò de genere bonorum,

non est aliquid, quod tam famosum hominem reddat, sicut parcitas. Exemplum de Ioanne baptistâ, qui ex hôc, & famam sanctitatis acquisivit, & efficaciam homines attrahendi: Mat. 3. Ipse enim Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, esca autem ejus erant locustę, & mel silvestre: Et sequitur: Tunc exibat ad eum Hierosòlyma, & omnis iudęa. Notandum etiam, quòd eleemosynæ dantur intùitu necessitatis, & frequenter fiunt de necessitatibus dantium, & pro peccatis: Osee. 5. Peccata populi mei còmedent: glo. oblata pro peccatis. Item eleemòsynæ sunt de alienô, non reputatur autem decens, quòd de alienô coriô faciat quis largas corrigias. Item acquiritur per laborem fratrum non modicum: Noluit autem David bibere aquam acquisitam à tribus fortibus cum pèriculô, & labore: 2. Reg. 23. Item oportebit de eorum dispensatione reddère districtam rationem: parcius autem quis solet vivere de his, de quibus oportet eum reddere rationem. Legitur in li. Collationũ: quòd cùm frater quidam mundaret legumina, & ceciderent ad terram tria grana lenticulę per eius incuriam, facta est magna quęstio inter fratres super tali negligentiâ.

CAP. XX.

Non est autem diffidendum ministrantibus, quę habentur servis Dei, quòd deficiant in futuro

rô. Non enim dat dominus procuratori, quamdiu habet; sed postquam totum expendit, plus dat ei: Luc. 16. Date, & dabitur vobis. Ad excludendum huiusmodi diffidentiam dicitur Mat. 6. Nolite soliciti esse, dicentes quid manducàbimus, aut quid bibemus? Sunt enim tria, quę dare possunt huiusmodi fiduciam. Primum ex parte dantis: si enim nobilis quilibet familiæ pròvidet, quantòmagis nobilissimus? indecòrum est homini curare de cibô, vel veste, qui militat regno. Novit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, & vestiat. Secundum ex parte recipientis. Glo. super illô Psal mô: Benedìcam dominum: pascebat contemnentes se, & non pascet timentem se? Tertium ex parte dati: Mat. 6. Nonne anima plus est, quàmęsca? glosa: Qui majora dedit idest vitam, & corpus, dabit minora idest victum, & vestes: & si omnibus pròvidet divina clementia, magis qui vacant salùti animarum: Mat. 10. Dignus est operarius cibô suô.

¶ *Sic enim légitis in Actibus Apostolòrum, quia erant illis omnia communia, & dìstribuebatur uni cuiquè, sicut cuiquè opus erat.*

Cap. XXI.

UTrum illa cômunitas ecclesię fùerit ex votô? Credo quòd non; sed solùm ex perfectione charitatis. Sed quare mutatus est status ille eccle-

fiæ? non enim licet dicere; quòd non fuerit bonus. ℟. quędam sunt ita essentialiter bona, quòd non recipiunt pro aliquô tempore mutationem: sicut diligere Deum, honorare parentes, & hujusmodi: quædam verò pro tempore recipiunt mutationem: sunt enim multa, quæ unô tempore magis expediũt quàm aliô: cùm ergo dilatata fuit ecclesiæ per orbem, & habuit pacem, visum est successoribus Apostolorum, quòd magis expediebat, quòd ipsi possessiones (quarum pretium, cùm essent venditæ, dabatur eis, ut idem distribuerent credentibus) retinerent, & darentur ipsis, ut perpetuò possent subvenire inde pauperibus, quàm quòd more solitô venderentur, & ideò mutaverunt statum illum. Et primò, solæ matrices ecclesiæ habebant hujusmodi, & providebant alijs, postmodum verò dilatata est usquè ad ecclesias alias: & hoc habetur 12. q. 1. videntes. Videtur autem, quòd circa tempora Constantini fuit primò ista mutatio per approbationem universalem, quia fortè particulariter ante fuit facta aliqua mutatio particularis: 12. q. 1. futurã. ¶ Utrũ illa cõmunitas fuerit apud omnes Christianos in Ecclesia primitiva? Credo quòd non, nisi apud judæos. Primò ratione perfectionis. Major enim gratia Spiritus sancti effusa est in judæâ, quàm in gentibus, quia eos ita effecit ebrios charitate, & ad tantam promovit perfectionẽ, ut omnia cõtemnerent pro amore Dei, & proximi. Secundò ratione

tione perſecutionis futuræ in judæâ, quam prævidentes Apoſtoli noluerunt ibidem aliquid poſsidere, ut habiliores eſſent ad tranſmigrandum: 12.q.1. futurum. Tertiò ratione exempli. Cum enim ab illis de judeâ deſcenderit primò fides Chriſti, juſtum fuit, ut & ipſi exempla majoris perfectionis haberent, ut efficacius per ipſos dilataretur ubique: Eſaiæ.40. Super montem excelſum, ſcilicèt perfectionis, aſcende tu, qui evangelizas.

¶ *Qui verò aliquid habebant in ſæculò, quando ingreſsi fuerint monaſterium, libenter velint illud eſſe commune.*

Cap. XXII.

QUidã reperiũtur, qui, licèt reliquerint ſeculũ; tamẽ adhuc nimis ſæculariter diligũt ſuos, & plus dirigunt eis ſua, etiam ſine piâ causâ, quàm monaſterio. Iſti, licèt nati ſint in Chriſtô, tamen adhuc ligati ſunt mundo cum umbilicô, qui eſt carnale vinculum, quô ligatur puer cum matre. Unde ei, qui talis eſt, dicit dominus Ezech. 16. In die ortûs tui non eſt præciſus umbilicus tuus. Alij ſunt, qui ſua deferunt ad monaſterium; tamen diffidentes de communi proviſione, nolunt totum pònere in communi; ſed propter ſenectutem, vel infirmitatem, partem, vel totum ſibi reſervari procurant, pejores Ananiâ, & Saphyrâ, qui tantùm partem reſervaverunt: Actu. 5. Iſti ſæculum dimittunt, & tamen religioſi non ſunt,

immò partim religiosi, & partim seculares. Unde cuidam tali, qui fuerat senator, beatus Basilius dixit: Senator esse desinisti, & monachum non fecisti: unde dominus interdum indignatur contra tales: & quia minus de Deô confidunt, relinquit eos sibi, nec de eis cògitat in suis necessitatibus, quousque pœniteant. Exemplum de illô, qui congregâvit lagenam plenam nummis, & tamen, putrefactô pede, sanari non valuit, nisi ad tactum Angeli. Non fuit talis quidam senex leprosus, cui, cùm quidam obtulisset pecuniam propter senectutem, & infirmitatem, noluit eam accipere dicens: Ecce 50. annos habeo in infirmitate, & nunquàm aliquid defuit, dominô providente mihi semper, & tu post tot annos venisti auferre procuratorẽ meũ? Alij sunt, qui, licèt bona, quæ in sæculô habuerunt, communicent: tamen magis ex necessitate, quàm ex bonâ voluntate, contra quos dicit Apostolus: Non ex tristitiâ, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus: voluntas enim à Deô pensatur: non dati quantitas: contra ista tria vitia dicit Augustini regula: (Qui aliquid habebant &c.)

Cap. XXIII.

PEnsandum est hic, quantùm tenemur communicare res in religione nobis concessas, si tantùm communicamus res olim nostras. ¶ Quæritur de eô, qui non vult res huiusmodi, & speciali

ter

ter ſcripta communicare alijs, utrum peccet? R. frater, aut habet præceptum tradendi ſcripta huiuſmodi, aut non? Si ſic, peccat mortaliter, niſi tradat. Si non, aut eſt ei licitum, utpote quia habet licentiam tradendi, vel eſt conſuetudo, quòd etiam ſine licentiâ tradi poſſunt, aut non? Si non, non peccat in aliquô; Si autem eſt ei licitum, aut alter indiget, aut non? Si non, in nullô peccat non tradendô; Si alter indiget, aut ipſe iterum indiget, aut non? ſi non indiget, neque ad præſens, neque antea, tunc eſt judicandum ſicut de illô, qui pecuniam domini ſui ligavit in ſudariô: Matth. 25. & poteſt peccare mortaliter plus, & minus, ſecundùm intentionem dilectionis inordinatæ, quam habet ad huiuſmodi, & ſecundùm quantitatem fructûs, qui fieret per alium; Si verò indiget, ſicut alter, aut indiget plus, vel æquè, vel minus? Si plus, vel æquè, non peccat; Si minus, tunc tam parva poteſt eſſe indigentia iſtius, & tam magna alterius, quòd peccaret non tradendô: & è converſò, tam parum poſſet excedere indigentia alterius indigentiam iſtius, quòd non peccaret, & circa hoc docet ratio. Si verò nô indiget ad præſens; ſed in antea ſunt ſibi neceſſaria, tunc videndum eſt, utrum per traditionem talem poſſet eſſe abſque illis tempore neceſsitatis? Si non, tunc judicandum eſt ſicut ſupra de illô, qui pecuniam tenet ligatam in ſudariô; Si ſic, tunc diſtinguendum eſt ſicut ſupra; quando uterq;

indiget. ¶ Nota, quòd quidam retrahuntur ab huiusmodi mutatione: primò quia nolunt, quòd sciatur, quòd illud, quod interdum dicunt, sumant ex scriptis, sed quasi eorum ingenio attribuatur, & hoc vanitas est: alij verò, quia volunt sibi solis esse nota, quę in scriptis suis habent, & hoc invidiæ genus est: alij ex tenacitate avaritiæ: quamvis enim nihil faciant de scriptis, tamen adeo diligunt libros, quòd abscondunt eos, sicut corvus denarios, de quibus nihil facit: alij, quia timent deturpationem, & prępònunt huiusmodi damnum utilitati spirituali maiori, & hoc defectus charitatis est: si enim debemus animas pro fratribus ponere, quàntò magis libros? alij, quia interdum sibi ab alijs negantur, & hoc est vitium talionis, cùm dicat scriptura: Non reddentes malũ pro malò. Boni tamen servi Dei libenter commùnicant. Interdum timentes, non solùm vitium; sed etiam notam proprietatis incùrrere, iuxta illud Apostoli: ab omni specie mali abstinete vos. Interdum præcaventes turbationem fraternam, quæ frequenter ex hòc òritur: Proverb. 15. Conturbat domum suã, qui sectatur avaritiam. Interdum humiliter cogitantes, quòd fructus maior fiat per alios. Interdum cupientes sibi merita cumulare. Si enim traditio potùs aquæ frigidæ refrigerantis corpus non est sine mercede: Matth. 10. quantò magis traditio scripturæ refrigerantis animam, maiorem habet mercede

cedem? Interdum ſperantes ſe recepturos melius beneficium ſcientiæ ab illô, qui dicit Luc. 6. Date, & dabitur vobis, contra quos, Bernardo reſervanti quoddam, quod alio tempore daret fratribus, dictum eſt ei: Quandiu illud ſervabis, aliud non dabitur tibi.

Qui verò non habebant, non ea quærant in monaſteriô, quæ nec forìs habere potuerunt.

CAP. XXIV.

NUnquid non licet, qui fuit pauper in ſæculô, quærere neceſſaria in monaſteriô? conſtat, quòd ſic: ergo videtur iſtud mandatum irrationabile. ℟. Quidam reperiuntur, qui de paupertate venientes, quærunt in religione abundantiam. Hier. ad Eliodorum Epiſcopum. Ditiores ſunt monachi, quàm fuerunt ſæculares. Alij, non ſolùm quærunt abundantiam; ſed etiam deliçata. Idem ad Nepotianum in perſonâ talium loquens dicit: Natus in paupere domô, & in tugurîô ruſticanô, qui vix milliô, & cibariô pane ventrem rugientem ſatiare poteram, nunc ſimilam, & me faſtidio. Alij non ſolùm hoc; ſed etiam honores quærunt: Bernardus: Plerique in domô Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſuâ, non niſi contemptibiles eſſe potuerunt, ibique volunt honorabiles videri, ubi honores ab omnibus contemnuntur. Magna abuſio, ut in locô paupertatis, ubi divites incurrunt penuriam,

riam, pauperes quærant abundantiam: In locô affli ctionis ubi delicati mortificantur, homines rustici quærant delicias: In locô ubi viri honorati eligunt àbjici, ibi abjecti quærant honorari. Sed major abusio, quòd interdùm huiusmodi, cùm prius de labore viverent, ibi volunt otiosam, vitã ducere, ubi quondam otiosi fiunt laboriosi, contra dictum Apostoli: Qui non vult operari, non manducet: Item interdum tantam curam habent de medicinalibus, ut, ubi alij venerunt vitam perdere juxta consilium Christi Matth. 16. ibi juxta consilium Hypòcratis videantur venisse salvare. Item interdum ubi quondam nominati veniunt absconditi, ut sit eòrum vita abscondita cum Christô in Deô, ibi ipsi prius ignoti volunt sibi nomen acquirere: Bernardus super Missus est: Qui antea in suô oppidô, vel vicô vix cogniti fuerunt, modò circumeuntes provincias, & curias frequentantes, regum notitias, & principum familiaritates assecuti sunt. Quare autem, quæso est, quòd à pauperibus in tali locô talia quærantur, in quô à divitibus contraria affectantur? De talibus igitur loquitur B. Augustin. in regulâ d. (Qui verò non habebant) scilicet aliquid, & intelligitur de præterneccssarijs: potest & aliter dici, si intelligatur etiam de necessarijs, ut sit sensus: (non ea quærant) idest: principaliter non intendant: idest: non ad hoc principaliter sint in monasteriô, ut ista ibi habeant. Et hoc est

contra illos, qui ad hoc intrant religionem, vel sunt in religione, ut habeant ibi necessaria vitæ, vel alia terrena. Isti sunt socij eorum, qui sequebantur dominum, non propter virtutes; sed propter panes, de quibus eos satiabat: Ioann. 6. Item sunt eorum imitatores, qui ventrem suum fecerunt. De ũ suum, qui omne servitium, quod alij faciunt Deo vero, ipsi faciunt propter ventrem. Isti sunt, quibus diabolus eruit dextros oculos, idest spiritualẽ intentionem, & facti sunt inepti ad bellum. Isti piscantur in sinistrâ navigij, & ideo nihil capiunt, nisi temporalia. Posset etiam tertiô modô expòni (non ea quærant) idest quærulosè petant. Et hoc est contra quosdã, qui quamvis fuerunt in sæculô paùperes, tamen magis quæruloſi reperiuntur in monasteriô, quàm illi, qui fuerunt divites. Exemplum in veteri testamentô: Quamvis enim quidam magni murmuraverint in desertô contra Moysen, & Deum; ut Maria, Chorè, Dathàn, & Abiròn; tamen non super defectum necessariorum: Populares verò super hoc murmuraverunt: Numeri 21. Qui insuper alios trahunt secum, & murmuravèrunt super eô, quod in Ægyptô nõ dicunt se habuisse pretiosiora; sed viliora: Cùm enim petunt carnes, tamen non dicunt eas in Ægyptô habuisse; sed pisces, & quædam alia viliora: propter hoc misit in eos ignem, & serpentes ignitos. Unde abbas Pastor: Qui querulosus est, monachus non est: Licèt au-

rem

tem petitio querulosa etiam necessariorum prohibeatur, tamen charitativè providendum est eis, quantũcumquè fuerint in sæculô pauperes;& ideo, ne quis credat hoc non fiendum,pònitur circa hoc mandatum, & dicitur:

¶ *Sed tamen eorum infirmitati,quod opus est,tribuatur, etiam si paupertas eorum,quando foris erãt, nec ipsa necessari a pòterat invenire.*

CAP. XXV.

CONsuetudò laudabilis est, ubicumquè sancta viget religio,quòd nulli magna cura sit sui; sed paterna cura de filijs, & fraterna charitas de fratribus cògitet ita solicitè, quòd etiam ipsis tacentibus advertat,& inquirat de eorum necessitatibus,& piè subveniat eis.Et habetur ad hoc argumentum ex istô,& præcedenti mandatô,in quorum alterô querulosa petitio interdicitur; in aliô verò charitativa provisio pònitur.Item argumentum est hîc,quòd propter murmur nõ est quis puniendus in subtractione necessariorum:eò quòd dicitur:(Sed tamen eorum infirmitati,quod opus est tribuatur)Non tamen dicit cupiditati;sed infirmitati quod opus est.Porrò nulli debet deesse provisio; sed communiter,non solùm illis, qui divites fuerunt in sæculô;sed etiam qui pauperes,ut periculum acceptionis personarum evitetur:ut certius meritum habeatur, quia, cùm ministrantur diviti-

tibus neceſſaria, poteſt eſſe aliqua cauſa humana movens, quę non habet locum in paupere. Item ut quod ſuum eſt, eis reddatur, quia bona eccleſiarum ſunt bona pauperum. Item ut occaſio ſcãdali, tàm ex parte ſæcularium, quàm fratrum ſummoveatur. Item ne religio mundo aſsimiletur. Item ut vera fraternitas in eâ reperiatur. Item ne paùperes, qui frequenter in religione multùm proficiunt, ab ingreſſu religionis retrahantur. Verùm, quia abundantia neceſſariorum quandoquè eſt occaſio mali, talibus ad cavendum hoc dicitur.

¶ *Non tamen ideo putent ſe eſſe fœlices, quia invenerunt victum, & tegumentum, quale fòri: invenire non potuerunt.*

CAP. XXVI.

TRaditis mandatis circa vitia primaria, quæ oriuntur circa communitatem, hic incipit pònere mandata circa vitia ſecundaria, quæ ſunt ad ſuperbiam pertinentia: horum autem, quædam reperiuntur in his, qui fuerunt in ſęculò pauperes; alia verò in his, qui fuerùnt divites, de quibus ibi: (rurſus etiam illi, &c.) Quia verò ſuperbia in paùpere deteſtabilior eſt, iuxta illud Eccleſ. 25. Tres ſpecies odivit anima mea, quarum una eſt pauper ſuperbus: Ideo primò proſequitur de huiuſmodi ſuperbiæ deſtructione, determinans circa hęc tria. Primò enim ponit mandata ad deſtruendum, quod ma-

malum est. Secundò ad informandum circa hoc, quod bonum est, d:(sed sursum &c.) Tertiò reddit harum causam d:(ne incipiant.) Et quia interdum oritur quędam extollentia in huiusmodi pauperibus ratione rerum, quas invenerunt abundè: Rerum enim affluentiam solet sequi extollentia quandoquè ratione societatis: Ideo ad destructionem utriusquè ponit mandatum duplex: Primum, cùm dicit: (Non tamen.) Secundum, cùm dicit: (Nec erigant.)

Cap. XXVII.

CIrca primum nota, quòd aliqui reperiuntur, qui, licèt ad religionem venerint animò sustinendi penuriam, mortificandi carnem, assequendi abjectionem, tamen lapsu temporis mutati in virũ alterum; sed non virtute dextræ excelsi, cùm in eâ inveniunt rerum copiam, carnis delectabilia, honoris gloriam, sic illecebrãtur tali prosperitate, quòd primę charitatis obliti ea refugiunt omninò, quæ primò quæsierunt, & contraria totis viribus amplexantur. Hinc est, quòd conventus, in quibus occurrunt adversa, horrent, & fugiunt; ad illos verò, in quibus inveniunt prospera, suspirant, & ab illis avelli non possunt, mutationes de locis prosperitatis ad contraria sustinere non possunt pro utilitate animarum, vel necessitate ordinis quantâcumquè; contraria verò procurant pro posse, & cùm in his con-

contra voluntatem eorum fit aliquid, inveniuntur minus obedientes, incurrunt murmura, & diversa judicia, suos judices judicantes, & alia mala quàm multa. Cumquè in conventibus sua desideria assequi non possunt, discurrunt exterius, transeunt libenter ad standum in curijs, & cùm opportunitas occurrerit, facilè excipiunt dignitates. Sed heu longè receſſerunt isti non solùm à sapientiâ sanctorum; sed etiam sapientium mundi huius. Non sunt isti de opinione Philosophorum illorum, qui dixerunt summum bonum paupertatem; sed potiùs de errore opinionis illius reprobatissimæ, quæ fœlicitatem posuit prosperitatem successuum, sicut tangit Phil. in 1. Eth. Non sic fecerunt Sancti patres, de quorum multis legitur in vitis patrum, quòd ipsi fugientes honores sibi exhibitos, & alia prospera in locis suis, se ad alia transferebant, renuentes cũ Davìd consolationes huius mundi. Non fecit sic pater sanctus Dominicus, qui libentius morabatur Carcasonæ, quàm Tholosę propter hoc, quòd plures ibi sustinebat persecutiones: Gregor. Sancti viri plus prospera, quàm adversa formidant: nec mirum: plures enim pereunt in prosperis, quàm in adversis: Psal. Cadent à latere tuô, scilicèt sinistrô adversitatis, mille, & decem millia à dextris tuis, ideſt prosperitatis: Gregor. Continuus successus temporalium æternæ reprobationis est indicium. Legitur quòd Iacòb cancellabat manus in filiorum

Io-

Iosephi benedictione super illum, quem invenit ad sinistram, ponens ad dextram, & è converso: Quod dicunt sancti factum fuisse in figuram futuræ benedictionis in ipso die novissimo, quia illos, quos inveniet ad sinistram adversitatis, ponet ad dexteram fœlicitatis æternæ; quos verò ad dexteram prosperitatis, ponet ad sinistram damnationis æternæ, sicut patet in divite, & Lazaro. Item quando quis venit ad hospitium alterius, & comedit in mane splendidè, nō solet ei parari cena magna: Luc. 6. veh vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Item inveniuntur aliqui operarij, quibus lautè volentibus vivere in die mutat paterfamilias mercedem, & tantò minus in serò recipiunt de mercede, quantò plus receperunt in labore. Timendum est ergo illis, qui multum habere volunt, dum adhuc sunt in labore, ne parum inveniant in mercede, & dicatur illi, qui talis est, illud Luc. 6. Recepisti mercedem tuam, totam scilicèt, vel in parte. Admonendi sunt etiam, qui corporaliter prosperantur, ne cū cuncta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant, si in his, quæ dantur, animum figant. Quis autē habens hæc prospera gloriari potest, quòd in his cor nō figat, & quòd eorum actione à supernâ delectatione non retrahatur? Quis igitur est, qui his utatur, ut dicitur? Quantùm itaque cavendum est à servis Dei eorū abundantia, quibus ita difficile est benè uti? ideo ex pietate subtrahit divina pro-

vi-

videntia ista electis, ne per abusum in malum eis convertantur: Greg. Electis suis Deus asperum iter facit, ne dum detinentur in viâ, obliviscantur eorum, quæ sunt in patriâ. Quot enim sunt, quibus ista prospera averterunt cor à cœlestibus, ad se? Item adversitates multos erudiunt; sed prosperitates multos decipiunt, in eis enim jacet hamus sub escâ: Greg. Cùm omnis fortuna timenda sit, magis timenda est prospera, quàm adversa: illa enim feriendò èrudit, ista blandiendò seducit. Licet autem omnibus servis Dei sit timenda prosperitas; tamen magis illis, qui de paupertate venerunt: mutationes enim ad cõtraria morbos facilè generant: Isti enim, sicut exeuntes de inediâ carceris, & sicut ursus famelicus, plus solent excedere in fruendò prosperis: Prover. 25. Mel invenisti, comede, quod sufficit tibi. Isti etiam fortius adhærentes delicijs, fugiunt angustias, sicut canis exustus semel, plus timet aquam calidam. Inde est, quòd Hieremias rogat regem Sedechiam dicens 36. Ne reducas me in domum Jonathæ, ne moriar ibi. Apud eum enim erat multa angustia, & inedia. Isti etiam solent plus inaniter gloriari cum illis, qui dicunt Zach. 11. Benedictus dominus, quia facti sumus divites. In istis etiam plus solet ratio absorbèri à prosperis, sicut aqua facilius absorbet hominem, qui non est in aquâ nutritus, quàm piscem: Gen. 40. Succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui. Ista abun-

dantia ſolet in iſtis rebellionem indùcere, Deuter. 32. Invènit eum in terrâ deſertâ, in locô horroris, & vaſtę ſolitudinis. Conſtituit eum ſuper excelſã terram, ut comèderet fructus agrorum, ut ſùgeret mel de petrâ: Et poſt: Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit. Quia ergo in iſtis tam periculoſa eſt proſperitas vitæ, Auguſtinus ipſis extollentiam de hujuſmodi interdìcit. Non enim verè debent tales ſe reputare fœlices, cùm eos facilè tot mala ſequantur in proſperis.

Cap. XXVIII.

NEc erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.

¶ Nota, quòd utendum eſt ſocietate dìvitum, & magnorum in bonum: debent enim ex hôc eſſe grati, conſiderantes quid fecerunt eis, iuxta illud: Suſcitans à terrâ inopem, & de ſtèrcore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus. Item debent ex hôc moveri ad amorem religionis, quę eis contulit, quod mundus dare nonpotuit iuxta illud: Gratiâ Dei ſum id, quod ſum. Item debent ex hôc elevari in ſpem futurę ſocietatis. Si enim in ſtatu gratiæ aſcendunt ad ſocietatem majorum, quantò magìs in ſtatu glorię, ubi nulla erit perſonarum acceptio? primæ Ioann. 1. Quod vidimus, annuntiamus vobis, ut ſocietatem habeatis nobiſcũ, & ſocietas veſtra ſit cũ patre, & filiô eius IeſuChriſto.

ftô. Sed miſeri quidam, qui tali ſocietate deberent uti in bonum, abutuntur eâ ad ſuperbiâ, quam deſtruens ſanctus Auguſtinus, tanquam malum, ponit poſtea informationem circa hoc, quod bonum eſt, docēs qualiter circa hoc debeant ſe habere, dicēs: (Sed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quęrant.) Surſum cor habetur, cùm ſurſum gratiæ referuntur, cùm ſurſum ſuſpiratur, cùm de magnitudine pietatis patris cœleſtis ſuper nos recogitatur, cùm uſus omnium dirìgitur, cùm ſurſum tanto bẽ nefactori nos obligatos recognòſcimus, cũ ex hôc ad illius amorẽ exercitamur: Et ſic ad locum unde exierunt flumina abundantię temporalis, revertuntur, ſecundùm varios modos: Eccleſ. 7. Et hoc eſt, quod dicit (Surſum cor habeant) ſcilicèt in neceſſarijs, quæ invenerunt poſtmodum.

¶ Notandum eſt, quòd omnia terrena dicuntur vana: Eccleſ. 1. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas. Non dicit ſuper ſolem; ſed ſub ſole. Hæc autem ſunt terrena, & vana, quæ fragilia, & deficientia intuenti, faciunt etiam eum cor rùere, propter quod Ægyptus, ideſt mundus comparatur bacculo arundineo Eſaiæ 36.

Ne incipiant monaſteria divitibus eſſe utilia, non pauperibus, ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

*** *** ***

Cap. XXIX.

SUnt aliqui præceptores, quibus est pro ratione voluntas: non fuit talis Augustì. Ipse enim tradendô mandata, subjungit rationem d: (Ne incipiant, &c.) Elicitur autem ex hôc verbô, quòd aliqui reperiuntur in monasterijs, quibus non sunt ipsa monasteria ad salutem. Quomodò enim erunt eis ad salutem, quibus non sint utilia? immò non solùm aliqui; sed multi sunt. Cuius rei tres sunt causæ, una generalis, & duæ particulares. Generalis est peccatum mortale quodcumquè, hoc enim facit, ne prosit religio ad salutem, habitus, vel professio, vel societas, vel opera exteriora bona, vel nomen, vel fama, vel dedicatio sui Deo. Et ideo dicitur Eccles. 30. Salus animæ in sanctitate justitiæ. Sanctum idem est, quod mundum. Hiero. Non religiosum fuisse; sed religiosè vixisse laudabile est. Alia causa, & particularis est fraterna offensa, de quâ infra: Qui nunquam vult petere veniam, aut non ex animô petit, sine causâ est in monasteriô, etiam si inde non projiciatur. Hoc est enim, quod facit reprobari à Deô, quicquid ofertur: nec potest Deus homini placari; nisi prius frater placetur: Mat. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Tertia causa est superbia,

de

de quâ hîc habetur. Dicuntur autem monaſteria inutilia ſuperbis, quia plures utilitates aufer eis ſuperbia. Ubi nota, quòd tribus de cauſis ſolent aliqui ingredi religionem: Una, ut poſsint ibi melius ſibi cavere à peccatis, à quibus vix ſibi cavere poſſunt in ſtatu ſæculari: Alia, ut ibi de jam commiſsis purgentur: Tertia, ut ibi plus merentes majus in futurô lętitiæ præmium conſequantur. Iſtas autem tres utilitates confert religio: Eccleſ. 1. Religioſitas cuſtodiet: Ecce primam: Et juſtificabit cor: Ecce ſecundam: Jocunditatem, atquè gaudium dabit, ſcilicèt in futurô: Ecce tertiam. Superbia autem aufert iſta tria. Superbia enim eſt cauſa aliorum malorum, & propter ipſam multi religioſi corruerunt in alia multa mala: Eccleſ. 10. Initium omnis peccati ſuperbia, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, ideſt vitijs: Glo. de ſuperbiâ naſcuntur hæreſes, chîſmata, detractiones, invidia, verboſitas, jactantia, & hujuſmodi. Item impedit juſtificationem: Luc. 18. Deſcendit hic, ſcilicèt humilis peccator, juſtificatus ab illô, ſcilicèt ſuperbô. Item privat bona opera finali mercede: unde infra dicitur: Superbia bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Quid autem mirum ſi ſuperbia faciat pauperibus inutile clauſtrum, quæ angelicis ſpiritibus fecit inutile cœlum, primis parentibus paradiſum? Hinc eſt, quôd, licèt omnis ſuperbia deteſtanda ſit in religione; tamen plus in

pauperibus. Ratio : quia ſicut commendabilior eſt humilitas in perſonâ excellenti, ita magis eſt reprobanda ſuperbia in perſonâ abjectâ: & ideo dicitur Eccleſ. 10. Quid ſuperbis terra, & cinis, ideſt vilis perſona? Item ſuperbia dìvitum habet multam occaſionem: Ipſę enim divitiæ ſunt magna occaſio ad ſuperbiam, & multùm ſunt hæc conjuncta, tanquam adjectivum ad ſubſtantivum: Prover. 8. Opes ſuperbæ. Et Auguſt. dicit. vermis dìvitum ſuperbia eſt, quia ſicut ex putredine nàſcitur vermis, ita ex divitijs. Item ad hoc quòd dives ſuperbiat, non oportet, quòd faciat ſibi magnã vim, quia multum habet unde extollatur : pauper verò non ſic, niſi inflet ſemetipſum: Sicut dicitur in fabulâ de bufone, qui videns bovem craſſum in paſcuis, inflavit ſe, ut ei ſimilis fieret, ſic etiam diabolus, qui pauper erat reſpectu Dei, inflavit ſe, di. Similis ero altiſſimo: Eſa. 14. Cùm ergo in omni genere peccatorum, peccatum procuratum gravius ſit, quàm non procuratum, ut in luxuriâ, gulâ, & ſimilibus: cõſtat, quòd gravior eſt ſuperbia in pauperibus, quàm in divitibus: Tum quia abjectiores ſunt perſonæ, tum quia habent ſuperbiam procuratam, tum quia minus habent unde ſuperbiãt: Et ideo Auguſt. talem ſuperbiam appropriatô nomine vocat inflationem: inflatio enim pertinet ad res viles, ut eſt vesìca, & huiuſmodi: Item conſurgit quaſi ex nihilô; ſcilicèt ex aëre, qui quaſi inane reputatur

tur: Item fit per quandam violentiam.

¶ Nota etiam, quòd res est usitata divites superbire, res verò inusitata superbia in paupere: imò in tantum est paupertati annexa humilitas, ut unum accipiatur pro alio, etiam à salvatore: Matth. 5. Beati pauperes spiritu: quia secundùm glos. paupertas hîc vocatur humilitas secundùm unum sensum. Et ideo, quia superbia non solet inveniri in paupere, sicut in divite, dicit Aug. (Ne incipiant monasteria divitibus, &c.) quia res nova, & inconsueta. Sic igitur patet, quòd superbia in pauperibus est cõtraria religioni ex hôc, quia facit monasterium eis inutile: Item est grave peccatum, propter quod vocatur inflatio: Itẽ est res præter usũ, quod notatur, cùm dicitur: (ne incipiant.) Et ideo conveniens est, ut sancta religio labòret modis omnibus ad superbiam huiusmodi reprimendam.

CAP. XXX.

RUrsus etiam illi, qui aliquid videbantur esse in seculô, non habeant fastidiô fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum divitum dignitate; sed de pauperum fratrum societate gloriari.

¶ Sicut in pauperibus venientibus ad congregationem duplex invenitur vitium pertinẽs ad superbiam, ut iam dictum est, ita & in divitibus: unum,

& minus occasione rerum, circa quod tradit mandatum infra di. (nec extollantur) Aliud ratione personarum, & majus, & circa hoc, hîc ponit mandatum primò di. (Rursus etiam illi &c.) Nota. Quidam dicuntur fratres naturâ, ut omnes homines: quidam fide, ut omnes Christiani: quidam religionis conformitate, ut religiosi ejusdem professionis: Cùm ergo nullus sit contemnendus, juxtæ illud Malac. 2. Quare dèspicit unusquisquè fratrem suum? quantò minus ille, in quem concurrunt tres prædictæ causę fraternitatis? Item si contèmnitur in societàte perversâ pauper à divite, & ignobilis à nobili, non est mirum; In societate verò sanctâ omnes unum debent esse in Christò: Gal. 3. Non est judæus, neque græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim unũ sumus in Christô. Item angelicæ naturæ sublimitas pauperes non fastìdit, immò astat eis, & ministrat: Matth. 18. Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis, dico enim vobis, quoniam Angeli eorum &c. Rex etiam Angelorum factus mortalis non fastidivit societatem eorum, immò istos elegit: Jacob. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hôc mundô? Item factus etiam immortalis lègitur frequenter apparuisse in specie pauperis, ut hortulani, peregrini, & alijs multis modis: Unde B. Martinus diabolo apparenti in specie divitis, tanquam esset Christus, dixit: Christum purpuratum non novi: Si au-

autem eos faſtidiret, eorum formã non aſſumeret: Quomodò ergo faſtidiẽdi ſũt à divitibus illi, quos nec Angeli, neqùe angelorum rex faſtidierunt? Patet ergo, quòd illi, qui magni fuerunt in ſeculô, non debent faſtidire alios, qui venerunt ex paupertate, tum quia fratres, tum quia ſocietas ſancta, tum quia pauperes; magis autem debent gloriari de eorum ſocietate, quàm de parentum divitum dignitate. ¶ ubi nota, quòd aliqui reperiuntur, qui gloriantur, quòd ſciuntur eſſe generoſi: cõtra quos legitur de ſanctô Alexiô, qui fuit de nobiliſsimis Romanorum, & de multis alijs ſanctis, quòd fugerunt, ut eorum nobilitas lateret, & intantum latuit, ut in perſonâ pauperũ eleëmòſynam acciperet à ſervis ſuis: Alij verò ſunt, qui continere ſe non poſſunt, quin interdum aliquod verbum pròferãt, per quod ſe generoſos oſtendant: contra quos Patriarchæ nobiliſsimi judæorum dixerunt corã Pharaone, viri paſtores ſumus: Gen. 47. Iſti ſi verè Chriſti ſervi eſſent, non oſtenderent ſe nobiles; ſed potius contrarium, cum Agathâ nobiliſsimâ dicerent: Ancilla Chriſti ſum, & ideo ſervilem perſonam me oſtendo: Sunt iterum alij, qui his non contenti, faciunt ſe majores, quàm verè fuerunt in ſeculô: contra quos Moyſes negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: Heb. 15. quod credi poterat, nolens ſe extollere ſuper id, quod erat: Cùm ergo omnia hæc, & ſimilia ſapiunt gloriam de dig-

dignitate parentum, interdicuntur.
¶ *Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt, nec de suis divitijs magis superbiant, quia eas in monasteriô partiuntur, quàm sieis in seculô fruerentur.*

CAP. XXXI.

Hîc trâditur mãdatum ad cavendum superbiã, quæ oriri solet in divitibus occasione rerum. ¶ Nota, quòd diabolus inimicus totius boni, nititur impedire, ne bonum propositum concipiatur: quòd, cùm non potest, impedit ne ad effectum perducatur, quòd, cùm nequit, pèrdere labòrat: Apocal. 12. Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritùra, ut, cùm peperisset, filium eius devoraret. Hinc est, quòd multos, qui posteaquàm cõtẽptum mundi ad effectum perduxerunt, tentat de superbiâ, ut bonum jam consummatum pereat. Est autem duplex superbia, scilicèt quædam latens in cogìtatione: Eccles. 11. Non te extollas in cogitatione: Alia apparens exteriùs aliquibus actibus exterioribus: Eccles. 13. Qui communicaverit superbo, induet superbiam. Volens ergo Beatus Augustin. neutram relinqui in divitibus, dicit duo: scilicèt: (Nec extollantur) propter primum: (Nec de suis divitijs magis superbiant) propter secundum.
¶ Nota, in unô vocat religionem communem vitam, in aliô monasterium. Superiùs autem vocat eã san-

ſanctam ſocietatem:Et ſic per tria nomina deſignã tur, quæ pertinent ad tria vota. Dicitur enim ſan ćta ſocietas, contra immunditiam: Communis vita, contra proprietatem : Monaſterium, quod eſt monachorum ſtatio, propter obedientiam.

¶ Nota etiam, quia de bonô opere, & præcipuè mundi cõtemptu non eſt ſuperbiendum: Tum quia omnia bona noſtra ſunt deformia: Eſa. 64. Omnes juſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. Item, Si quid ſunt, à Deô ſunt, & non à nobis: Eſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis:Itẽ ſunt debitum, non gratuitũ: Luc. 17. Cùm omnia benè feceritis, dicite, quoniam ſervi inutiles ſumus, quod facere debuimus,fecimus: Quæ eſt ergo materia ſuperbiendi de aliquibus bonis,cùm ita ſint turpia , cùm non ſint ab ipsô,cùm ſint debitum? Quis enim ſolet de ſolutione debiti ſuperbire? Adhuc de diſperſione omnium , ſpecialiter temporalium,quis audeat ſuperbire? Nonne multi Philoſophi hoc fecerunt ? Nonne innumerabiles hæretici ? Nonne,& ipſe Iudas,& alij quàm plures,qui omnes à dominô ſunt reprobati? Benè ergo dicitur illis(qui divites fuerunt in ſæculô)quòd de collatis in monaſteriô nec extollantur in corde , nec ſuperbiant in opere.

CAP. XXXII.

ALia quippe quæcumquè iniquitas in malis operibus exercetur,ut fiam;Superbia verò etiam bo-

bonis operibus insidiatur, ut pereant. Q.d. Benè necessarium est cavere ab ipsâ superbiâ, quia contra morem aliorum peccatorum superbia nō est solùm in malis operibus, immò òritur etiam ex bonis, & destruit ipsa: ut patet Lucæ 18. de phariſæò justò: Et de illò in vitiſpatrum, qui elatus in cogitatione accepit diabolum in ſpecie mulieris oberrantis. Tangit autem Auguſt. tria, propter quæ ſuperbia prædicta eſt valdè timenda religioſis. Primum eſt, quòd inſidiatur: In quò innùitur, quòd latet apud eos: Hieronym. Superbia in cinere, & cilicio latet: plus autem timendus eſt occultus hoſtis, quàm manifeſtus, quia minus poteſt caveri. Secundum eſt, quòd inſidiatur bonis operibus. Religioſi ſunt ditiores bonis, quia implent non ſolùm præcepta; ſed & conſilia. Et inſùdant diligentiùs in congregandis virtutibus, & meritis, ita ut eis còmperat illud primę ad Corint. 1. In omnibus divites facti eſtis in illò: Mercatori autem quantò ditior eſt, tantò plus timendus eſt latro ſpoliãs: Tertium eſt, quòd dicit (ut pereant:) Invidia enim dolet dè bonò: Accidia differt bonum: Ira simulat bonum, quia quod facit, videtur eſſe juſtum, quamvis juſtitiam Dei non operetur: Jacob. 1. Luxuria dèſipit bonum propter infectionem palati: Avaritia avertit à bonò terrenis ex totò intenta: Gula non curat de bonò dicens illud Eſa. 22. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, venialia maculant bonum; ſed

ſed ſuperbia, quòd pejus eſt, deſtruit omne bonum. Greg. Superbia omnes virtutes deſtruit. Hinc eſt, quòd Job 20. vocatur ventus urens.

Cap. XXXIII.

QUid enim prodeſt diſpergendô dare pauperibus, & pauperem fieri; cùm anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendô, quàm fuerat poſſidendô?

¶ Rèddità ratione traditionis mandati prædicti, rationem reddit obſervationis. Q. ¶. Hoc mãdatum non ſine ratione eſt traditum, & ideo requirit, ut obſervetur: quid enim prodeſt &c. Nota, quòd quidam fuerunt, qui diſperſerunt; ſed non dederunt, ut multi Philoſophi, & hęretici, qui in ſignum contemptûs mundi, per vicos, & plateas diſperſerunt pecunias: Quidam verò diſpergunt, & dant; ſed nõ pauperibus, immô mũdo, ut vani prodigi: Alij diſpergunt, & dant pauperibus; ſed non fiunt pauperes, quia non dant omnia, ut boni eleëmoſynarij in ſæculô remanentes: Similes illi de quô dicitur: Diſperſit dedit pauperibus: Alij verò diſpergunt, & dant totum pauperibus, & fiunt pauperes, quod eſt ſuper òmnia alia: Qui enim hoc facit, nihil illi deeſt: unde loquens dominus adoleſcenti, qui mandata ſervàverat, dixit: Adhuc unum tibi deeſt: Luc. 18. Innuens per hoc, quòd ſi illud haberet, quòd erat omnia dare pauperibus,

& pauperem fieri, nihil ei deeſſet. Cui autem nihil deeſt, in ſummô eſt. Sed veh talibus quantumcumq. ſint magni, ſi ex hôc ſuperbiant. Privantur enim ex hôc octo utilitatibus, quæ ſecundùm Evangelium ſequi ſolent ex tali diſperſione. Tales enim ex hôc non ſolent fieri diſcipuli domini: Lucæ 14. Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus, quę pòſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: unde à contrariô ſenſu, qui huiuſmodi renuntiat, aſſequitur eius eſſe diſcipulus; Sed ſuperbia facit eſſe de familiâ diaboli: Iob. 40. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Secundò àſſequi non ſolent cumulum perfectionis: Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: Perfectus autem eſt, cui nihil deeſt; Sed ſuperbia, quantumcumquè abundet homo, ipſum ex totô annihilat: Eccleſ. 21. Domus, qnæ nimis eſt lòcuples, annihilabitur ſuperbiâ. Tertiò non àſſequi ſolent ſtudium cœleſtis deſiderij. Contemptis enim terrenis, cor elevatur ad cœleſtia: Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agrô, quem, qui invenit homo abſcondit, & præ gaudiô illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Theſaurus ille cœleſte deſiderium eſt. Ager diſciplina cœleſtis ſtudij: Ex diſtributione ergo omnium acquiritur in vitâ diſciplinatâ cœleſte deſiderium: Sed ſuperbia dejicit de cœlô: Luc. 10. Videbam ſathànam ſicut fulgur

gur de cœlô cadentem, ſcilicet propter ſuperbiam, quantò magis à cœleſti deſideriô ? Quartò âſſequi non ſolent per prægustationem conſolationem internam, ſcilicet gaudij cœleſtis : Matth. 10. Nemo eſt, qui reliquerit domum &c. qui non accipiat centies tantum: Gloſ. Omnes, qui propter regnum Dei temporalia ſpernunt, etiam in hâc vitâ regni gaudium prægustant; Sed ſuperbia lætari facit in bonis proprijs : Iob 31. Si lætatum eſt in abſconditô cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meô: Oſculari manum, eſt delectari in operibus ſuis, in quô quia conſolationem habet ſuperbus, privatur divinâ conſolatione: Bernardus: Delicata eſt divina cõſolatio, & non datur admittentibus alienam. Quintò non promittitur eis theſaurus in cœlô: Luc. 18 Omnia quæcumq. habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlô: Diſpèrſerant omnia Apoſtoli; ſed dictum eſt eis Matth. 18: Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intràbitis in regnum cœlorum. Sextò non promittitur eis honor judiciarius: Math. 19. Vos, qui ſecuti eſtis me, ſcilicèt omnibus relictis, ſedebitis ſuper ſedes 12. iudicantes 12. tribus Iſraèl; Sed in die illâ ſuperbus erit ſubtus, & non ſupra: Eſa. 2. Dies Domini ſupèr omnem ſuperbum, & arrogantem, & humiliabitur. Septimò non promittitur illis poſſeſsio vitæ ęternę: Matth. 19. Omnis, qui reliquerit domum &c. vitam æternam poſsidebit; ſed ſuperbia ducit ad mortem æternam

nam: Esa. 14. Detracta est ad inferos superbia tua. Octavô Christô, qui prætiosę Margaritæ comparatur, privantur: Matth. 14. Inventâ unâ pretiosâ Margaritâ, abjit, & vèndidit omnia, quæ habuit, & emit eam: glos. 1. Christum; Sed superbia aufert eum: Psalmus: Et alta à longe cognoscit. Benè ergo dicitur: (Quid prodest dispergendô dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendô, quàm fuerat possidendô? quia per hujusmodi superbiam privatur omni utilitate, quæ sequi solet ex hujusmodi dispersione. Veh igitur animę, quæ tantô fructu privatur, pro tam inutili, & vanâ superbiâ. Veh illi, qui per iter virtutum tendit ad vitium. Veh illi, qui de medicamentô infirmitatem incurrit: Gregor. Qui de virtutibus habitis extollitur, quasi de medicamentô infirmatur. Veh illi, qui hîc depauperatur, & tamen partem non habebit in regnô cœlorum, hîc luget, & ibi non consolabitur. Veh illi, qui de viâ cœli scilicèt angustâ, facit sibi viam inferni. Quanta confusio erit, cùm divites sæculi cum humilitate videbunt cœlos ascendentes, se verò cum paupertate superbâ in bàrathrum inferni pręcipitari? Et ideo benè vocat Augustinus talem animam miseram.

Cap. XXXIV.

NOtanda sunt remedia contra talem elationē. ¶ Primum scilicèt, & optimum est considera-

ratio propriorum defectuum, quibus ſubjacet homo. Unde in Vitiſpatrum dixit quidam ſenex: Quando cogitatio elationis intràverit, ſcrutare conſcientiam tuam, ſi domini mandata cuſtodiſti, ſi inimicos diligis, ſi gaudes in adverſarij glorificatione, ſi contriſtaris in minoratione ejuſdem, ſi recognoſcis te ſervum inutilem, ſi recognoſcis te plus omnibus peccatorem. Sic autem faciebat abbas Moyſes, qui fuit in ſæculô magnus peccator, & poſtea magnæ pœnitentiæ. Cùm enim tentabatur de elatione, recurrebat ad peccata ſua, recogitandô: unde facta eſt ad eum vox dæmoniaca d. Vicisti nos, quia, cùm te exaltamus, tu te humilias: Eccleſiaſtici 11. In die bonorum non immemor ſis malorum. Secundum remedium conſideratio meliorum. Quæ enim reſtat nobis ſuperbiendi occaſio, ſi conſideremus quàm parva ſunt bona noſtra in comparatione ad illa, quæ alij innumerabiles fecerunt? Greg. Sicut incentivum ſuperbiæ eſt reſpectus deteriorum, ita cautela humilitatis eſt conſideratio meliorum. Tertium eſt conſideratio incertitudinis valoris operum noſtrorum. Etenim quandoquè, quod reputamus magnum, nihil eſt in oculis Dei: Gregor. Sordet interdum in oculis jùdicis, quod fulget in oculis authoris. Quamvis autem omnibus ſit neceſſaria humilitas; tamen prædicatoribus ſpecialiter valet ad tria. Valet in prædicatione ad aliorum converſionem: Valet in ſtudiô

ad intelligentiam scripturarum: Valet in operibus bonis ad propriam salutem.

Cap. XXXV.

O *Mnes ergo unanimiter, & cõcorditer vivite.* ¶ Viventibus in cõgregatione nõ est tãtum necessaria pronitas animorum, & communitas rerum, de quibus supra dictum est; sed etiam concordia actionum, de quâ hîc pònitur mandatum. Est autem duplex actio, scilicet intrinseca, & extrinseca: In harum utroque debet esse concordia. Et propter primam dicit hîc: (unanimiter) propter secundam: (concorditer.)

Nota autem, q̃ sex sunt, quæ multum solem cõturbare concordiam, & contraria horum ipsam indùcere. Primum est diversitas animorum: contra quod datum est mandatum supra, cùm dictum est: (Unanimes habitetis in domô, &c.) Secundum est proprietas rerum: Meum enim, & tuum faciunt discordiam. Contra hoc dicitur: (& non dicatis aliquid proprium.) Tertium est acceptio personarum in distributione cõmunium. Cõtra hoc dictum est: (& distribuatur uniquique sicut cuiq; opus fuerit.) Quartum suorum incommunicatio. Contra hoc dictum est: (Qui aliquid habebant in sæculô, libenter velint illud esse commune.) Quintum est voluntas improba nimis habendi: Contra quod dicitur: (qui autem nõ habebant, nõ ea quærant in monas-

nasteriô, quæ nec foris habere potuerunt.) Sextum est superbia: Superbi enim non possunt bene concordare: Contra quam, tanquam multum abundantem, data sunt mandata multa ab illo locô: (Nec erigant cervicem &c.) Greg. In religione concorditer est vivendum, ratione conhabitationis, ratione fraternitatis, ratione religionis.

¶ Sequitur autem triples fructus ex hujusmodi concordiâ. Primus est profectus in bonô: Ambr. Res parvæ concordiâ crescunt; res verò etiam magnæ discordiâ dilabuntur. Secundus est hostis fugatio: 1. Reg. 16. Igitur quandocumquè spiritus Dei malus arripiebat Saül, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saül, & leviùs se habebat: Glos. Diversorũ sonorũ moderatus, rationabilisquè concentus, Ecclesiæ unitatẽ signat. Tertius delectatio regis cœlestis. Sicut enim melodiæ delectant magnates, ne illa concordia regem regum: Eccles. 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo: Et post: concordia fratrum.

¶ Nota tamen quòd, sicut harmonia non semper consistit in omnimodâ æqualitate vocũ; sed in debitâ proportione earũ, ita concordia non requirit semper æqualitatem omninò; sed debitam proportionem inter superiores, & inferiores, in elevatione, & depressione conveniẽti. Tantùm enim superior interdum posset elevari, vel deprimi, quòd nõ concordaret cum inferiori. Similiter inferior.

¶. *Et honorate in vobis Deum invicem, cuius templa facti estis.*

Cap. XXXVI.

EX discordiâ frequenter sequitur in honoratio, modò verbis cõvitiorum in præsentia, modò infamationum in absentiâ, modò factis per injurias, vel in rebus, vel personis: Ideo dicitur Proverb. 20. Honor est homini, qui sèparat se à contentionibus. Benè ergo post mandatum de concordiâ, ponitur mandatum de honore mutuô, quasi sequela ad illud. Ab in honoratione verò mutuâ valdè cavendum est in congregatione. Nihil enim est, quod homines plus diligere soleãt, quàm honorem suum: Et ideo valdè offenduntur ex tali injuriâ. Item, cùm quis in rebus injuriatur, auferendô illas, emendare potest, honorẽ verò nõ sic: Proverb. 25. Quæ viderunt oculi tui, ne pròferas citò in jurgiô, ne postea emendare nõ possis, cùm de honestaveris amicum tuum. Item hujusmodi inhonoratio non solùm homini fit; sed ipsi Deo, qui summè est honorandus: Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, quod intelligitur in bonô, & malô: Econversô in honore exhibitô homini honoratur Deus, quod sic patet: Honorandi sunt omnes homines indistinctè, juxta illud beati Petri: Omnes honorate: Et quid honoratur in homine quôcumque, nisi imago Dei? Honor verô, qui exhi-

hibetur imagini, illi, cujus est imago, potius exhibetur. Item honorandi sunt prælati specialiter: juxta illud Eccles. 10. In mediô fratrum rector illorum in honore: Cujus autem est honor iste, nisi cujus ministri sunt? Unde Maximus in sermone: Dignitas, quæ defertur ministris illi, cujus sunt ministri, exhibetur. Item honorandi sunt devoti viri sancti: Eccles. 10. Semen honorabitur hoc, quod timet Deum: hoc autem fit propter inhabitantem spiritum Dei in illis, sicut capsella honoratur propter reliquias. Bene ergo Augustinus ponens mandatum de honore mutuô, non dicit: Honorate vos invicem; sed (honorate in vobis Deum invicem) quia in fratre, non ipse; sed Deus honoratur. Honoratur quoquè Deus specialiter rebus sibi consecratis, ut sunt oblationes, & temporibus sibi dedicatis, ut sunt Dies festi, locis etiam sibi consecratis, ut est templum: Et sicut honor, qui exhibetur templo, reputatur honor Dei, qui habitat in tēplô, quia unum est propter alterum, ita honorare fratrem est honorare Deum in fratre, cujus est templū: primæ Cor. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos: Quod specialiter convenit viris religiosis, quia & ipsi sunt Deo dicati, ut templum, & ejus habitatio specialis per gratiam, ut templum est specialis Domus Dei, & excellentis nobilitatis ædificium, ut templum: Et ideo bene dicit Augst. (cujus templa facti estis.) Revocandum est autem ad memo-

riam,

riam, quòd Pompejus nunquam fuerit fortunatus, niſi poſtquàm templum fuit à ſuis honoratum. Quantum ergo eſt timendum illi, qui non illud materiale; ſed illud ſpirituale, & ideo charius, in propriâ perſonâ inhonorat? Proinde honorandi ſunt prælati omnes tanquàm patres, juxta illud infra: (Honore coram vobis prælatus ſit vobis) præcipuè verò boni: primæ ad Timotheum 5. Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore habeantur digni. Honorentur ſeniores ætate ſecundùm illud Levitici 19. Coram canô capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Honorentur priores in ordine, tanquàm primogeniti, qui ſuper alios honorabantur in veteri lege: unde Geneſ. 49. dicitur Rubèn primogenito: Non creſcas, ſcilicet ſuper alios, & ſecundũ magiſtrum in hiſtorijs, ideſt ad honorem primogenituræ non aſcendas. Honorentur æquales: Rom. 12. Honore invicem prævenientes. Honorentur, qui aliquid majus fuerunt in ſæculô, venientes ad nuptias Chriſti, & quantò honoratiores fuerunt tantò plus honorentur, ſecundùm quòd dicitur Luc. 14. In parabolâ de invitatô ad nuptias, in illô verbô, ne fortè honoratior te, &c. Honorentur ſacerdotes: Propter quod dicitur Eccleſ. 6. Honorifica ſacerdotes. Honorentur, qui ſunt in gradu ordinis ſuperiòris: Rom. 12. Cui honorem, honorem. Honorentur miſsi à majoribus præcipuè ad aliqua officia ſpiritualia exercenda, ut eſt viſi-

visitatio, & hujusmodi: ad Phil. 2. Et hujusmodi cũ honore habetote: Et loquitur de Epafroditô, quem ad hæc miserat Paulus ad eos. Honorentur confessores, & salutis ministri: Eccles. 38. Honora medicum: quòd si verum est de medicis corporum, quantò magis de medicis animarum? Honorentur donô sapientiæ prediti: Sapientiæ 8. Propter hanc scilicet sapientiam habebo honorem apud seniores. Honorentur specialiter laborantes in docendô, & prædicandô: primæ Tim. 5. Maximè qui laborant in verbô, & doctrinâ, scilicet honorentur. Honorentur sanctitate præcellentes: Credendum est enim, quòd quilibet habeat donum aliquod, licèt lateat, quô nos præcellit, propter quod sunt honorandi: ad Philip 2. In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.

Orationibus instate horis, & temporibus constitutis.

Cap. XXXVII.

TRaditis mandatis de pertinentibus ad religiònem, in quantùm est status degentium in unum in precedenti capitulô, tradit Augustinus in hôc capitulô mandata circa pertinentia ad religiònem, inquantum est status pœnitentiæ. Sunt autem tria, ad quæ reducuntur òpera pœnitentiæ, scilicet Ora-

tio, quâ erigitur animus in Deum, quâ impugnantur vitia animę: Mortificatio carnis, quæ insurgit in animam, quâ impugnantur vitia carnis: Opus misericordię, quò movetur animus piè in proximum, quò impugnantur vitia mundi: Et circa hoc tria tradit mandata: Circa tertium ibi: (Et si his, qui venerunt ex mo. delica.) Circa secundum, ibi (carnem, vestram domate) Circa primum hîc (Orationibus instate.) Sunt autem tria circa orationem valdè cõpetentia religiosis, scilicèt instantia in frequentandô: Intentio in cogitandô: Maturitas in cantandô. Circa quę tradit hîc Augustinus tria mandata: Circa tertium ibi: (& nolite cantare) Circa secundum, ibi: (Psalmis, & hymnis,) Circa primum hîc. Et traduntur duo mandata circa hoc, unum pertinens ad orationes ordinarias, aliud pèrtinens ad orationes extraordinarias, ibi: (In oratoriô nemo aliquid agat.) Ad instandum ergo orationibus ordinarijs, tradit mandatum dicens: Orationibus instàte. Nam, licèt orationi omnibus instandum sit: Rom. 12. tamen specialiùs hoc còmpetit religiosis. Illis enim, qui sunt in tentationibus constitùti, cùm ab his se non possunt defèndere sine adjutoriô altissimi, invocandum est divinum auxilium instanter: Matth. 26. vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Item, cùm secundùm Greg. dona Dei facilè amittantur, nisi à largiente custodiantur, quilibet habens aliquod donum Dei, recùrrere debet

ad

ad largientem, ut custodiat, & qui plus habet, plus debet recurrere. Item in rebus difficilibus præcipuè solet implorari divinum auxilium: Cùm ergo religiosi plus impugnentur à tentationibus, quàm alij: Eccles. 2. Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitiâ, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem: Et plus habeant de donis cœlestibus, & habeant opus arduum præ manibus, scilicèt opus perfectionis dùcere ad consummationem, incumbit eis triplex necessitas plus orandi, scilicèt tentationum assiduitas: Attendorum bonorum facilitas: Proprij negotij difficultas. Præterea multum facit ad opportunitatem orandi occupationum subtractio: Propter quod dicitur Eccles. 18. Ne impediaris orare semper, ideſt ne assumas tibi ea, quæ impediunt te ab oratione. Item multum facit ad idem loci congrùitas: Psalm. Adorabimus in locô, ubi steterunt pedes eius. Item sancta, & devota societas dicentium verbô, & exemplô venite adoremus, & procidamus ante Deum. Item contemplativus obligatur magis ad orādum, cùm secundùm Ber. Oratio semper sit contemplationis. Item viventes de eleëmòsynis tenentur orare pro benefactoribus, exemplô Pauli dic. 2. Tim. 1. Det misericordiam dominus Onesiferi domui, quia sæpè me refrigeravit, & cathènam meam non erubuit. Item sicut divites, qui non possunt multum orare, supplere debent in eleëmosynis: Sic qui

non

non possunt dare eleëmòsynas, debent hoc in orationibus compensare. Licèt autem religiosis multùm instandum sit orationibus, tamen magis (horis,& tèporibus constitutis) Hoc enim,sicut dicit Gilbertus sancti Ruffi abbas expòsitor hujus regulæ:Nõ est solùm oratio;sed etiam obedientia:Constat autem, quòd duplex bonum melius est. Item horis,& temporibus constitutis còvenit, non solùm unus conventus ;sed innumera multitudo per universum orbem ad orandũ: Cùm ergo , sicut dicit scriptura, impossibile sit preces multorum non exaudiri, sperari debet, quòd,& si non ratione sui, tamẽ ratione multitudinis orantis, cui se adjungit, debet citius exaudiri. Item probabile est, quòd, sicut locus deputatus orationi facit, ut preces citius exaudiantur , sic etiam tempus statutum à spiritu-sanctô : Esaiæ 49. Tempore placitô exaudivi te: Sicut , & pauper veniens ad eleëmosynam statutâ horâ citius accipit. Quamvis autem omnibus septem horis canonicis nobis instandum sit orationi, tamen specialiùs quibusdam horis, scilicet Matutinis, Primâ , & Completoriô, contra quod sunt aliqui, qui vix surgunt ad Matutinas ; sed occasionibus fallaciter receptis quasi semper rèmanent, quasi sufficiat eis divinis laudibus interesse solùm de die. Non videntur isti pertinere ad illam beatam turbam innumerabilem astantem ante thronũ Dei, de quâ dicitur Apocal. 7. quòd non solũ die, im-

immò die, ac nocte ſerviunt ei in templô eius. Non ſunt iſti de illis animalibus fâctis, quę nec die, nec nocte requiem habent dicentia : Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt: Apocal. 4. Non ſunt iſti de illis cuſtodibus ſanctæ Eccleſiæ, qui non ſolùm de die; ſed etiam totâ die, & totâ nocte perpetuò nõ tacent, ſcilicet laudàre nomẽ Dñi: Eſa. 63. Excitatur, qui hujuſmodi eſt: Tre. 2. ubi dicitur: Conſurge, ideſt cum alijs ſurge, lauda in nocte. Davìd nec occupationibus regijs diurnis, nec nocturnis delicijs uxorũ retrahebatur, quin de nocte sùrgeret ad laudes Dei: Nam dicit: Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Chriſtus interdum, non ſolùm partem noctis; ſed etiam totam noctem expendebat orandô: Luc. 6. Et erat pernoctans in oratione Dei. Paulus, & Silas non impediebantur anguſtiâ cârceris, quin mediâ nocte laudarent Deum, Act. 16. Infælices ſomnolenti illi, qui tantorũ exẽplô non excitantur ad Matutinas. Præterea mulieres ſolent sùrgere de nocte pro ſolicitudine domûs ſuæ: Proverb. ultimô: De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis: Item artifices magnâ parte noctis vìgilant: Studentes ſapientiæ ſurgunt de nocte: Si ergo ſtudioſi pro ſapientiâ acquirendâ, & artifices pro lucrô, mulìeres pro curâ domûs ſuę ſic ſurgũt de nocte, quantò magìs oportet ſervos Dei pro ſervitiô regis æterni ſurgere de nocte? Præterea tem-

tempus nocturnum aptius est actibus contemplationis, quia liberius, & quietius est ab occupationibus: Ideo dicitur in Psal. In die mandavit dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Item benedictio nō solùm debètur Deo de die; sed etiam de nocte: Psal. Non dormitàbit, neque dormiet, qui impugnat Israël, cui resistitur per sacras vigilias: primæ Mach. 12. Cùm sol occidisset præcepit Jònathas suis vigilare, scilicèt propter adversarios, quos audierat nocte superventuros: Item somnolentos frequenter comitantur carnales tentationes: Has autem rèprimunt honestę vigiliæ: Eccles. 31. vigilia honestatis tabefaciet carnes. Item, sicut dominus veniebat ad Balaàm de nocte: Numeri 22. ita frequentius in hujusmodi silentij tempore visitat animam, & immittit consolationes internas. Job 35. Qui dedit càrmina in nocte, id est gaudiosas consolationes. Item surgentes ad Matutinas multipliciter se purgant. Surgēdum est igitur libenter ad Matutinas, ne tempus aptissimum orationi amittāt, ut debitum benedictionis Deo plenè reddamus, ut impugnatę Ecclesiæ succurramus, ut tentationes carnis evadàmus, & meritum satisfactionis nobis acquiramus, ut consolationum sanctarum partìcipes efficiamur, ut corpori in Dei servitiô de sanitàte provideamus.

*** *** ***

De

¶ DE COMPLETORIO. Cap.) XXXVIII.

SUnt aliqui fugientes Completorium: tamen ecõtra, cum magnâ diligentiâ caveant fratres, ne unquam horam iſtam amittant, & hoc multis de cauſis. Conſtat enim, quòd hora illa eſt, in quâ de labore activæ tranſitur ad quietem contemplativę. Propter quòd tunc cantatur: Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. Bonarum autem mentium eſt libenter hujuſmodi tranſitum facere, nec occupationes activæ ultra diẽ prolongare, ſecundùm illud: Exivit homò ad opus ſuum, ſcilicèt qui ratione ùtitur, & ad operationem ſuam uſquè ad veſperam, ſcilicet & non ultra. Item, cùm ſit tempus tacendi, & loquendi: Eccleſ. 3. Iſta hora eſt, in quâ incipit ſilentium apud religioſos, quod omnes boni libentius debent accipere, quàm locutiones: Auguſt: Loquela ſit in neceſsitate, taciturnitas in jocunditate. Item iſta eſt hora, in quâ animalia ſancta, quæ per diem vadunt ad exteriora, revertuntur ad interiora: Unde & in principiò dicitur: converte nos Deus ſalutaris noſter, ſcilicèt ab exterioribus ad interiora. Item ſecundùm morem noſtrum Completorio ſunt annexæ orationes ſecretæ, quarũ fructum frequenter amittunt, qui non interſunt. Item in illâ horâ ſunt multa, quæ non

fiunt in alijs horis, quæ habent aliquem effectum gratiæ conferendæ, ucut est Aspersio aquæ benedictæ, Benedictio prælati. Item remanentes à Completoriô, ut frequenter pejùs expendunt illud tempus, quàm remanentes ab alijs horis diurnis. Item hujusmodi remanentes solent alios inquietare suis vigilijs, & clamoribus, & tardò ingressu ad dormitorium, quod valdè cavendum est circa servos Dei. Qui enim ipsos inquietat, spiritum sanctum in eis habitantem contristat. Item alios scandalizat. Videntes enim eos remanentes à Completoriô, non de facili habent rationē judicandi, quòd remaneāt, nisi ex causâ minus sufficiēti, & sic in eis scandalizatur. Si autem ille, qui scandalizat unum de pusillis, èxpedit, ut suspendatur mola asinaria in collô eius: Matth. 18. Quid de illô sentiendum, qui conventum scā dalizat? Item solemniter recommendamus nos Beatæ Virgini in Completoriô: Constat autem, quòd èfficax est valdè recommendatio tam solemnis: Unde magister Jordanus narrat se audisse à quôdam religiosô, quòd quando fratres dicebant eja ergo &c. videbat Beatam Virginem flexis genibus recommendantem ordinem filio suo. Intersint ergo libenter fratres Completorio, propter amorē contemplationis, propter amorem silentij, propter curam proprię conscientiæ, propter fructum secretarum orationum, propter assequendum fructum aliarum gratiarum, propter cautelam temporis non inutiliter

ter expendendi, propter vitandam inquietudinem, & scandalum fratrum, & propter devotionem ad Beatam virginem. Quid autem mirum si viri spirituales advesperascente die libenter transeunt ad quietem, cùm etiam aves garritum tunc dimittant, & quiescant? immò, ut dicit Plinius, tota multitudo apum in alveàri ad sonitum unius circumvolantis illà horâ quiescit sine strepitu usquè mane, & tunc ad sonitum ejusdem circumvolantis consurgunt.

¶ Prædicta igitur duo tempora sunt apta orationibus secretis, quia Matutinum precedit occupationes diurnas, Vespertinum verò sequitur, & ita utrumquè liberum est ab occupatione. Ista sunt illa duo sacrificia legalia, non carnalia; sed spiritualia, scilicet Matutinum, & Vespertinum, quæ quotidie jubentur offerri: Exod. 19. Orandum est specialiter in mane, & serò, ut primordia, & utilia actionum nostrarum offerentes ipsi, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, debitas primitias inchoationis, & decimas consumationis persolvamus eidem. Item orandum est mane, ut in actionibus diurnis oratione dirigamur: Et hoc sonat oratio, quæ dicitur in Primâ, orandum est in serò, ut oratione contra tentationes nocturnas muniamur, & hoc sonat oratio, quæ dicitur in Completoriò: Istę autem orationes non mutantur, sicut orationes, quæ dicuntur in alijs horis, secundùm diversa tempora: quia immutabiliter his de causis semper ora

orare debemus in his duobus temporibus. Item orandum est mane propter futura, ut benè fiant: Serò propter præterita mala, ut remittantur.

¶ *In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factū est, undé & nomẽ accepit, ut si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui illi aliquid agendum putaverint.*

Cap. XXXIX.

Hîc tradit mandatum circa orationes extraordinarias, quia non sunt necessitatis; sed voluntatis: nec tradit mandatum, ut fiant; sed mandatum, ne impediantur.

¶ Nota circa expositionem hujus verbi Oratoriū, quod dominus universorum, non solū de personis retinuit sibi ad ministrādum aliquos specialiter, ut ministros ecclesiæ; sed & de rebus decimas ad ministrorum substẽtationem, de tẽporibus Dies solemnes, & de locis aliqua sibi specialiter apropriavit ad serviendum sibi: Inter quæ unum est Oratoriū, quod dicitur ecclesia: idest congregatio ratione eorum, qui ibi conveniunt: Dicitur etiam templum ratione illius, in cujus nomine conveniunt, scilicèt Dei: Tẽplū.n. dicitur à theos, quod est Deus, & platea, quasi Dei platea: Et Oratorium ratione ejus, quod frequẽtiùs, & principaliùs fit ibi, oratio.

¶ *Ad quod factum est.* ¶ Videtur, quòd tempore gra-

gratiæ non debeat esse locus aliquis proprius ad orandum. Mulieri enim Samaritanæ quærenti, ubi esset locus orandi, respondit dominus: Venit hora, in quâ veri adoratores adorabunt in spiritu: ergò non est curandum de locô? ℟. Non est in locô ponenda talis fiducia, quòd non credat aliquis alibi se non posse audiri, sicut faciebant aliqui judæi; sed curandum est ex alijs causis de locô. Si enim non esset aliquis locus orationibus deputatus, cùm tunc nescirctur, utrum orarent homines, vel non, multi omitterent orare. Item, cùm vadit quis ad locum deputatum orationi, plus laborãdô, plus meretur. Item ipse locus ad hoc deputatus, ad hoc incitat, sicut locus deputatus comestioni ad comedendum, & similia: Et ideo, licèt orationis virtus sit in spiritu, tamen deputatur locus propter jam dicta.

Cap. XXXX.

Nemo aliquid agat. ¶ Videtur, quòd non liceat in Oratoriô prędicare, cófessiones audire, & similia. ℟. Ista spiritualia exercitia, quibus animi eriguntur in Deum, secundùm quandam nominis extensionem vocantur orationes quandoquè, quia oratio est ascensio animi in Deum: Unde quædam glos. super illud: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejuniô, & oratione, dicit: Oratio generalis, non solùm est in verbis; sed in omnibus, quę in obsequium Dei, & fidei devotionem gerimus: Si-

cut ergò sub parte satisfactionis, quæ est jejunium comprehenditur omnis carnis afflictio, & sub eleëmòsynâ omne genus pietatis, ita sub oratione omnes actus spirituales.

¶ Utrum liceat in casu ibi comedere, vel jacère? ℟. non regulariter; sed dispensativè, ex causâ.

¶ Utrum liceat ibi dispensativè èmere, vel vèndere, sicut comèdere? ℟. non: quia ista quasi nũquàm exercentur sine peccatô: Unde, & dominus cum indignatione ejecit ementes, & vendentes de templô. Ex his cõllige, quòd actiones spirituales regulariter possunt ibi fieri: & actiones corporales, quæ sunt necessitatis, & sine peccatô, possunt ibi fieri dispensativè: Actiones verò, quæ vix, vel numquàm sunt sine peccatô, nullatenus debent ibi fieri, nisi fortè in necessitate grandi.

Cap. XXXXI.

NOta, quia in hôc quod Aug. prohibet impediri illos, qui fortasis interdum orare volunt præter horas constitutas, manifestè commendat hujusmodi secretas orationes, quæ proculdubiô sunt signum evidens sanctitatis, & à viris sanctis cum omni diligentiâ sectandæ. Hujusmodi exemplum relìquit nobis Salvator, qui, cùm nullô indigeret, totiens tamen legitur orasse sic. Item Apostoli ministerium mensarum propter hoc reliquèrunt: Act. 6. Item ferè omnes sancti antiqui: Unde Paulus hæremi

mita mortuus inventus est appodiatus ad àrborem ore,ac manibus in cœlum erectis,quasi orans.Hujusmodi exemplum specialiter reliquit nobisB.Dominicus, qui tam frequenter etiam pernoctabat in oratione carens lectô. Hujusmodi exemplum reliquerunt nobis patres primitivi, quorum tempore Ecclesia erat plenaFratribus orantibus antè altaria prostratis. Nam hujusmodi orationes habent aliquas prærogativas super orationes ordinarias.Illæ enim,quę sunt in communi officiô,pro majori parte sunt potius laudes,quàm petitiones:Laudes verò pertinent magis ad patriam,quæ est in plenitudine: & ad vitam,in quâ est status indigentię,magis pertinent petitiones:Secretę autem orationes magis sunt petitiones:& ideo magis in præsenti necessariæ.Præterea in communi officiô,cũ sint ibi petitiones certę,& interdum tales,quibus,qui interest,non multũ indiget,in orationibus verò secretis petit quilibet, quod sibi placet:Cuilibet autẽ magis necessariũ est laborare pro eô,quô magis indiget. Prętera orationes communes sunt de institutione ecclesiæ, secretæ de institutione Dei: Juxta illud Matth.6. Tu verò clausô hostiô ora patrem tuum.Et de sic orandô legitur exemplum dedisse dominum,de aliô verò modô orandi non,&ideo sunt majoris necessitatis, unde & ad omnes pèrtinent. Item sunt magis mentales, quàm vocales, hoc autem multum facit ad efficaciam orationis: Psal. Cùm invocarem, id-

est intus vocarem, exaudiste me Deus. Præterea gè-nerant majorem affectionem, potest enim sic orans plus immorari circa singula meditandô: ex hujusmodi autē morosis cogitationibus generantur majores affectiones desideriorum sanctorum, quæ faciunt orationes efficaciores: juxta illud Psal. Desiderium cordis eorum audivit auris tua. Præterea sunt puriores: quia nihil vanitatis eis admisceri potest, sicut vocalibus, quæ sunt coram hominibus. Præterea magis in promptu possunt haberi: quia cō-munes indigent libris, interdum locô, sociis, & tempore: In istis verò non sic: Psal. Apud me oratio Deo vitę meæ. Item deficientibus verbis corporis, istam orationem non oportet deficere: Unde de B. Martinô dicitur: Invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

Cap. XLIII.

NOta etiam, quòd libentius est orandum in locô sacrô: piè enim creditur, quòd facilius dominus exaudit orationes, quæ fiunt in locô sibi dedicatô. Item credendum est, quòd Angeli talem locum sanctum magis frequentent, qui aptior est illis ad offerendum orationes eorum coram Deô. Probabile enim est, quòd dæmones, qui libenter impediunt orationes, non audent ita accedere ad locum sacrum: Genes. 28. Quàm terribilis est locus iste. Item omne Oratorium est consecratum in hono-

norē alicujus ſancti: Pium eſt autem credere, quòd ſanctus patronus eccleſiæ ſpecialē curam habeat de convenientibus illic, ſicut princeps de his, qui conveniunt ad loca ſui dominij. Item ibi ut frequentiùs eſt corpus Chriſti, reliquiæ ſanctorum, imagines Crucifixi, & B. Vir. & ſanctorum, quæ ſenſibiliter introducunt in mentem horum memoriam, quæ multùm valent ad excitandam devotionem: Devotior autem affectus ſummè facit orationem efficacem: Aug. Dignior ſequetur effectus, quando ferventior præcedit affectus.

Cap. XLIII.

SCiendum etiam, quòd, licèt ad ſervos Dei devotos pertineat ſic libenter orare; tamen propter hujuſmodi orationes extraordinarias non debent dimittere ea, quæ ordinariè ſunt facienda, & ideo dicit Aug. (ſi eis vacat,) Innuens quod, cùm inſtant aliæ occupationes ordinarię, non ſunt propter orationes hujuſmodi dimittendæ. Qui enim propter orationes hujuſmodi dimittit facere, quod debet ſecundùm votum profeſsionis, eſt ſicut uſurarius, qui libentiùs dat, quod non debet, quàm red dat, quod debet, contra quem Rom. 13. Rèddite omnibus debita. Item inſiſtere orationibus hujuſmodi, relictis communibus occupationibus, ſapit ſingularitatem: hoc eſt autem, quod multum nocet in religione, ſicut fera in vinea: Pſalm. Singularis

ferus depaſtus eſt eam , ſcilicèt vineam Domini. Item iſtæ procedunt ex propriâ voluntate;illæ autem ex alienâ ordinatione.Item ille,qui facit,quod alij faciunt, non habet unde de vanâ gloriâ tentetur, ſicut ille , qui non eſt ſicut cæteri hominum: Oratio autem extraordinaria facilius fermentatur vanitate, ergò minus accepta,quia noluit dominus in lege,quòd in aliquô ſacrificiô offerretur fermentum.Item talis eſt,ſicut ovis ſegregata, quam facilius invâdit lupus, ut patet de B.Thomâ Apoſtolô, qui ſegregatus ab alijs dominum videre non meruit.Sicut Abbas facit quandoquè pictantiam in cõ ventu , & non vult, quòd habeant, qui non interſunt cum alijs , ita dominus ſpirituales gratias, & conſolationes.

Cap. XXXXIV.

SCiendum eſt autem , quòd non ſolùm ſpirituales occupationes, ut lectio, officium eccleſię,& hujuſmodi non ſunt dimittendæ propter hujuſmodi orationes;ſed nec etiam corporales actiones,quę ſunt ad vitæ ſuſtentationem neceſſariæ,ut ſunt procuratio neceſsitatum, opera officiorum, & ſervitia varia pro fratrum neceſsitatibus.Certum eſt enim, quòd ex his occupationibus ſequitur aliqua utilitas;de oratione verò ſuâ neſcit aliquis utrum ſit efficaciæ ante Deum, ut ſibi,vel alijs multum proſit: Certa autem bona præferenda ſunt incertis:Auguſt.

Te

Tene certum, & dimitte incertum. Item palliô hujusmodi orationum, quasi vitæ contemplativę frequenter nutritur accidia, & fugiuntur opera laboriosa: contra illud Eccles. 7. Ne òderis laboriosa opera.

Cap. XXXXV.

ATtendendum autem, quòd, licèt in omnibus fratribus sit reprehensibile dimittere laboriosa òpera, quibus necessitatibus fratrum subvenìtur propter orationes hujusmodi; tamen plus in fratribus laicis. Non enim esset laudabile, quòd à patrefamilias vocatus ad laborādum operarius in vineâ, propter orationem longam, quam faceret in ecclesiâ, illud dimitteret: Ipsi autem fratres laici vocati sunt propriè ad operandum, sicut clerici ad alia spiritualia: & ideo habent diligenter exercere: 1. Corint. 7. Unusquisquè, in eâ vocatione, quâ vocatus est, in eâ permaneat. Item divisiones gratiarum sunt datæ ad hoc, ut ìnvicem se juvent servi Dei: Sicut ergo clerici ministrant eis gratias spirituales doctrinę, & officij, & hujusmodi, quas acceperūt, ita & illi debent eos adjuvare: 1. Petr. 4. unusquisquè sicut accepit gratiam, in altèrutrum illam administrantes. Item in corpore unô sunt multa membra habentia actus, & officia diversa, & unumquodquè membrum servit de officiô suô, & of-

officium alterius non assùmit: Laici ergò, qui sunt manus, cujus est operari, melius faciunt hoc solicitè agendò, quàm si assumerent oculi officium contemplationi ultra modum vacandò. Præterea cogitare debent, quòd qui sustinent Prędicatores, sicut Pauli sustentantes vitam, participes sunt bonorum, qui per eos fiunt: Matth. 10. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ recipiet. Item sæculares laborant vehementer pro vitâ suâ quomodò habendâ in mundò, quantò magis fratres laici pro vitâ gloriosâ? Propter hoc igitur laudabilior est frater laicus, qui succinctè dictarum orationum, ad quas tenetur, dimittit solemnitatem, & multitudinem Missarum, & prolixitatem officij in Matutinis, & aliò tempore, & occupationes in Missis privatis, & orationes extraordinarias, ut plus de tempore expendat in corporali labore, quàm qui in his se dètinens, & òccupans, minus operatur tempore operandi: præcipuè cùm non sit sine magnò periculò in ordine paupere, & de eleëmòsynis vivente, hujusmodi eleëmosynis pasci ille, qui non est aptus ad seminandum spiritualia aliqua, nisi per fructum sui laboris hujusmodi recompensèt.

Cap XLVI.

Psalmis, & hymnis, cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.

Li-

¶Licèt propriè loquendô omnis psalmus sit hymnus; tamen hymnus est laus Dei cum canticô, & quandoquè restringitur ad illos hymnos, qui habêt notabiliores cantus, & ideo accipitur hîc pro illis, qui in officiô divinô habent distinctum modum in cantu à psalmodiâ: ut sit sensus: (cùm oratis Deum) psallendô, sive aliô modô (hoc versetur &c.) vel aliter: psalmis, ideſt orationibus secretis, & hymnis: ideſt orationibus sonorosis, scilicèt publicis. Utrum obliget hoc mandatum? R. sicut sit in canonicâ scripturâ: Augustinus enim quædam ponit in regulâ, quæ non sunt tùm præcepti, quàm incitamenta ad bonum, de quàrum numerô hoc est unum, unde virtute regulæ non obligatur ad hoc aliquis aliter, quàm obligetur ex jure divinô: Cordis autem evagatio in orationibus, aliquando àccidit ex infirmitate humanâ, aliquando ex negligentiâ, aliquando ex propositô: Licèt autem totum sit reprehendibile; tamen tertium magis, quàm secundum, & secundum magis, quàm primum. Item sunt quædam cogitationes cujusdam necessitatis, sicut cùm incumbit aliquid alicui, de quô oportuit eum cogitare: Sap. 9. Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: Aliæ vanitatis: Psal. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: Aliæ iniquitatis: Sap. 1. Perversæ cogitationes separant à Deô: In oratione ergô cavendum est à primis; sed plus à secundis, plus à tertijs. Item quædam oriun-

tur

tur ex immissione dæmonum: quædam etiam ex culpâ præcedenti, ut, cùm quis ante orationem adeo est vagus, quòd illâ occasione occurrunt ei orãdô, sicut & in somniandô, quæ ipsum impediunt: quædam ex culpâ præsenti, ut, cùm quis dicendô officium se òccupat in alijs: Primum malum, secundum pejus, tertium pessimum. Item in orandô occurrunt quandoquè cogitationes utiles, & de pertinentibus ad orationem, ut, cùm occasione alicujus verbi occurrentis in oratione cogitat quis aliquid utile ad sermonem: quandoquè quidem utiles; sed de impertinentibus, quandoquè, & impertinentes, & inutiles, immô quandoquè nocivæ: Primę habent aliquam excusationem: Secundæ minorem: Tertiæ minimam. Multùm igitur debent omnes, & maximè religiosi dare operam, ut orandô versetur in corde, quod profertur in ore, aliàs oratio eorum erit simiàtica. Simia enim interdum labia movet ad modum orantis, licèt nesciat, quid dicat: Matth. 15. Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. Item, cùm quis lòquitur proximo suo, cogitat in cô, quod dicit, & tantò magis, quantò major est, cui lòquitur: Cùm ergo orandô loquamur summo Deo, quantum cogitare debet quilibet in oratione suâ? Bernardus: Cùm ad orandum in Ecclesiam intràveris, fluctuantium cogitationum tumultum relinque exteriùs, ut soli Deo vacare possis. Item oratio cibus est cordis, sicut enim amittit dul-

dulcedinem boni morſelli, qui non màſticat eum, ſic dulcedinem ſpiritualē orationum, qui non cōn terit dentibus intelligentiæ:Ber.Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit: nō negligat anima illum terens dentibus intelligentiæ,nè ſi fortè integrum glutiat, fruſtretur ſapore palatum dulciore ſuper mel,& favum. Item in oratione pètimus, ut Deus nobis intendat juxta illud: Intende mihi , & exaudi me: Quomodo autem eſt probabile, quòd hoc faciat,ſi nos nobis non intèndimus? Bernardus: Quomodo mihi intendet, qui mihi non intendo ? Item quod magis efficax eſt in oratione, eſt ex parte cordis: Auguſt. Potiùs ad vocem cordis , quàm corporis aures ejus : Et Iſidor. Oratio cordis eſt , non labiorum , nequè enim verba deprecantis Deus intendit;ſed orantis cor àſpicit:qui ergò cor non habet in oratione, ſùbtrahit, quod melius eſt in oratione,quod,ut evitetur,recolligendum eſt cor,cùm accèditur ad orandum: Interdum etiam reſpiciendum eſt in librō,ut meliùs cor applicetur ad ea,quę dicuntur. Quamvis autem ex infirmitate humanâ homo non poſsit habere cor multùm in orationibus ſuis; non tamen propter hoc tepeſcendum eſt ab oratione: quia pauper,licèt non ſemper clamet, tamen ſola inſtantia cordis diu ſedendō ad portam dominum mòvet ad miſericordiam, & multò magis de miſericordiâ Dei eſt confidendum.Item cùm à principiō orationis fuerit intentio meritoria, totum

tum opus, quod sequitur, est meritorium, licèt non semper actu cogitetur de illô: & valet opus orationis, & si non per modum orationis; tamen per modum meriti.

Cap. XXXVII.

ET nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autẽ non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.

¶ Hîc tradit mandatum circa maturitatem in cãtandô, ut non aliûd, quàm quod scriptum est, cantetur, cùm dicit: (nolite &c.) Neque aliter, cùm dicit: (Quod autem non ita, &c.) Licèt hæretici reprehendant cantus vocales Ecclesiæ; tamen Ecclesia non sine multâ ratione ipsos instituit. Habet enim hujusmodi cantus, sive jùbilus multos utiles effectus. Unde est, quòd cor liquefacit in affectum sanctum. Unde de beatô Augustinô scriptum est: Flebat autem uberrimè in hymnis, & canticis suavè sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. Alius mentem èlevat: Greg. Oculos cordis attollit jùbilus laudis. Unde multi rapiuntur in èxtasim in hujusmodi jubilatione, & ideo postquàm dictum est in psal. In Ecclesijs benedicite Deo domino, sequitur: ibi Benjamin adolescèntulus in mentis excessu. Tertius tristitiam malam depellit: Glos. super illô verbô Jacob. 5. Tristatur aliquis vestrum: crebra psalmodiæ dulcedo nocivam tristitiæ pestẽ de-

depellit. Ideo dicit David: Exultabunt labia mea, ideſt ita replebor gaudiô, quòd in labijs apparebit, cùm cantàvero tibi. Quartus præparat viam cordis domino ad infuſionẽ multiformium gratiarum: Greg. ſuper Ezech. Cùm vox pſalmodię per intentionem cordis àgitur, omnipotenti domino iter ad cor pręparatur. Iſti effectus ſunt in animâ. Quintus diabolum fugat: 1. Reg. 16. David tollebat citharam, & pſallebat manu ſuâ, & refocillabatur Saũl, & leviùs ſe habebat, recedebat enim ab cô ſpiritus malus. Sextus Deum delectat: 1. Cant. Sonet vox tua in auribus meis. Septimus militantem Eccleſiam aſsimilat triumphanti, quę ſemper jubilat: Bernar. ſuper Can. Nihil in terris ita propriè repræſentat quendam cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. Octavus inimicos Eccleſiæ conturbat: 2. Paral. 10. Cùmquè cœpiſſent laudes canere, vertit dominus inſidias inimicorum in ſemetipſos, & percuſsi ſunt.

Cap. XLVIII.

POrrò circa libros Eccleſiaſticos benè correctos, & benè legibiles habendos eſt magna diligentia facienda. Per ipſos enim dirigimur in eâ, quæ pertinent ad Deum, per ſcholaſticos verò in ea, quæ pertinent ad proximum, ut eſt docere, prædicare, & hujuſmodi: Magis verò curandum eſt nobis de his, quæ pertinent ad Deum, quam proximum.

Item

Item hujusmodi libri sunt communes, & omnes illis utuntur, non est autem ita de scholasticis: communia verò præponenda sũt proprijs. Item ad istos necesse habent recurrere senes, & malè videntes, & minus provecti. Item pertinent ad ornatum Ecclesiæ. Item ex defectu eorum fiunt defectus, & errores in officiô, unde plures turbationes, & scandala oriuntur, quàm ex insufficientiâ aliorum librorum quæ valdè sunt cavenda in servitiô divinô. Cavendum est autem cuilibet, nè aliud, vel aliter, quàm scriptum est in libris, cantet, vel legat ex propriô sensu: magis enim sequenda est auctoritas majoris, quàm etiam ratio, quia hoc humilitatem, illud præsumptionem sapit, sicut dicit expòsitor regulę. Prętera si iste vult cantare aliud, quàm scriptũ est, & ille similiter, fiunt divisiones, & turbationes in officiô. Item tolerabiliùs est aliquid minus benè cantari, vel legi, dummodo non sit error intolerabilis, qui nusquàm invenìtur in libris, quàm fieri turbationem in officiô, & ideo semper est faciendum secundùm libros, valdè etiam curandum est cuilibet, ut sciat, quæ scripta sunt de officiô, si enim studetur cum tantâ diligentiâ in illis, ad quæ nullus tenetur, quantò magis ubi addiscunt homines illa, ad quæ tenentur? Hæc enim est scientia salutaris, ideſt ad salutem pertinens.

Cap. XLIX.

Carnem vestram domate jejunijs, & abstinen-

tia

ti â eſcæ, & potûs, quãtum valetudo permittit.

¶ Hic tradit mandata circa ſecundam partem pœnitentiæ, quæ pertinet ad carnis macerationem. Et circa hanc dat tria mandata. Primum pertinet ad potentes, ibi: (Carnem veſtram, &c.) Secundum ad impotẽtes, ibi: (Cùm autem aliquis, &c.) Tertium ad utroſque, ibi: (Cùm accèditis, &c.) Et vide, quòd ſecundum ſurgit ex primô, tertium ex ſecũdô. Cùm enim dicit, quantum valetudo permittit, quia poſſet aliquis dicere: Quid faciendum ergò eſt in impotentibus? ſubjungit: (cùm autem aliquis non poteſt jejunare, &c.) Et quia in illô dicit, non tamen extra horam prandij: Ideo quid in prandiô utriſque ſit agendum, ſubjungit: (Cùm acceditis, &c.) Circa primum verò dans mandatum dicit, quid carni faciendum, quia domanda, non extinguenda, & per quæ, quia per duo, ſcilicet per jejunia, & per abſtinentias duplices, ſcilicet eſcæ, & potûs. Quamvis enim ad omnes ſervos Dei pertineat carnem domare; tamen ſpecialiter requiritur hoc à Prędicatore. Prædicatores enim frequenter prędicant Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, & ad hujuſmodi etiam crucifixionem alios indùcunt: Quanta autem verecundia eſt hujuſmodi prędicari à corpore incraſſatô? Item Prędicatoris eſt in prædicationibus, confeſsionibus, conſilijs perſuadere, vel impònere alijs, ut carnem domẽnt: quid autem prodeſt hu-

hujusmodi ita esse solicitum de alijs circa ista, & pro salute suâ digitô nolle talia tangere? Ideo dixit Apostolus: Castigo corpus meum, & in servitutem rèdigo, ne fortè, cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Item Prædicatoris est discurrere per mundum inter fœminas, & alia incentiva ad malum, & ideo, si corpus ejus non fuerit edomàtum, de facili præcipitabit eum. Et ideo dixit sancta Sinclètice in vitis patrum. Jejunium frenum est monacho ad peccatum. Item Prædicator est nuntius missus à rege cœlesti, non solet autem credi nuntio, nisi ostendat signa, per quæ constet ipsum verum esse nuntium, & de familiâ illius, à quô dicit se missum: Prædicator igitur debet signa domini sui portare manifesta: Hæc autem sunt carnis maceratio: Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt. Item Prædicatoris est per famam sanctitatis mundum attrahere ad se, quod maximè fit per abstinentiam, sicut patet de sanctô Joanne Baptistâ. Item Prædicatoris est laudes Dei dulcius personare: Pellis autem pinguis non benè rèsonat: Ideo sicut de pellibus meliùs desiccatis fiunt tympana ad benè cantandum: sic dulciùs rèsonat laudes divinas Prædicator siccus, quàm pinguis: & ideo secundùm Expositionem Gregor. dicitur in Psal. Laudate dominum in tympanô, quod fit scilicèt de pelle desiccatâ. Item Prædicatoris est prædicare de scripturis sanctis, & ideo debet se aptare ad pene-

trandum ſubtiliter, ad quod multùm valet carnis maceratio, quia ſecundùm Hjeron: pinguis venter non gignit ſenſum tenuem: Danièli enim veſcenti leguminibus, & aquà data eſt intelligentia viſionum. Item Prædicatoris eſt indùcere homines ad vitam Chriſti tenendam, ut, ſicut ipſe ambulavit, ita & ipſi ambulent: meliùs autem docet pingere, qui non ſolùm verbô; ſed imaginem oſtendendô, docet, & ideo Prædicator debet vitam Chriſti, non ſolùm verbis prædicare; ſed etiam in ſe oſtendere: & ideo Paulus 2. Corinth. 4. Semper mortificationem Jeſù in corpore veſtrô circumferentes, ut & vita Chriſti in corporibus veſtris manifeſtetur.

Cap. L.

SEd ſunt quidam miſeri religioſi, qui non ſecundùm ſpiritum; ſed ſecundùm carné ambulantes ventris ingluvie ſuperati viræ auſteritatem, quam aſſumpſerunt voluntariè, poſt experientiam exhorrentes, inconvenientia multa hâc occaſione committunt: hoc eſt enim, quod interdum eos fugat de ſtatu clauſtrali, ſicut dicitur de lupô famelicô, quòd fames fugat eum de nèmore. Modò ſi occurrat opportunitas, facilè tranſeuntes ad dignitates, contemptô periculô curæ animarum: modò ſi hoc non poſſunt, libenter morantes in curijs, etiam in ſtatu verecundiæ plenô: modò ad aliam religionem ſe transferentes non animô auſteriorem vitam

ducendi; sed laxiorem: modò, quod pejus est, cum apostasiæ crimine ad Ægyptum sæculi propter ejus cibaria reverentes, & in his omnibus ventris refectionem quærentes: & cùm eam invenerint, non possunt ab eâ separiri; sed in eâ detenti, nunquam revertuntur ad claustrũ: sicut corvus adhærens cadaveri non est ad arcam reversus. Item hoc est, quod remanẽtibus in claustrô quibusdam facit interdum sic displiciter illud, ut càrcerem. Vidi ego quendã fratrem de morantibus in currijs, qui, cùm captus fuisset à dominô suô dominô Federicô, & tràditus cuidam civi ad custodiam, laboraverunt fratres, ut cum eis posset morari, quod, cùm obtinuissent, & aliquot diebus cum eis fuisset, videns austeram vitam ipsorum, magis elegit ire ad càrcerem, quàm cum eis amplius commorari. Item hoc est, quod facit aliquos quasi in continuô discursu esse, nec possunt in claustris teneri: Cùm autem sunt in conventibus, in quibus meliùs procurantur quã extrà, vix possunt ad alia negotia, etiã sancta emitti. Et facti sunt similes histrionibus, qui semper frequentant loca, ubi sunt convivia meliora, contra quos dicitur Eccles. 7. Meliùs est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij. Isti qui sic vexantur ab istâ peste, non possunt residere in oratione, lectioni insistere, & hujusmodi spiritualibus vacare; sed assueti per domum circumeũntes, modò explorant, quid comèdere, modò expectant, si aliquid

dè

dèforis apportatur, modò ſolem reſpiciunt, quando deſcendit, vel aſcendit, modò ſacriſtam moleſtant, modò pulſantem ad horas, quòd tranſierit hora comedẽdi, modò morantur prope hoſpitium, ſi fortè occurrat ibidem occaſio, quòd invitentur. Si deſunt aliqua, mùrmurant, ſicut filij Iſraël in deſertô: ſi reſtrictiones circa carnalia fiant, pro viribus ſe opponunt: ſi datur pœnitentiâ pertinens ad abſtinentiam, aut non faciunt, aut tantùm differùt, quòd ſepelitur oblivione. In diſpenſationibus ſecum faciendis ſuper abſtinentijs, neceſsitatem, vel rationem aliquam non attendunt: Prælatos circa hoc faciles, optimos rèputant, & commendant; rigidos verò in his intollerabiles rèputant: Si verò infirmitate contingat eos laborare, tantam curam habent carnis in medicinalibus, in recreationibus, & hujuſmodi, quòd ab his avelli non poſſunt: Interdum verò propter hujuſmodi vitium propictatis ìncidunt, ſemper apud aliquos procurantes haberi aliquid, ad quod recurſũ habere poſsint, providentiâ divinâ deficiente eiſdem. Interdum verò intantum excedunt in cibis, & potibus, & medicinis, & cœnis ſerôtinis, quòd carnem miſeram, cui fomenta miniſtrare debùerant, deſtruunt more illorum, qui, quos debent balneare, interdum ſuffocant, & extingunt. Quis his conſideratis non videat, quòd Nabuzardàm princeps Coquorum, id-

est gula, domum domini, scilicèt religionem totam destruit, & incendit? 1. Reg. 26.

Cap. LI.

PRoinde disciplina abstinentiarum, sicut statuta est, debet rigidè observari à quôlibet, & à Prælatis est super hôc diligenter vigilandum, ne facilè circa hoc aliquid relaxetur: ad quod prętęr damna prędicta sunt multa alia inductiva, reperitur enim, quòd Judæi cũ tantô rigore observant abstinentias suas, quòd potiùs eligunt mori, quàm contra facere, sicut patet 2. Machab. 7. Item etiam in Hęreticis, & Saracenis invenitur. Quanta ergò verecundia est, quòd homines, qui reputantur summę perfectionis inter Christianos, leves inveniantur in suis observantijs relaxandis? Item non invenitur aliquod peccatum humanum graviùs punitũ, quàm fractio abstinentiæ impositæ primis parentibus, quantùm ergò ex hôc exemplô timendum est illis, qui tam facilè debitas abstinentias frangunt? Ideo dicitur Zach. 13. Adàm exemplum meum ab adolescentiâ meâ. Item abstinentia habet multos impugnatores: ipsam enim impugnat caro: Item creaturę visu pulchræ, & ad vescendum suaves: Ipsam impugnat, quod majus est, ratio, quę facilè contra eam invenit argumenta: Item societas, quæ sępius suâ importunitate ipsam molestat: & ideo tantò virtuosior, si perdùrat, quantò magis impugna-

gnatur. Ideo viri virtutum, quibus dicitur viriliter agite, districtè eam servant, ut ex hôc fiant in virtutibus glorioſiores, quia quantò pugna gravior, tantò victoria glorioſior. Item, licèt caro multa poſsit, tamen interdum ſimulat ſe impotentè, ſicut Vulpes, quæ in hortô ſimulat ſe mortuam, ut poſsit capere gallinam: Et ideo non eſt ei paſsim credendum; ſed cavendum, nè decipiat. Item venter eſt ſicut malus Epiſcopus, qui procurationem, quam ſemel accepit, interum exigit, licèt non habeat jus in eâ: & ideo ſicut clerici propter hoc reſiſtunt Epiſcopo in primâ receptione, ſic faciendum eſt ventri à bonô virô: Job 3. Vocem exactoris, ſcilicèt, ventris non audit. Item ſpiritus habet jus in homine, ſimiliter & caro, debet enim homo ſibi ſuam neceſsitatem: ſicut interdum duo nobiles habent jura ſua in eôdem caſtrô. Conſueverunt autem hujuſmodi nobiles, maximè ubi non benè concordant, multùm cavere nè alter acquirat aliquid in jure alterius: Cùm ergò caro, & ſpiritus ſibi invicem adverſentur, quantùm debet cavere ſpiritus, nè caro acquirat aliquid ſuper eum? Certum eſt utem, quòd homo non debet carni vitam ſecundùm voluntatem ſuam; ſed ſolùm ſecundùm neceſsitatem: Ro. 8. Debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus: Et ideo valdè timendum eſt ſpiritui, nè ultra neceſsitatem carni aliquid miniſtretur, nè ex hôc caro jura ſua in homine ampliet ſupra ſpiritum

extraordinariè. Item recreationes, quæ præter curium consuetum recipiuntur, solent generare infirmitates. Item consuetudo facit hominem potentiorem: E contrariô interruptio consuetudinis facit minus potentem. Et ideo frangentibus facilè abstinentias semper est difficiliùs ad consueta redire. Item hujusmodi dispensationes interrumpunt præscriptiones dominij, quas ex consuetudine continuâ acquirit spiritus super carnem.

Cap. LII.

SCiendum, quòd, licèt abstinentiæ districtè sint observandæ, tamen semper cavenda est in istis indiscretio, & hoc ratione societatis, paupertatis, & officij: cùm enim quis affligit carnem indiscretè, incurrit interdum infirmitatem, & impotentiam, per quam rèdditur alijs onerosus: Prudentis autem est ab hujusmodi cavere, juxta illud 2. Cor. 11. Sine ònere me vobis observavi, & servabo. Item cùm aliquis hâc occasione incurrit infirmitatem, oportet plures expensas pro eô fieri, quod cavendum est diligenter, ubi est paupertas. Exemplum in vitis patrum de heremitâ, qui factus Episcopus plures faciebat abstinentias in Episcopatu, quàm antea: Requisitus quare? R. quòd, cùm erat in hæremô, conservabat corpus suum, ut pòterat, bonô modô cogitans, quòd si infirmaretur, non haberet necessaria, in Episcopatu autem non timebat

hoc

hoc, quia in illô paratæ erant sibi consolationes in omni infirmitate suâ. Item prudentis viatoris, qui habet multas dietas facere, est cum multâ diligentiâ equum suum custodire, multò magis viro, qui habet in prædicatione, vel alijs pertinentijs ad activam assiduè occupari, est cavendum, ne deficiat ei equus corporis proprij, & magis quàm de aliô equô: Si enim deficit equus viatori, potest alium quærere, vel ipsum relinquendô pedibus iter conficere, vel alij custodiam committere: Hîc verò non sic, quia corpus aliud nemo potest acquirere sibi, nec alij custodiendum committere. Ideo dicebat Psal. Fortitudinem meam, scilicet vires corporis mei ad te custodiam. Propter hoc etiam notabiliter dicit August. carnem domãdam, non extinguendam; domandam, nè lasciviat, ut pullus indòmitus, nè rebellet ut servus malus, nè desæviat, ut fera crudelis: Gregorius in Moralibus: Per abstinentiam vitia sunt extinguenda, non caro. Et tantò quis sibi debet præesse moderamine, ut, & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad effectum rectitudinis in opere sub sistat. Hinc est, quòd viri sancti solent interdum illas abstinentias libenter facere, quæ parum nocent corpori, & tamen multum valent ad virtutem, ut sunt abstinentia à fructibus, à contrarijs suæ complexioni non solùm propter sanitatem; sed etiam propter virtutem, ab herbis, & fructibus crudis, à salsis aliquibus, à multitudine ferculorum, à cibis

sumptuosis, & curiosè paratis, ab extraordinarijs comestionibus; ab omni notabilitate in potu,& similibus multis, per quę & vitia carnis domantur, nec multùm lęditur corporis valetudo.

Cap. LIII.

QUamvis Augustt. imponat abstinentiam escæ, & potûs,tamen omni religioso specialiter cavendum est ab omni excessu circa potum: ad quod multa inductiva sunt. Saracæni enim secundùm legem suam perpetuò abstinent à vinô. Rechabitæ in veteri lege nunquã bibebant vinum: Hjere. 35. Nazareni tempore consecrationis suæ non bibebãt vinum, vel aliud, quod inebriare posset:Numeri 5. Cùm autem hæc omnia fiant ab eis propter falsam religionem, vel figuram nostræ religionis, quàm reprehensibilis est in viris religiosis excessus in vinô? Item sicut narrant historiæ, Carolus non bibebat nisi ter in mensâ,Ludovicus etiam Rex Francorum in vase, in quô bibebat, dicitur habuisse signum, usquè ad quod ministrabatur ei vinum, & residuum erat aqua,& erat ferè in eâdem quantitate cum vinô: Si ergò hoc faciunt sæculares,quanta verecundia est, quòd religiosi excedant in potu? Possunt autem esse multa reprehensibilia religiosis circa potum. Unum circa quantitatem: Ideo dicit Apostolus Timòtheo: Modicô vinô ùtere:Ber.ad monachos,tantùm placet nobis auctoritas Apostoli

li de bibendô vinô, obsecro nè tradatis oblivioni, quod dicit: modicô vinô. Aliud est circa fortitudinem vini. Dicitur in consiliô: Vinum sibi têmperet, & se vinô, quantò magis hoc faciendum est religiosis? Aliud circa varietatem vini. Indecens est religiosis nô esse contentos unô vinô; sed varietates non paucas in unô côviviô congregare. Aliud est circa pretiositatem, non enim est viri religiosi in hausiu vini pretium pònere, unde multi pauperes possent commodè sustentari. Unde vox illa Sapientiæ 2. Vinô pretiosô nos impleamus: non est bonorum; sed hominum pessimorum. Aliud est circa extraordinarias potationes. Si enim & asini non adaquantur nisi certis horis, quàm indecens est religioso totâ die bibere modò hîc, modò ibi? Aliud circa verba. Sunt enim quidam, qui per totam interdum mensam loquuntur de vinis, & præsentibus, & absentibus dicentes: Hoc est tale, illud est tale: Oseæ 7. Super vinum ruminabant. Aliud est circa subtilitatem judicandi de vinis. Sunt enim quidam, qui ita sciunt judicare subtiliter de valore vinorum, & conditione, quàm si essent magistri in illâ arte.

Cap. LIV.

SCiendum, quòd vinum abutentibus multa mala solet facere, quę sunt valdè contraria religionis honestati. Religiosos enim summè decet continentia

tia ratione voti: vinum autem incitat ad libidinem. Proverb. 20. Luxuriosa res est vinum. Item ipsi in societate debêt habere cor unum, & animam unam cum alijs, vinum autem facit turbationem ad alios: Eccles. 31. Vinum multum potatum irritationem facit. Item ipsorum est laudibus divinis insistere; hoc autem facit blasphemare: Glos. super illud 1. ad Corint. 10. Sivè comèditis, sivè bibitis &c. Si violentiâ te ingùrgites, quascumquè laudes lingua sonet, vita blasphèmat. Ipsorum est etiam linguam disciplinatam habere, alioquin secundùm Jacob. vana est eorum religio: Hoc autem facit fatuè loqui: 3. Esdræ 3. Omnia operta facit loqui. Ipsorum vita debet esse in luctu: vinum autem incitat ad vanam lætitiam: Ibidem: omnem mentem convertit in securitatem, & non mèminit omnem tristitiam. Ipsorum est contemplationi vacare: vinum autem obscurat intellectum naturalem: Glos. super illud Proverb. 23. Cui suffosio oculorum: Immoderatus haustus vini interioris oculi, & exterioris ingerit cæcitatem. Impedit quoquè scientiam acquirendam: Ideo dicit Sàlomon Eccles. 2. Ut animum meum transferrem ad sapientiam, cogitavi à vinô abstràhere carnem meam. Impedit similiter scientiam infundendam: Ideo dicitur Daniel 10. Trium hebdomadarum diebus caro, & vinum non introierunt in os meum, scilicèt quando aspirabat ad revelationem. Salvator etiam legitur dixisse di-

sci-

scipulis: Attendite, ne graventur corda vestra crapulâ, & ebrietate. Sed nunquid tenentur omnes professores hujus regulæ domare carnem, quantùm possunt? R. Quædam sunt in regulâ, quæ potius sunt incitamenta ad bonum, quàm obligatoria per præceptum, & hoc est de talibus.

Cap. LV.

NOtandum verò, quòd natura humana, quæ valdè fortis fuit in primâ conditione suâ, non est adeo debilitata, quin multa possit in abstinentijs. Quod patet in abstinentijs magnis, & longis, quas sustinent invîti in carceribus, & quas faciunt aliqui pro sanitate acquirendâ, vel conservandâ, & quas fecerunt, & faciunt adhuc multi sancti, non solùm viri; sed etiam mulieres fragilioris naturæ. Si enim tanta sustinent invîti, si tanta sustinent aliqui pro corpore, si tanta fragilis natura, quantum possent homines, si essent voluntarij, si tantum diligerent animas, ut corpora? Profectò si probarent vires suas, invenirent se plus posse, quàm credunt. Se probant homines, quantum possunt in projiciendô lapidem, quantum in currendô, quantum in luctandô, & similibus: in his autem, quæ Dei sunt, non probant vires suas: Bernar. Ignosce, ignosce domine: dissimulamus, tergiversamur, & in his, quæ ad te pertinent, vix est, qui velit experiri, quid pos-

posit. Dicunt filij Zebedæi Matth. 20. Possumus fcilicet bibere calicem passionis, & nos non possumus levem abstinentiam sustinere? Dicit Paulus ad Phil. 4. Omnia possum in eô, qui me confortat, & nos, quibus numquam deest divinum adjutorium, diffidimus non pauca posse: procul dubiò possumus multa; sed nolumus. Hjeronymus: Non posse dicunt esse in causâ, cùm non velle sicut in culpâ.

Cap. LVI.

CUm autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimẽtorũ sumat, nisi cùm ægrotat. ¶ Hîc tradit mandatum jejunij, quò ad impotẽtes, & est sensus: Cùm aliquis non potest jejunare, non tenetur: tamen nè solutio jejunij cedat in dissolutionem, non còmedat extra horam prandij, nisi fortè non solùm impotens; sed etiam infirmus, cùm infirmis lex nõ sit posita, quin còmedant, quandocunquè necessitas requirit. Eliciuntur autẽ ex hôc mandatô tria. Primũ est, quòd mitius agendum est in jejunijs cum debilibus, q̃ cũ fortibus. Secũdũ, quòd cavẽda est extraordinaria comestio in claustrô diligenter à religiosis, cùm etiam debilibus eam inhibeat August. Tertium, quòd opera pietatis circa infirmos preferenda sunt rigori religionis, cùm eorum comestio sub certâ lege non claudatur.

Quæ

¶ Quæritur circa primum, quando Prælato constabit de debilitate fratris, si vero verbo ipsius standum est, multis poterit esse occasio mentiendi? Rñdeo, quandiu habetur bona opinio de fratre, quòd sit servus Dei, credendum est ei de debilitate, quam dicit se habere; si verò præsumptiones malæ habentur de eô, nõ oportet semper credere verbo suo, nisi constet per alia argumenta. Quid fiet de illis, qui non dicunt debilitatem suam? Rñdeo, pij Prelati est cognoscere vultum pecoris sui, utrum macilentum sit, aut pingue, & esse solicitum non solùm de animâ; sed etiam de corpore ipsius: debet etiam fratribus injùngere, ut sint soliciti invicem advertere, si frater aliquis aliquam necessitatem pàtitur, & eã sibi charitativè indicare, & illorũ maximè, qui præ humilitate, vel verecundiâ solent de his tacère.

¶ Quæritur utrum Prælatus possit dispensare in jejunijs ecclesiæ? Respondeo: Non credo, quòd possit; sed cùm sit credendum, quòd ecclesia numquàm intendit obligare ad jejunia impotentes, potest judicare de impotentiâ subditorum, quæ òritur, vel ratione juventùtis, vel senectùtis, vel cõplexionis, vel similium, & ejus declarationem possunt subditi cum bonâ conscientiâ tenere.

Cap. LVII.

CIrca secundum nota de his, qui extra horam prandij còmedũt. Si qui fortasis fructus quos-

cum-

cumque comederent extra mensam, quòd est cavendum valdè viris sanctis, nec modicum reputãdum. Nonnè totus mundus damnatus est propter hujusmodi comestionem primorum parentum? Nonnè monialis transiens per hortum, & còmedens lactucam, cum lactucâ comèdit diabolum, sicut refert Gregor. in Dialogô? Item religiosi multum debẽt resistere tentationi comestionis hujusmodi. Exemplum in vitispatrum de quôdam, qui, cùm fuisset tentatus de comedendô cucùmere in hortô, suspendit illum in cellâ ante oculos, & sic in aspectu illius se cruciabat. Item quidam Archiepiscopus vir magnæ honestatis, cùm se posuisset in mensâ, & apportati fuissent ei ficus, quos multum diligebat, accepit unum, volens eum comèdere ante benedictionem, quam tradidit oblivioni, cùm autem hoc advertisset, deposuit eum, & dixit gulæ suæ. Domina gula nimis festinabatis, & ideo facietis hanc pœnitentiam, quia hodie non comedetis ficus, & sic stantibus ficubus coram se, non comèdit ex eis. Item qui extra horam còmedunt, fugientes communem refectionem fratrum, captant certam horam, vel locum alium, ut aliquid melius habeãt, contra quod viri religiosi dant operam, ut semper còmedant cum conventu, & hoc ut pascantur non solùm corpore; sed & spiritu ex lectione: Unde infra (nè solę vobis fauces fumant cibum; sed & aures verbum Dei esuriant.) Item, ut vitent dissolu-

tio-

tiones, quæ solent accidere in hujusmodi, maximè in verbis, propter quæ legitur punitus dives in linguâ: Luc. 16. ut refrigeret (inquit) linguam meam, glos. inter convivia, sicut mos est, loquacitati fluduit. Item nè fructum perdant, qui sequitur ex moderatâ refectione, de quâ Chrys. Nihil sic salùtem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. Hujusmodi autem moderamen meliùs servatur in conventu, quàm extra. Item, ut certiores sint de societate Christi, cùm enim Christus sit, ubicumquè duo, vel tres congregati sunt in nomine ejus: Matth. 18. certius est ipsum esse, ubi plures sunt, & magis specialiter propter ipsum congregati. Item propter meliorem sequelam hujus refectionis, hanc enim refectionem sequuntur gratiarum actiones, visitatio ecclesiæ, orationes secretæ, meditationes sanctę, officium mortuorum, & similia; illam autem locutiones, potationes, & aliæ dissolutiones more illorum, de quibus dicitur Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Item propter scandalum vitandum fratrum. Sicut enim sequentes conventum multis sunt ad exemplum in bonum, ita comestiones extraordinariæ multis sunt occasio judiciorum multorum, murmuris, & turbationis, quæ sunt valdè timenda: 1. Cor. 8. Si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Propter hęc igi-

tur

tur, & alia quędam non sunt talia convivia extraordinaria sectanda: Oseæ 4. Quasi vacca lasciviens declinavit Israël: quæ scilicèt separat se ab alijs in pascuis: & post: Dimitte eum, quia separatum est convivium ejus. Sed nunquid Novitij, & alij debiles, qui cõmedunt ante horam prandij, transgrediuntur hoc mandatum? ℟. non, dummodo cõmedant in horâ, & locô statutis à majoribus: hoc enim, quod secundùm statutum fit, hora debita reputatur. Item nunquid, qui medicinalibus ùtitur, vel bibit extrà horam prandij, transgreditur hoc mandatum? ℟. non, & hoc patet ex hôc, quod dicit (alimentorum) medicinalia enim, & potus, licèt interdũ nutriant, tñ simpliciter non vocãtur aliměta.

¶Nota etiam, quòd religiosi non debẽt os aperire ad cibum, sicut bestiæ, quæ non observant vices, locum, & tempus: & ideo ad majorem gulę refrenationem statutum est apud eos, ut non cõmedant, vel bibant, nisi sedendô, & prędcedente benedictione, & cum duabus manibus.

Cap. LVIII.

CIrca tertium nota, quòd quidam prætextu religionis exercent quasdam austeritates circa infirmos, in cibis, in silentijs, & alijs hujusmodi, præferentes hujusmodi austeritatem operibus pietatis, & in hôc putantes se esse religiosos: Hæc est religio Pharisæorum maledicta à dominô Matth. 23.

Veh

Veh vobis ſcribæ, & Phariſęi, qui decimatis mentam, & anèthum, & relinquitis, quę graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, &c. hæc non eſt religio quam Jac. difin. d. 1. c. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: Eâdem ratione in viſitatione infirmorum: dicitur in vitiſpatrum, quòd fuerũt duo fratres, quorum unus multũ jejunabat, alter ſerviebat infirmis devotè: quæſitum autem fuit à quôdam ſene, quis eorum eſſet majoris meriti? & dixit ſenex: ſi frater ille jejunans appendat ſe per nares, non poteſt pervenire ad menſuram illius, qui ſervit infirmis. Mandat dominus Luc. 6. ut ſimus miſericordes, ſicut & pater noſter cœleſtis miſericors eſt; ſed miſerationes ejus ſunt ſuper omnia opera ejus: ergò in homine prȩvalet miſericordia ſuper omnia opera ejus. Nõ eſt autem major miſericordia, quàm quæ exercetur circa infirmos: ibi enim pàſcitur, eſuriens, potatur ſitiens, veſtis nudo paratur, lectus fatigato, extraneo ſubvenitur circa hoſpitalitatem, viſitatur ligatus vinculis infirmitatis, & tandem exhibentur morvo officia humanitatis, & ſic in hôc opere miſericordiæ omnia opera adimplentur. Prȩterea in operibus rigoris religionis ſervitur quandoquè Deo de unô ſenſu, vel membrô: ut in abſtinentiâ de guſtu, in vigilijs de viſu, in aſperô veſtitu de tactu, in ſilentiô de linguâ, in clauſurâ de pedibus, in opere ve-

rô pietatis circa infirmos ſervit ei oculus vigilandô, & interdum horrenda videndô, olfactus fœtores ſentiendô, auditus dura audiendô interdum ab ipſô infirmô, tactus infirmum tractandô, guſtus propter eos comeſtionem dimittendô, lingua eos conſolandô, pes pro eis diſcurrendô, immò & totum corpus pro eis diverſimodè laborandô. Quæ ergò religio pòterit huic comparari, in quâ ſic homo ſe ipſum religat, ut Deo ex totô ſerviat in proximô? Hujus religionis ſectandæ dedit nobis exemplum dominus, qui tam benignum ſe exhibuit infirmis eos viſitandô, dulciter alloquendô, frequenter ſanandô, qui & Apoſtolos mittendô, de eis inungendis, & ſonandis mandavit.

Cap. LIX.

CUm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm cõſuetudinem lègitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, né ſolæ vobis fauces ſuman cibum; ſed & aures eſuriant verbum Dei.

¶ Hîc ponit mandatum, quod pertinet tam ad impotentes, quàm ad potentes. Nota, quòd in concilio Toletanô ſtatutum fuit, quòd in conviviô ſacerdotali ſemper habeatur lectio de ſcripturis divinis: diſt. 44. Pro reverentiâ. Hujus autem ſtatuti triplex poteſt eſſe cauſa. Prima, utibi non ſolùm homo exterior; ſed etiam interior paſceretur verbô

Dei

Dei: contra quod dicitur Job 24. de iniquô: Pascit sterilem, quæ non parit, scilicèt carnem, & viduæ non benefècit, scilicèt animæ, quæ in præsenti solatiô viri sui, scilicèt Christi, caret. Secunda, ut anima intenta divinæ lectioni, & per hoc retracta à delectatione ciborum, per hoc magis peccata caveat, quæ ex hujusmodi delectationibus nasci solent, contra quod in Epistolâ Judæ de quibusdam dicitur: Animales spiritum nô habentes: quia sicut animalia, quę sunt sine ratione ex totâ concupiscentiâ effundunt se super escam, ita & ipsi. Unde ipsis præmittitur in eâdem Epistolâ: Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore. Tertia, ut per hoc evitentur nociva verba, quæ solent in cõvivijs oriri, propter quæ dives lègitur punitus in linguâ: Hjeron. Convivia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis absentium nulla vita mordetur. Nullus ex illusione reprehènditur, nec in eis negotiorum sæcularium inanes fabulæ audiuntur. Hujusmodi statutum olim servatum fuit, cùm clerici ìnsimul comedebant, & adhuc servatur apud aliquos, qui sic còmedunt; sed quia pauci sunt tales multùm evanuit apud omnes. A religiosis hoc perfectiùs est obsèrvandum. Episcopi interdum lectionem habent in parte convivij; sed religiosi debent habere per totum: Ideo dicit Augustì: (donec inde surgatis.) Item apud eos tantus tumultus est, quòd lectio vix potest audiri; sed apud religiosos servatur

tur silentium, ut lectio quietiùs audiatur: Et ideo dicit: (nè solę vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei.) ¶ Et nota quòd ubi sunt viri spirituales, & maximè prędicatores in aliquô conviviô, ubi non est lectio, convenit eos semper aliqua ędificatoria dicere ante finem convivij, ut numquàm cibus carnalis sit absquè spirituali. Hinc est, quòd candelàbrum, quod significat lumen scripturę, erat in mensâ panum in tabernaculô, & in templô, & tabulæ testamenti erant in archâ cum mannà: Hebr. 9. Hinc est, quòd Guillelmus Episcopus Parisien. in mensâ suâ verbis ædificatorijs solebat affluère, & dicebat se nolle alium lectorem in mensâ suâ. Hujusmodi exemplum reliquit nobis Salvator, qui, ex quô prædicare cœpit, non legitur in conviviô fuisse, in quô non dixerit aliqua ædificatoria. Nam comèdit cum Pharisæô, & ibi dixit: Simon habeo tibi aliquid dicere: Lu. 7. Item fecit Levi ei convivium in domô suâ, & Pharisæis murmurantibus, quia cum peccatoribus manducabat, dixit: Non est opus valentibus medicus; sed malè habentibus: Mat. 9. cap. Item intravit in domum cujusdam principis manducare panem, & intendens quomodo primos accubitus eligerent invitati, dixit ad eos: cùm invitatus fueris ad nuptias, non recúbas in primô locô, &c. Lu. 14. Item comèdit cum Zachęô, & ibi dixit: Hodie huic domui salus facta est: Luc. 19. Item facta est ei cœna in

Be-

Bethàniâ, & ibi ortâ murmuratione de unguenti effusione super eum, multa dixit ædificatoria in excusationem, & laudem Mariæ: Joan. 12. Item cœnavit cum discipulis, & ibi multa dixit ædificatoria: Luc. 22. & Joan. 13. Item post resurrectionem comèdit cum discipulis offerentibus ei partem piscîs assi, & favum mellis, & dixit eis: Hęc sunt verba, quæ locutus sum vobis: Luc. ultim. Item in die Ascensionis convescens pręcepit eis, ab Hierosôlymis nè discederent, &c. Actum 1.

Cap. LX.

Qui infirmi sunt ex pristinâ consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores.

¶ Tràditis mandatis circa duo, quę pertinent ad duas partes pœnitètiæ, tradit hîc circa quædã, quæ pertinent ad tertiam, quæ est circa opera misericordiæ: quìa verò non est ejus intentio tràdere circa hæc omnia plenariè; sed solùm, quę, ut frequentiùs religiosis sunt magìs necessaria, tradit hîc mandata circa abusiones, quæ apud eos oriri solent circa misericordias, quę fiunt, vel circa ægrotationem, ut hîc, vel circa delicatos, ibi: (Et si eis qui venerunt, &c.) vel circa recreandos post infirmitatem, ibi; (Quemadmodum autẽ ęgrotantes.) ¶ Et nota, quòd aliqui solent molestè ferre, quò ad voluntatem, &

injustum rèputant quò ad rationem, quando quibusdam ęgrotantibus fiunt misericordiæ aliquæ in victu. Contra quam abusionem ponit hîc mandatum: Item solent isti reputare tales esse melioris cõditionis, & contra hanc abusionem ponit aliud mãdatum dicens: Nec illos fœliciores putent. Circa primum nota, quòd infirmi ex pristinâ consuetudine dicuntur illi, qui frequenter solent ægrotari: Istis autem, sivè actu ægròtent, sivè non, sunt faciendæ aliquæ misericordiæ in victu, modò in infirmitoriô, modò in hospitiô, interdum etiam in conventu, dummodò eorum infirmitas sit manifesta. Et hoc est aliter tractare in victu, quòd autẽ sic faciendum sit, patet: Dñs enim aliter tractavit in victu humanam naturam in statu firmitatis, & aliter in statu infirmitatis: in primô enim statu concessit ei victum fructûs àrboris tantùm, in secundô verò cõcessit panem, & herbas, & carnes post diluvium. Præterea ars medicinæ hoc precèpit: ipsa autem ordinata est à Deô, ergò qui huic resistit, Dei ordinationi resistit. Item nonnè Apostolus præcepit Timòtheo, ut uteretur vinô propter frequentes infirmitates? quod non lègitur alijs præcepisse, qui non habebant hujusmodi infirmitates: porrò qui hoc molestè ferunt, infirmantur de aliorum medicinâ. Item sunt deteriores Judâ, qui murmuravit in effusione unguenti super Christum sanum: ipsi aũt mùrmurant de effusione misericordiæ super ipsum

sum infirmum. Item magnæ immisericordiæ est non facere misericordiam, majoris est non diligere; sed maximę eam non ferre: quantæ ergò immisericordiæ sunt homines, qui etiam factam ab alijs molestè ferunt? Sunt autem, quod gravius est, quidam, qui hoc injustum jùdicant æstimâtes, quòd, quia omnia communia sunt inter fratres, omnia debent dividi æqualiter: quod, si verum est, ergò injustè fecissent Apostoli, qui dividebant communia, sicut cuiquè opus erat. Item eâdem ratione omnis homo âgeret injustè, qui majorem curâ haberet de membrô infirmô, quàm de sanô, & magis expènderet pro eô. Item secundùm hoc, injustè âgeret pater familias, partem domûs debiliorem reficiendô: quæ omnia, quia falsa sunt, patet, quòd hoc non debet injustum videri.

Cap. LXI.

NEc illos fœliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi; sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

¶ Hîc ponit mandatum secundum circa abusionem secundam, ubi nota, quòd infirmi, licèt plus sumant, non sunt fœliciores reputandi, quàm sani. Primò, quia majorem habent indigentiam, quod non est fœlicitatis; sed miseriæ. Secundò, quia frequenter, quod sumunt, cum magnâ verecundiâ sumunt, & angustiâ. Tertiò, quia illa, quę sumunt,

licèt meliora, non eos tantum delectant, ut sanos minus bona. Quartò, quia cum his omnibus habent multas afflictiones alias, quæ eos vexant. Quintò, quia privantur multis consolationibus spiritualibus, quas habent sani in lectionibus, in officijs Ecclesiæ, in studijs, & hujusmodi. Sextò, quia oportet eos etiã invitos, alios in multis portare, ut ipsi portentur: quæ omnia potiùs habent miseriam, quàm fœlicitatem: porrò qui sani sunt, & fortes in religione, habent multam misericordiam gaudendi in dominô, & ei gratias agendi. Status enim infirmitatis est multis occasio murmuris, & impatiẽtiæ, & accidiæ, & aliorum peccatorum, à quibus sani sunt liberi, sunt enim liberi à multâ servitute, quâ sunt infirmi subjecti Prælatis, & Officialibus occasione suæ necessitatis: Item libentiùs in omni conventu habentur, & quęruntur: Item ònera ordinis sunt eis leviora: Item habent unde plus lucrari possunt in meritis, quantò potentiores sunt ad plura: Item jõcundiorem, & in pluribus consolationibus, & sine tędiô vitã ducũt, per quę patet ratio hujus mãdati.

Cap. LXII.

ET si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum ve datur, quod alijs fortioribus, & ideo fœlicioribus non datur, co-

cogitare debent, quibus non datur, quantũ de ſuâ ſæculari vitâ illi ad iſtam deſcènderint, quamvis úſqué ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire non potuerint.

¶ Duæ ſunt abuſiones, quæ contingunt interdum occaſione miſericordiarũ, quæ fiunt delicatis apud alios, quibus hęc non fiunt: Una eſt, quiâ non conſiderant rationem hujus: & cõtra hãc pònitur iſtud mandatum: Secunda, quia volunt idem fieri ſibi: contra quam pònitur ſequens madatum: (Nec debent velle, &c.) ¶ Circa primum nota, quòd in religione ſunt faciendę aliquę miſericordiæ illis, qui fuerunt in ſæculô delicati. Primô, nè ex nimiâ duritiâ tepeſcant, vel de ingreſſu pœniteant. Secundò, nè infirmitatem incurrentes perpetuò ſibi, & alijs graves fiant. Tertiò, ut jocundiùs domino ſerviant. Quartò, nè ſæculares hoc audientes religionem horreant. Quintò, nè in religionẽ omnibus odibis ruſticitas inveniatur. Sextò, nè religio irrationabilior ſit naturâ, quæ membro nobiliori, & teneriori delicatiora miniſtrat. Septimò, nè carcer domini crudelior ſit carcèribus tyrannorum: quis enim tyrannus, vel etiam Saracænus nobilibus, & delicatis incarceratis apud ſe non facit majorem miſericordiam, quàm alijs? Octavò, ut ex hôc ad meliora provocentur: nobilis enim animus magìs provocatur ab bonum per miſericordias, & gratias, quàm duritias. Sed ſciendum, quòd quædam ſunt gratiæ

tiæ, quę vertuntur id dissolutionem, ut est nimia libertas loquendi, quędam in periculum, ut est nimia frequentatio parentum, & similia, quæ nō sunt necessitatis. Quia verò circa ista non expedit fieri misericordias, sicut circa illa, quę sunt necessitatis: ideo nōminat tria, circa quæ fit misericordia, scilicèt alimenta, vestimenta, & operimenta, quæ etiam sunt necessitatis. Circa ista verò cavendū est ab excessu nimiō. Primò, nè religio pereat. Secundò, nè alij justè scandalizentur. Tertiò, ut ipsi, quibus fit misericordia, ab excessu sæculari per mediū temperātiæ paulatim transeant ad religionis frugalitatē: & ideo notabiliter dicit aliquid alimentorū, quod sonat in modicum. Attendendū, quòd interdum solent aliqui subditi murmurare contra facientes misericordias, cū nesciant causam facti, ideo dicit pater familias Mat. 20. An non licet mihi, quod volo facere? Solent etiam quandoquè scandalizari contra recipientes, cū nesciant necessitates eorum, ideo dominus Pharisæis scandalizatis contra discipulos confricantes spicas sabbathō, respondendō ostendit eorum necessitatem, sicut Davìd simili necessitate comèdit panes, quos non licebat: Mat. 12. Solent iterum quandoquè se præferre illis in corde suō, cū non utantur talibus: Sed comparatio statūs ad statum in sæculō tollit hujusmodi superbiam. Exemplum in vitis patr. de monachō Ægyptiō duræ vitæ, qui fuerat rusticus in sæculō, qui, cùm visitasset Ar-

se-

senium, qui delicatiùs vivebat, primò scandalizatus in eô, cùm intellexisset, quantùm fuerat in sæculô delicatus, dixit: Veh mihi quia tu de delicijs venisti ad duram vitam: Ego autem de durâ vitâ veni ad delicias. Benè ergò dicit, cogitare debent, quibus non datur, &c. ut, cogitantes rationem facti, contra facientes hujusmodi misericordias, non mùrmurent: attendentes verò eorum necessitatem, in recipientes non scandalizétur: suum verò statum sæcularem illorum statui comparantes, illis se in religione non præferant.

Cap. LXIII.

NEc debent velle omnes, quod paucos vident, amplius, non quia honorantur; sed quia tolerantur, accipere: né contingat detestanda perversitas, ut in monasteriô, ubi quantum possunt fiunt diliàbortosi, fiant pauperes deliçati.

¶ Hîc tradit mandatum circa abusionẽ secundã, dicens duo: Unum in quô est substantia mandati, cùm addit: (nè contingat.) Et nota, quòd non dicit non velint omnes, &c. quia tanquam prudens in suis mandatis declinat pericula. Quod autem pertinet ad recreationem carnis valdè est difficile, & ideo, ut non injiciat laqueum ad peccandum, non dicit: non velint: Dicit autem: (Non debent velle) ut magis moveantur ad hoc, quod dicit: plus enim movere solet ratio inserta in mandatô, quàm solum man-

mandatum, quia hoc per se est debitum, & rationabile; & verè non debent omnes velle accipere, quod vident non multos; sed paucos accipere: quia dispensatio, quę solet fieri paucis, nō est redigenda in jus commune. Sed heu hæc ita nō cōhibent quosdam, qui in sęculō in tenui statu fuerunt, quin etiam in religione velint vivere delicatè, ubi qui magni fuerunt in seculō, asperis sunt contenti: Dicitur Dan. 1. quòd ipse, & socij ejus, qui erant de genere regiō in curiâ regis, contemptis cibis regijs, & vinō, de quō ipse bibebat, contenti erant leguminibus, & aquâ: Et isti de genere rusticanō, contemptis vilibus, volunt nutriri cibis, & vinō regalibus in domō Christi. Item dicitur Esaiæ 11. Leo quasi bos cōmedet paleas, & expōnitur de tempore adventūs Christi: secundùm Hjero. ad litteram, nunquā impletum est, vel implebitur; sed ideo dicitur, quia nobiles, sicut leo, in illō tempore sic humiliati sunt, ut essent cōtenti cibis rusticanis, sicut bos, per quem rusticus designatur. ¶ Sed nota, quòd vir Dei spiritu plenus vocat hanc culpam non solùm perversitatem; sed perversitatem detestandam, & benè. Sunt enim tria, quę dominus specialiter detestatur. Primum est superbia: Unde Amòs 6. Detestor ego superbiam Jacòb. Secundum est crudelitas: Proverb. 8. Labia mea detestabuntur impium; idest illum qui est sine pietate. Tertium est seminatio discordiæ inter fratres: Prover. 6. Et septimū de-

detestatur anima ejus, illum scilicèt, qui sèminat inter fratres discordiam. Sanè non sunt sine superbiâ pauperes, nec sine crudelitate incompassionis, nec sine occasione discordiæ inter fratres, cùm volunt æquari illis, qui fuerunt divites, in recreationibus. Et ideo verè est hujusmodi perversitas detestanda.

Cap. LXIV.

SAnè, quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne graventur, ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citiùs recreentur, etiam si de humillimâ sæculi paupertate venerint, tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo.

¶ Tràditis mandatis circa abusiones, quæ solent oriri circa misericordias, quæ fiunt infirmis, vel delicatis, tradit hîc mandata circa eas, quæ oriuntur circa recreandos post infirmitatem, quę sunt duæ. Una ex parte Prælatorum, quando eas non faciunt: Alia circa recipientes, cùm eis abutuntur. Circa primum ponit hîc mandatum: Circa secundum infra, cùm dicit: (sed cùm vires, &c.)

¶ Nota ex prædictis, quòd sunt mandata tràdita contra abusiones videntium misericordias hucusquè; hîc autem contra abusionem facientium; in sequenti verò clausulâ circa abusionem recipiẽtium.

¶ Nota autem hîc primò circa illud, quod dicit: (minus accipere, nè gravẽtur) quòd excessus in quãtita-

titate cibi, vel potûs gravat quò ad corpus, quòad animam, & quò ad famam. Quò ad corpus, quia auſert quietem ſomni: Eccleſ. 3. Saturitas divitis non ſinit eum dormire. Item gènerat infirmitatem, quia ſecundùm Senecam multa fercula multos morbos fecerunt: Eccleſ. 37. In multis eſcis erit infirmitas. Item addit graves dolores: Job 20. Cùm ſatiatus fuerit, arctabitur, & omnis dolor irruet ſuper eum. De his tribus habetur Eccleſ. 31. ubi dicitur: vigilia, & chòlera, & tortura viro infrunìto, ideſt homini, qui eſt ſine frugalitate, quæ eſt parcitas in victu: Si autem hæc facit hujuſmodi exceſſus etiam in ſanô, quantò magis in infirmô? Item gravat quò ad animam, quia obtundit aciem cordis, ſicut dicitur in librô collationum Hjer. Nihil adeo obſtruit intelligentiam, ſicut comeſſatio, & ebrìetas. Econtra dicitur Danièl. 1. Quia pùeris abſtinentibus data eſt amplior intelligentia. Item confundit memoriam, ut non recordetur quis agendorum: Oſeę 13. Saturati obliti ſunt mei. Item ìncitat carnalem concupiſcentiam: Hjere. 5. Saturavi eos, & mœchati ſunt. Propter hæc omnia dixit dominus diſcipulis Luc. 21. Attèndite, nè graventur corda veſtra crapulâ, & ebrietate. Item gravat quò ad famam, dicuntur enim iſti ſimiles Sòdomis, de quibus dicitur Ezechiè. 26. Hæc fuit iniquitas Sòdomæ, ſatùritas panîs. Et nota, ſicut tàngitur in librô collationum, dicitur panis, quia ſaturitas etiam in cibis vilibus

eſt

est cavenda. Item solent dici canes, qui tantum comedunt, quòd oportet eos vòmere: Esa. 56. Canes impudentissimi nescierunt saturitatẽ, ad hæc cavenda instruit nos natura, quę dèdit homini minus os secundùm sui corporis quantitatem, quàm alijs animalibus: instruit etiam medicina: unde, cùm quæsitum fuisset à Galenô: Quæ est perfecta medicina? dixit: abstinentia: Et idem, cùm quæsitum fuisset ab eô, quare parum comederet, respõdit, ut vivam. Instruit etiam sanctorum doctrina: unde non immeritò irascitur dominus contrarium facientibus, secundùm illud Psal. Manducaverunt, & saturati sunt nimìs: & post: adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.

Cap. LXV.

SEcundò nota circa illud: (sic tractãdi sunt, &c.) quia sunt quidam Prelati, qui circa recreationes faciendas debilibus inveniuntur interdum duri nimìs, de quibus dicitur Ezech. 33. Quod infirmum fuit, non consolidastis. Sunt autem tria, quæ solent ab hôc retrahere. Primum est species religionis, sub prætextu enim religionis tractant fratres durè interdum; sed deberent cogitare, quòd religio mũda, & immaculata apud Deum, (de cujus judiciô magìs est curandum) hæc est: Jacobi 1. Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorũ, quod est opus misericordiæ: ergò eâdem ratione in omni

ni òpere misericordię est vera religio. Secundum est tenacitas avaritię sub specie paupertatis, quam allègant; sed deberent cogitare, quòd si essent largi dispensatores secundùm tui Domini voluntatem, Dominus, qui dives est, largiùs eis necessaria ministraret. Consuevit enim Dominus dispensatori ministrare expensas, postquàm omnia expendit: & ideo dicitur Luc. 6. Date, & dabitur vobis. Tertium est duritia cordis, sunt enim quidam, qui indurantur ad suos, quasi non sint sui, ut struthio, faciles ad duritias; sed duris ad misericordiam; sed deberent attendere, quòd in scripturis Prælati vocantur matres: Bern. ad Prælatos: Discite vos matres esse; non dominos, ut more matrum ad subitos pia gestetis viscera. Sic faciebat Paulus, qui dicit 1. Thessal. 2. Facti sumus in mediò vestri, tanquàm si nutrix foveat filios suos. Sic etiam docebat Timòtheum, dicens: Exerce te ad pietatem. Cessantibus igitur causis prędictis minus bonis, sic tractandi sunt debiles in refectionibus, quò ad cibum: in repausationibus, nè ad labores graventur: in dispensationibus circa religionis rigorem, ut citiùs genua debilia roborentur, & robarati per recreationes congruas, ad religionem, pro quâ videntur hujusmodi Prælati zelare, citiùs revertantur: nè expensas, quas timent ex diuturnitate languoris, oporteat ad augeri: & ipsi pro òpere pietatis consequantur promissionem vitę, quę nunc est, & futurę, (Sed

cum

cum dolore.) Notandum est, quòd sunt quidam Prælati, qui hujusmodi recreationes faciunt minus indigentibus propter aliquam eorum magnitudinem, & de humilioribus quibusdam magis indigentibus non curant: Bern. Videmus multos, qui, quod est crassum assumentes, quod debile est projiciunt, quod valdè cavendum est. Primò, nè vitium acceptionis personæ in domô Dei inveniatur. Si enim non est deferendum pauperi in judiciô justitię contra divitem, sicut habetur ex lege Exod. 23. multò minus deferendum est diviti contra pauperem, vel pusillum in operibus misericordiæ, nè justitia lædatur. Si enim tanta est vis pietatis, quòd in necessitate, aliena facit propria: quantò magis justum est, ut communia fratri indigenti communicentur? Non est igitur hoc solùm misericordia; sed debitum, propter quod dicitur cap. 4. de opere pietatis: Et redde debitum tuum. Non est ergò contrarium, si fiat sine justitię lesione. Tertium, ut majus meritum habeatur: cùm enim, quod fit minimis suis, Deus factum sibi rèputet, quantò quis major est, tantò majora fieri sibi rèputat, & tantò habet acceptius, & tantò magis remunerat: & ideo notabiliter dicitur Matth. 25. non solùm de minimis, sed de minoribus: Quamdiu, inquit, non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Ad cavendum igitur personarum acceptionem, ad conservationem justitiæ, ad meritorum augmentum,

piè tractandi sunt fratres in hujusmodi recreationibus, etiam si de humillimâ sæculi paupertate venerint, tanquàm hoc illis fiat ratione infirmitatis precedentis de novô, quod divitibus fit interdum ratione consuetudinis antiquæ, quam in sæculô habuerunt. Et est argumentum ex hôc, quòd condescendendum est aliquibus in aliquô ratione consuetudinis præcedentis. Unde dicitur, quòd B. Bern. cuidam monacho, qui timebat frigus in capite multùm, concessit contra morem ordinis, ut portaret caputium, sicut in seculô consueverat: Quod, cùm feciſſet aliquot diebus, & semel existens in chorô videret alios monachos senes, & juvenes extractis caputijs in frigore cantantes, viriliter compunctus in seipsô extractum caputium de capite projecit in medium chori, & postea numquàm voluit portare. Item dicitur de quôdam Abbate sanctô, quòd quibusdam juvenibus monachis tentantis de carnibus ánserum, quas in sæculô libenter comedebant, concessit, ut clàncul̀ô paratas comederẽt: quod, cùm facerent, in ipsâ mensâ confusi in seipsis surrexerunt, & intrantes claustrum, pulsatô cymbalô, intraverũt refectorium, & fabas cum alijs comederunt. Item dicitur de quôdam aliô virô magnæ religionis, & famæ, quòd cuidam subdito suo, qui ceciderat in tristitiam, concessit vallare in aliquô locô occultô, sicut in sæculô optimè facere cõsueverat, & dicitur eidem valuisse, & quò ad corpus, & quò ad animã.

Hæ-

Hæc igitur, & similia, & si non sint trahenda ad consequentiam; tamen si fiant interdum, & rarò à vitis sanctis, credendum est, quòd fiant illô inspirante, qui populo suo suspiranti ad ollas carnium, consuetas dedit contra morem vastæ solitudinis carnes in abundantiâ in desertô.

¶ *Sed, cùm vires pristinas reparaverint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent, né cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos.*

Cap. LXVI.

DUæ sunt abusiones, quæ interdũ reperiuntur in illis, quibus recreationes misericorditer impenduntur: Una, quòd post sufficientem recreationem non facilè rèdeunt ad conventum, contra quam ponitur istud mandatum: Alia, quòd fœlices æstimant illos, qui divites fuerunt, quibus, ut eis videtur, talia faciliùs impenduntur: contra quam pònitur sequens mandatum. s. (Illos æstiment, &c.)

¶ Sed nota circa illud, quod hîc dicitur, quòd natura ad hoc quôlibet annô rèparat vires in terræ nascentibus, ut, & resumptis viribus ferat fructum consuetum. Item ad hoc datur annona copiosiùs equo, ut fortior effectus meliùs faciat dietam suam. Et ad hoc divisit Deus tempus, in tempus quietis, scilicèt noctem, & tempus laboris, scilicèt diem,

ut somnô refectis artubus in nocte, de die exeat homo ad opus suum. Sic & servi Dei, reparatis viribus per recreationes, debent redire ad labores consuetos conventûs, & hoc est eum diligere ex totis viribus, sicut præcepit Deuter. 6. cùm, scilicèt ex ejus amore, in ejus servitium expèndimus vires nostras: Benè ergò dicit vir sanctus: (Sed, cùm vires pristinas reparáverint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam) scilicèt ad vitam conventualem, modô consuetô sequendô chorum, refectorium, capitulum, scholas, collationes, & alia sienda, quę solent à conventualibus exercèri. Et inde quanta mala solent provenire interdum illis, qui se subtrahunt à sequendô conventum? unum est refrigeratio: Unde Bern. cuidam monacho tentato de solitudine dixit: Sicut carbo ardet cum alijs ardentibus, separatus verò refrigescit, immò & nigrescit, & reddit fumum: similiter & titio ardens claret cum alijs, segregatus hęc eadem incurrit: ita monachus segregatus à conventu facilè frigescit à fervore in corde, & denigratur conversatione, & reddit fumum malæ famę. Aliud est indignatio regis æterni: Omnis enim congregatio facta est, quasi exercitus quidam Domini, juxta illud Can. 6. Terribilis, ut castrorum acies ordinata: Solent autem multum indignari reges contra suos, qui non sequuntur exèrcitum suum: quòmodò ergo non indignabitur res regum, & Dominus dominantium

con

contra tales? Indignabitur siquidem, & non modicùm. Ideo in hujus figuram David indignatur contra Miphibosèth, licèt claudum, dicens ei 2. Reg. 19. Quare non venisti mecum Miphibosèth, scilicèt cum alijs, qui erant mecũ in exercitu meô? & àbstulit ei medietatem possessionum suarum, secundùm morem principum, qui punire solent à suô exercitu remanentes. Aliud est periculum latronum: Solet enim peregrinus sèparans se à socijs, faciliùs incidere in latrones: Ideo sicut peregrini pergentes Romam, cùm transeunt per terras guerrarum, solent expectare magnam societatem, & illam præcipuè in quâ est Potestas, vel aliquis magnus condùcens: ita & religiosus se semper debet conjungere multitudini conventûs, præcipuè cùm dominus sit semper in eô, tanquam in bonâ cõgregatione: Zach. 8. In diebus illis apprehendet fimbriam viri Judæi dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus, quoniam Deus vobiscum est. Aliud nota infidelitatis: Cùm enim dominus mittat religiosis, tanquam operarijs in vineâ suâ laborantibus, quicquid boni habet, quòmodò potest se excusare ab infidelitate ille operarius, religiosus scilicèt, qui vult comèdere omnia bona, quæ mittuntur, modò in infirmitoriô, modò in cœnâ, modò cum fratribus hospitibus, & nihil sustinere laboris in conventu, sicut vespertilio, qui dicitur bibere oleum lãpadarum in ecclesiâ, & nihil laborat in cantandô?

Et Job 2. ècontrariò: Si bona, inquit, ſuſcèpimus de manu Domini, mala autem cur non ſuſtineamus, ut ſcilicèt ſimus participes laboris, ſicut conſolationis? Aliud eſt erroris ìnvium: Ovis enim ſegregata à grege de facili vadit per multa ìnvia, ſicut & iſti per multas diſſolutiones, & irreligioſitates, & inſolentias: 1. Pet. 2. Eratis ſicut oves errantes, ſcilicèt cùm non eràtis in ovili eccleſiæ. Aliud eſt excluſio à portu cœleſti, ſicut ſolet accidere peregrino ſtulto cùnti ultra mare, qui, cùm navis àpplicat ad aliquem portum, ſolet ègredi ad terram causâ recreationis, interim flante ventô, alij proficiſcuntur ad portum, & ipſe in littore remanet, & ideo dicitur ècontra de diſcipulis Domini, quaſi de ſapientibus, Matt. 8. Aſcendente Jeſù in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus nolentes ſcilicèt in littore remanere. Patet ergò ex his, quòd incurrunt ſex mala: Refrigerationem charitatis, & hoc quò ad ſe: Indignationem regis æterni, & hoc quò ad Deum: Periculum latrorum, & hoc quò ad ſocios: Invium erroris, & hoc quò ad viam: Carentiam portûs, & hoc quò ad patriam.

¶ Item notandum, quòd vita conventualis habet ſex prærogativas, quas multùm debent diligere ſervi Dei. Prima eſt in meliori occupatione. Extra conventum enim frequenter occupantur in aliquibus minus bonis; in conventu verò eſt quaſi continua occupatio in aliquô bonô: & de hôc valde cu-

randum est bono viro: Unde Hier. Semper aliquid boni operis fàcito, &c. Secunda est in majori securitate, securior enim est quis ab hoste suô, cùm est inter socios suos, quàm, cùm extra, & ideo Caïn non interfecit fratem suum, quando erat cum patre in domô cum suis; sed eductum in agrô, sicut habetur Genes. 4. Tertia est in majori ordinatione, omnia enim magis ordinatè fiunt in conventu: Si autem omnibus fidelibus curandum est de hujusmodi ordinatione, secundùm illud. 1. Cor. 4. Omnia secundùm ordinem fiant in vobis, quantò magis illi, qui vivunt in ordine, & ordinem sunt professi? Quarta est in majori virtute, quicquid enim fit inconventu, fit non secundùm propriam voluntatem; sed alterius, quod virtuosius est, quàm si secundùm propriam voluntatem fieret, cùm illa nunc trahat huc, nunc illuc: Sene. Hoc solum virtuti adjicies, quod propriæ voluntati detràxeris. Quinta est in uniformitate majori: Vita enim conventualis est uniformis, sicut motus cœlestium, boni autem viri debent se libenter conformare cœlestibus: & ideo dicuntur frequenter in scripturâ cœli: & valet multum hujusmodi uniformitas vitæ, quia varietas turbationem indùcit, & corporis, & animæ; uniformitas verò quietem, & pacem: Psalm. In pace in idipsum dormiam, & requiescam: hoc est quod est idipsum, idest idem, sivè unum, dormiam in pace, & quiete. Sexta est in oratione majoris hu-

militatis. Sequestrator enim singularitatis etiam in bonô habet occasionem illam superbiæ, de quâ dixit Pharisæus Luc. 18. Non sum sicut cæteri hominum. In societate verò, cùm nihil faciat quis, nisi quod alij, nô est occasio hujusmodi superbiæ: Quid autem magis cavendum viro sancto, quàm superbia? Tob. 4. Superbiam in tuô sensu, idest mente, nunquàm dominari permittas, in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio. Sic ergò patet, quantæ prærogativę sit vita conventualis.

¶ Itẽ considerandũ, quòd cõventũ sanctę cõversationis sẽper sequitur ille magnus abbas, cui fecimus professionem, & obedientiam dicendô: facio professionem, & promitto obedientiam Deo, quantumcumquè sint ibi pauci: Matth. 18. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meô, ibi sum in mediô eorum Item secundùm regulam Evangelij, Quicumq̃, humiliores sunt, & minores apparent, sunt apud Deum majores: Isti verò sunt, qui solent meliùs sequi conventum. Item in hujusmodi conventu frequenter fit pictantia gratiarum, & consolationum spiritualium: Vnde Apostoli congregati receperunt spiritum sãctum. Item ibi dat benedictionem, non hebdomadarius, vel abbas, vel Episcopus; sed major his, videlicèt summus Pontifex: Psalm. Illic enim, scilicèt ubi fratres habitant in unũ, mandavit dominus benedictionem. Item statutum est Apostolicum, ut nullus sùbtrahat se ab istô conven

tu

tu: ad Heb. 10. Non deserentes collectionem vestrã, ideſt ſocietatem inſimul collectam, ſecundùm glo. Item ſubtrahentes ſe ſolent graviter damnificari, Saül recedens à cùneô Prophetarum amittebat gratiã prophetalem: 1. Reg. 19. Thomas abſens à chorô Apoſtolorum privatus eſt viſione dominicâ: Joan. 20. Judas exiens à ſocietate apoſtolicâ colligatus eſt cum inimicis Chriſti, & factus eſt ejus prò ditor: Matth. 28. Cùm igitur præſentia abbatis in conventù, & ſequela majorum, cùm ipſum cõventũ ſequuntur pietãtiæ bonæ, benedictio magnæ perſonæ, ſtatutum forte, & punitio gravis ſe ſubtrahentium, ſoleant movere multùm mònachum ad ſequendũ convẽtũ: quã perverſus eſt religioſus, quem ad ſequendum hunc conventum non movet præſentia Dei, nec coaſsiſtentia bonorum, nec pietãtiæ gratiarum, nec benedictio Dei, nec tam gravis punitio tranſgreſſorum? Miſerabilis igitur eſt conſuetudo illa, de quâ Heb. 10. (ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam) ſcilicèt desèrere collectionem, ideſt ìnſimul collectos: Et èconira benedicta conſuetudo illorum, qui libenter ſequuntur ubiquè conventum, cùm, ſicut ſupra dictum eſt, tot mala proveniant ſe ſubtrahentibus, tot bona ſint in vitâ conventuali, & tot rationabiliter motiva ad ſequendum: & ideo benè vir ſanctus vocat iſtam conſuetudinem fœliciorem, nõ per comparationem, quòd contraria ſit fœlix; ſed per oppoſitionem, quia illa

ſit

sit miserabilis valdè, ista verò valdè fœlix. Porrò ista beata consuetudo, & si omnes deceat; tamen magis illos, qui minus indigent: in quô reprehenduntur illi specialiter, qui præter necessitatem morantur in recreationibus. Isti sunt sicut trutàni, qui recipiuntur in divitibus hospitalibus causâ infirmitatis: & postquam sanati sunt, fingunt se adhuc infirmos, & ibidem morantur propter bonos lectos, & alia bona, contra quos dicit Dominus Marci 2. Paralytico sanato: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, sicut datur licentia trutano. Item horum corpus est sicut asinus, qui habens in stabulô pabulum bonum, & paleas ad quiescêdum, in mane, cùm est tempus, quòd vadat ad òncra consueta, fingit se claudum; sed cùm pungitur virgâ, & compèllitur, invenitur fortis: Et sic faciendum est tali corpori: Ecclesiastici 30. Cibaria, & virga, & onus asino, non dicit solùm cibaria; sed post cibaria virgam compellentem ad onus. Item horum caro est, sicut murilegus claustrorum, qui in refectoriô solet vivere de crustis; sed postquam consuevit ire ad infirmitoriũ, & ibi invenit morsellos, & reliquias carnium, numquàm vult redire ad refectorium; sed semper frequentat infirmitorium, quantumcumquè exclametur, & confundatur ibi; nisi in unô casu, scilicèt quando nihil datur ei ibidem, tunc enim redit ad refectorium: & sic subtrahenda

sun

sunt hujusmodi carnis delectabilia, ut revertatur ad consueta. Exemplum de filiô prodigô Lucæ 15. Qui, postquàm defuerunt deliciæ, redijt ad panes mercenariorum in domô patris: Quàm indecens igitur est, ut famulus Dei sit tanquam trutànus, vel asinus fictus, vel murilegus? Ideo benè dicit: (Quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent.) Tamen interdum contingit, quòd illi, qui fuerunt valdè spirituales, & contemplativi, postmodũ voluptate ciborum illecti, fiunt ita carnales, quòd vix possunt avelli ab hujusmodi cibis. Exemplum de àquilâ, quæ (sicut dicitur in librô collationum) cùm volet in altissimis, subitò interdum se dèjicit super cadaver, & ita fortiter adhæret, quòd vix avelli possit ab eô, ita & isti: & ideo cõfundit eos Apostolus Gal. 3. Sic stulti estis, ut, cùm spiritu cęperitis, nunc carne consumàmini. Dicitur fabulosè, quòd ursus ideo habet parvas aures, & parvã caudam, quia, cùm vellent eũ introducere ad locum mellis, ut comederet, fecit tantam difficultatem in intrandô, cùm tràherent per aures, quas habebat longas, quòd scissæ sunt in manibus eorum, & decurtatæ sunt: cùm autem ingressus invenisset mel, & nimìs avidè devoraret, & vellent eum tràhere per caudam, quam habebat lõgam valdè, ita fortiter adhæsit melli, quòd in trahendô eum retrò, rupta est cauda, & facta est parva

va. O quot sunt, & fuerunt, qui cum magnâ difficultate introducti primò ad recreationem, vix postmodum possunt avelli à melle dulcedinis illius, contra quos dicitur Proverb. 25. Mel invenisti: còmede, quod sufficit tibi, quasi dicat, non nimìs; sed moderatè. Dicitur iterum, quòd fuit quidam Philosophus multùm justus, & audax in dicendâ veritate: cùm autem multum, & audacter obloqueretur de rege suô, & curiâ ejus, quæ erat multùm carnalis: rex sapienter, & non per potentiam volens sibi providere, usus consiliô prudentium vocavit eum ad curiam suam, ut esset commensalis suus, & assisteret ei in consilijs: cùm autem, licèt quodammodo coactus, consensisset, per lapsum tèmporis paulatim inceperunt ei tantum placere deliciæ curiæ, & solatia carnalia, quòd amisit cor dicendi aliquid contra regem, & curiam suam, & sic rex, & sui dimissi sunt in pace à linguâ illâ. Quis autem nesciat, quòd multi zelatores a usteritatis, qui solebât durè loqui contra hujusmodi carnales, pejores eis effecti, in hoc habenas laxantes, postquam feruntur in eis similìa, ex placentiâ, quam inveniunt, in eis irretiuntur, & talia jam loqui non audent, sicut de cane dicitur, quòd projectô ei pane à latrone, cessat à latratu? Ideò dicitur Eccles. 20. de xenijs, quæ possunt hîc vocari pictantiæ recreationum, collatæ Prælatis, & officialibus, & alijs his utentibus, quòd quasi mu-

ti in ore avertunt correctiones. Cùm igitur voluptas cibariorum viros spirituales efficiat carnales & carnalia, quæ prius fugiebant, faciat nimis sequi, & os apertum ad hujusmodi claudat à reprehensione aliorum salubri : benè dicit vir sanctus, quòd (caveat, nè cibi eos voluptas teneat jam vegetatos.) Tenet equidem quandoquè etiam viros bonos in vinculis hujusmodi voluptas. Vidi ego quendam bonum religiosum, qui, cùm fuisset in infirmitoriô aliquantô tempore, & appropinquaret dies, quô oportebat eum redire ad conventum, advertens, quid agebatur in animâ suâ, dixit in quôdam solariô, quòd ita videbatur ei difficilè, relictô infirmitoriô, intrare conventum, sicut ei fuit difficilè à principiô, relictô sęculô, intrare ordinem, & ideo valdè cavendum est etiam viris sanctis ab hujusmodi.

Cap. LXVII.

ILlos sanè existiment ditiores, qui in sustinendâ parcitate fuerint fortiores: melius est enim minus egere, quam plus habere.

¶ Quidam experti solatia recreationum apud se magnificant illos, qui divites fuerũt, quibus, ut eis videtur, hæc frequentiùs impenduntur, & hæc est abusio secunda prædicta, contra quam pònitur mãdatum hoc. Non enim divites propter hoc debent repu-

reputari melioris conditionis; sed potius, qui fortes sunt ad sustinendam parcitatem, debent ditiores æstimari. Et ponitur in hôc mandatô: Primò substantia mandati ibi: (Illos æstiment) Secundò causa mandati ibi: (Meliùs enim est, &c.)

¶ Et notandum, quòd duo sunt genera divitiarũ, corporales videlicèt, & spirituales, de quibus habetur 1. Cor. 8. Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut ejus inopiâ divites essemus: Glos. in spiritualibus. Non enim ad hoc fuit pauper Jesùs, ut essemus divites in temporalibus. Consistunt autem istæ divitiæ spirituales in virtutibus: Eccles. 44. Divites in virtutibus, & in operibus earum, & 1. Tim. 6. Præcipe divitibus hujus sæculi dìvites fieri in operibus bonis: quę duo unô nòmine possunt dici justitia generalis, quæ consistit in virtutibus, & in operibus earum meritorijs. Et attende quanta differentia est inter ista duo genera divitiarum: dicitur Proverb. 17. Quid prodest homini stulto habere divitias, cùm sapientiam èmere non possit? Ergò propter divitias corporales non potest haberi sapientia: ergò multò magìs nec justitia, quæ melior est: Ergò nec regnum cœlorum, quod est majus: sed pro quôlibet opere justitiæ meritoriô, quãtuncumquè modicô, haberi potest regnum cœlorum: ergò melius incomparabiliter omnibus divitijs mundi justitia. Sicut ergò incomparabiliter aùreus denarius excedit denarium plumbeum in valòre, ita,

&

& divitiæ ſpirituales, corporales: quia per illas non poteſt haberi, niſi quid vile ſcilicèt temporale aliquod; per iſtas verò poteſt haberi pretioſum regnum cœlorum. Item ſolent divitiæ temporales interdum prodeſſe poſſeſſori ſuo ad hoc, ut ſi fortè ex aliquâ offenſâ cadat in manus domini ad pœnam mortis, per illas liberetur in curiâ illius. Non ſic autem erit in die magnę neceſsitatis: non ei tunc divitiæ ſubvenient, juſtitia verò ſubveniet: Proverb. 11. Non prò derunt divitiæ in die ultionis; juſtitia verò liberabit à morte. Item divitiæ corporales non poſſunt transferri ad aliud ſæculum: Job. 37. Dives, cùm dormierit, nihil ſecum affert; opera verò juſtitiæ illuc deferuntur: Apoc. 14. Opera enim illorum, ſcilicèt bonorum, ſequuntur illos. Differunt ergò ſicut præbenda, quam habet aliquis in aliquâ Eccleſiâ, & extra nihil ei valet, & præbenda, quam habet quis, ubicunquè moretur, quæ reputatur melioris conditionis. Item corporales divitias multi volunt habere, & non poſſunt, propter quod dicitur Proverb. 23. Nè èrigas oculos ad opes, quas habere non potes, ſcilicèt corporales, quæ vix haberi poſſunt, ècontra ſpirituales facilè habere poſſunt, quicumquè volunt: Eccleſ. 15. Ante hominem bonum, & malum, ad quod volùerit, extendat manum. Ergò quicumquè vult, poteſt habere bonum, in quô conſiſtunt divitię ſpirituales. Item iſtę poſſunt perire invitô dominô: Eccleſ. 5. Pereunt in afflic-

flictione peſsimâ, cùm enim, vel auferũtur ab alijs, vel amore, vel mutatâ fortunâ èvolant, ſi non invitô poſſeſſore hoc eveniret, non relinqueretur afflictio; ſed quia invitè hoc fit, relinquunt peſsimam afflictionem. Spirituales verò non poſſunt auferri à nolente: ideo dicitur Oſeæ 8: Projecit Iſrael bonum. Non enim bonum poteſt amitti, niſi projiciatur ab homine, ſecundùm illud, quod dicit Philoſophia Boëtij: Talia tibi arma cõtuleràmus, ſcilicèt virtutes, quæ niſi prior abjeciſſes, invictâ te firmitate tuerentur. Item iſtæ habent annexam multam amaritudinem: Naüm 3. Cujus divitiæ mare, ſcilicèt amaritudo: Eſt enim labor in acquirendô, timor in cuſtodiendô, dolor in amittendô, anxietas in dandô, anguſtia, cùm in expendendô minorantur, miſeria in vitâ, cùm non expenduntur. Quid autèm ſunt omnia iſta, niſi amaritudines? Illę verò jucunditates: Pſal. In cuſtodiendis illis retributio multa: Gloſ. In cuſtodiendis dicit, non pro cuſtodiendis, quia in præſenti gaudium habent, & jocunditatem, quæ tanta eſt, quòd dici non poteſt. Item iſtę ſunt interdum nocivæ dominis ſuis: Eccleſ. 5. Divitiæ conſervatę in malum domini ſui, in malum ſcilicèt culpę: Eccleſ. 11. Si fueris dives, non eris immunis à peccatô, nec à malô pœnę, quò ad præſens: 1. Tim. 6. Qui volũt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, qui ducens eos illaqueatos ad ſæculum, ponit

mit in statu, in quô incurrent pœnam damnationis: Matth. 19. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare regnum cœlorum: & pœnam sensûs juxta illud Jacob. 5. Et manducabit carnes vestras tanquàm ignis, scilicet aurum, & argentum, & hæc duo, quò ad futurum. Verùm è contrariô nihil in vitâ utilius est hominibus divitijs spiritualibus, scilicet virtutibus, sicut dicitur de quattuor cardinalibus Sap. 8. Cùm ergò divitiæ spirituales, sicut ex his patet, plus valeant ad acquirendum magna, & succurrant in die magnæ necessitatis, & portari possint ubiquè, & facilius acquirantur, & difficilius amittantur, & habeant secum annexam jocunditatem, & summam conferant utilitatẽ, quæ omnia desunt corporalibus: patet, quòd excellentiores sunt incomparabiliter istæ illis. Et ideo vocantur à sapientiâ opes superbæ: Glo. Quicquid donorũ fidelibus cœlitùs datur, cunctis mundi opibus excellentius est. Sanè istis divitijs multum abundant illi, qui fortes sunt ad sustinendum parcitatem, habent enim meritum abstinentiæ, & hoc pertinet ad abstinentiam: Item meritum patientię sustinendô, quod est carni molestum, & hoc pertinet ad fortitudinem: Item meritum obedientiæ sequendô communia statuta, & hoc pertinet ad justitiam, sicut species ejus: Item meritum prudentiæ spiritûs, quæ est contraria prudentiæ carnis, & ipsam habet elidere suppeditandô carnem, & hoc

pertinet ad prudentiam: Item habet meritum fidei, quid enim, nisi fides Christi moveret eum eligere in bonis parcitatem ? Hebr. 11. Fide Moyses elegit affligi cum populô Christi : Item meritum spei, viri enim sancti expònunt corpus in praesenti propter spem percipiendi melius in resurrectione: sicut miles expònit equum in servitiô regis liberaliter, sperans quòd si amittat eum, restituetur sibi à rege 2. Mach. 7. Dixit unus de septem fratribus respiciens membra, quæ exponèbat martyrio propter leges Dei, hęc ipsa despicio, quoniam ab ipsô me recepturum spero. Item meritum charitatis, quia propter Deum hîc sustinetur: Psal. Propter te mortificamur totâ die, idest propter amorem tuum. Cùm igitur fortes in sustinendô parcitatem habeant merita quattuor cardinalium, & trium theologicarum virtutum, ut patet ex his, valdè sunt divites divitijs spiritualibus, quæ quantô âlijs prævalent, tantô chariores divitię reputandę : sicut divitiæ auri sunt veriores, quàm æris: & ideo benè dicit vir sanctus: quòd tales ditiores sunt æstimandi, quàm quicumquè alij propter divitias corporales.

Cap. LXVIII.

QUòd autē intelligat de divitijs spiritualibus, patet per hoc, quod subjungit: (Melius est enim,

enim, &c.) Melius est, respicit ea, quæ sunt virtutis, & est sensus: melius est minus egere, &c. hoc est, melioris conditionis est ille, qui minus eget, & minus habet. Verbi gratiâ: Melioris conditionis est sanus, qui minus eget medicinalibus, & minus habet, quàm infirmus, qui plus eget eis, & plus habet: & potens contra frigus, qui minus habet de vestibus, & minus eget, quàm passibilis à frigore, qui plus eget vestibus, & plus habet: & sic in similibus. Sic natura humana melior fuit ante peccatũ, quando minus egit hujusmodi, & minus habuit: quàm post peccatum, quandò plus eget, & plus habet. Et sicut ager, qui minus eget simô ad fructum suum faciendum, & minus ibi pònitur, melior est illô, qui plus eget, & in cô plus apportatur: & honesta nostra, quibus secundum Apostolum minorem honorem circùndamus, quia minus egent, meliora reputantur inhonestis, quibus majorem honorem circũdamus, quia magis egent: Sic quoque; melioris cõditionis est, qui minus eget, quam, qui plus egens plus habet.

¶ Hujus autem est ratio multiplex. Prima, quia talis plus habens, quantò plura habet, tantò de pluribus habet rèddere rationem: Lucę 12. Cui plus committitur, ab eô plus exigitur. Secunda, quia quantò plus oportet ei ministrare, tantò magis est aliis onerosus, quod valdè cavendum est servo Dei: 2. Corinth. 11. In omnibus me servavi vobis sine

ònere, & ſervabo. Tertia, quia minus acceptus eſt domino ſuo, ſicut operarius, qui præter mercedem in ſerò reddendam, quantò plura requirit in procuratione diurnâ, tantò magis eſt tædioſus domino, & minus acceptus. Ideo Hyràm Rex Tyri Salomoni petenti famulos ſuos in ſuum ſervitium, & promittenti dare, quod vellet, volens ei complacere, non petijt pro eis ſuperflua; ſed tantum neceſſaria: Et tu, inquit, præbebis neceſſaria, nō dicit ſuperflua: 3. Reg. 5. Quarta, quia eget majori ſolicitudine quotidianâ pro ſuis ſcilicet neceſsitatibus: hoc autem non modicæ eſt miſeriæ. Ideo Lucæ 10. prefertur pars Mariæ ſine ſolicitudine parti Marthæ, quę erat ſolicita circa plura. Quinta, quia oportet talem quaſi in ſervitutem rèdigi eorum, à quibus oportet eum hujuſmodi abundantiam recipere: ſicut mutuò accipiens ſervus eſt fœnerantis propter ſuam neceſsitatem: Proverb. 22. Quod valdè cōtrarium eſt libertati, in quâ debent vivere ſub gratiâ conſtitùti. Ideo dicit Apoſtolus 1. Corint. 7. Nolite èffici ſervi hominum. Sexta, quia minus pàratus eſt ad obedientiam: ſicut dìvites, qui ìndigent multis equis, & multis neceſſarijs in viâ, non ita citò poſſunt ſe movere, ſicut pauper, qui nō habet niſi perſonam ſuam. Semper autem Dei ſervus debet eſſe paratus: ſic de Angelô dicitur Tob. 5. Et quaſi ad ambulandum paratus: Luc. 11. Et vos eſtote parati. Cùm ergò hujuſmodi plus habentes, de plu-

pluribus habeant reddere rationem, & magis sint onerosi socijs, & minus accepti domino suo in servitiô, & in angustiâ solicitudinis, & in servitute majori, & minus parati ad obedientiæ executionẽ, benè dicuntur minus egentes, & minus habẽtes melioris cõditionis, quã isti. Et hoc est, quod dicitur: (Melius est enim minus egère, quàm plus habere.)

¶ *Tertium capitulum totius regulæ.*

Non sit notabilis habitus vester: nec affectis vestibus placere; sed moribus.

Cap. LXIX.

Hîc incipit tertium capitulum, quod est de pertinentibus ad religionem, inquantum est status honestatis excellentis: ad hujusmodi verò honestatem pertinet honestas in habitu, de quâ hîc: honestas in societate, de quâ ibi:(quando proceditis, &c.) honestas in moribus, ibi:(in incensu,) Et super omnia inhonestatis correctio, ibi: (quando ergò simul estis, &c.) Porrò circa honestatem habitûs tradit hæc duo mandata, unum contra exteriorem notabilitatem: Aliud contra interiorem affectionem, ex quâ causatur. Primum ibi: (Nec affectetis) Circa primum verò notandum, quòd habitus in religiosô potest esse notabilis ex septem, scilicèt: ex pretiositate 1. Tim. 2. de mulieribus: Non in veste pretiosâ: quantò magis hoc servandum in

virô religioſô paupertatem profeſſô? Exemplum de Auguſtinô, qui de ſe dicit: Fateor, de veſte pretioſa erubeſco, non enim decet hanc profeſsionem. Item ex mollitie: quia non decet viros pœnitentiæ hujuſmodi mollities: Matth. 11. Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt, ubi ſcilicèt non eſt locus pœnitentiæ. Invenit per hoc à contrariô, quod ubi eſt locus pœnitentiæ, non debet hujuſmodi habitus inveniri. Item ex pulchritudine, quia ſapit ſuperbiam 1. ad Tim. 5. Habentes quibus tegamur, his contenti ſimus. Nota quòd dicit tegamur: Gloſ. ſuper Matth. 3. ibi: Joannes habebat veſtimentum de pilis &c. Servus Dei non debet habere veſtimentum ad decòrem; ſed tantum ad tegendum nuditatem. Si autem hæc decet hominẽ Chriſtianum, quantò magis religioſum? Item ex inuſitatione: ſicut quando eſt alterius colòris, vel formę, vel quantitatis, vel in aliô modô quôcumque diſsimilis veſtibus, quæ communiter ab alijs ſocijs deferuntur. Hæc eſt veſtis peregrinâ, de quâ dicitur Sopho. 1. Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ. Et eſt argumentum, quòd non debẽt pàrcere viſitatores in articulô tali cuicumquè, qui talem indùcit deformitatem. Item ex ſęcularitate: quod eſt quando ſotulàres, vel mànicę ſunt nimìs ſtrictę, vel aliter aliquâ laſciviâ, vel curioſitate veſtìs quâcumquè in aliquô notandâ. Sicut enim

veſ-

vestis aliquàntulum religiosa in sęculari ostendit ipsum habere animum religiosum, ita in religiosâ vestis sæcularis ostendit ipsum habere animum sæcularem: Eccl. 20. Amictus hominis enũciat de illô. Item ex superfluitate, videlicèt, cùm quis habet caputios superfluos, vel tunicas, vel alia quęcunquè præter necessitatem justam. Cùm quidam religiosus fatigatus ex itinere quièsceret in viâ: quidam parvus puer accedens, & sedens juxta eum, & videns in eô tres tunicas gradatim apparentes, & caputium, & cappam desuper, incèpit computare dicens 1. 2. 3. 4. 5. & quasi scandalizatus dixit tale, vel simile verbum: Ut quid vos habetis tot tunicas, cùm ego non habeam nisi unam? Si autem puer sic fuit scandalizatus, quis dubitat multos in hujusmodi malum exemplum accipere? Ideo dominus volens cavere ab hujusmodi scandalô discipulos, dixit eis Matth. 10. Nequè duas tunicas habeatis. Et dicit Hjeron. duas: necessariam, & superfluam, ex quô patet, quòd superfluitas est interdicta discipulis Domini. Item ex nimiâ compositione, cui nimis intendunt interdum aliqui, aut in parandô caputium, aut in ligandô sotulâres, & similibus, quod est muliebre: Psalm. Filiæ eorum compositæ. Econtra dicitur Exod. 22. Non induetur vir veste muliebri. Tantum autem dèdecet hujusmodi solicitudo compositionis virum religiosum, quantũ indecens reputatur in scripturis viros fieri effœminatos. Pa-

tet igitur, quòd habitus viri religiosi non debet esse notabilis, vel in pretiô, vel in mollitie, vel in decòre, vel in extraneitate inusitatâ, vel in aliquâ curiositate sæculari, vel in superfluitate, vel in nimiâ compositione.

Cap. LXX.

SI verò sit Prædicator, super omnia decet eũ vilitas in habitu, quod sic patet: super illô verbô Zach. 13. Non operientur palliô saccineô, dicit glo. Mos erat prophetis indui saccô, cùm populum ad pœnitentiam provocabant. Itẽ Matth. 3. dicitur de eximiô prædicatore pœnitentiæ. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Item Apocal. 11. dicitur de Enòch & Heliâ: Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Si ergò primi prædicatores pœnitentiæ, scilicèt prophetę in veteri lege, & medius inter legem, & evangelium sanctus Joannes, & ultimi in fine venturi, scilicèt Enòch, & Helias, qui omnes fuerunt de genere Judæorum non curantium de abjectione Christi, tam vilibus vestibus usi sunt, vel utentur, ad movendum efficaciùs ad pœnitentiam; quantò magis còmpetit Predicatori evangelicæ paupertatis, & qui specialiter est ad prædicandum pœnitentiam deputatus, vilitas vestis? Item dicit Glo. super illô verbô Matth.

10.

rò. Erat Joannes vestîtus pilis camelorum : vestis conveniens prædicatori: Et benè dicit conveniens: Filius enim Dei, cùm voluit prædicare in mundô, induit valdè vilem vestem, scilicèt carnem humanam: Zach. 3. Et Jesûs erat indùtus sordidis vestibus, quod expònitur super Joannem de vestibus nostræ mortalitatis, cùm inventus est habitu, ut homo. Prædicatoris verò est super omnes ipsum imitari, & maximè in his, quæ prædicationi contingût. Item prædicatòris est debellare mundi gloriam; hæc autem pro magnâ parte consistit in vestibus pretiosis: Quomodo autem potest gloriam mundi contemptibilem rèddere ille, in cujus totô corpore hujusmodi gloria relùcet? Còntigit Parisijs, quòd quidã Magister theologiæ sæcularis prædicabat in universitate indutus optimâ veste, vel cappâ novâ in principiô hiemis. Cùm autem leniter imprimeret verba sua in cordibus auditorum: quidam fatuus, qui erat in mediô scholarium, surrexit, & dixit: Et tace: illa vestis pretiosa, quam habes, nõ permittit te audacter dicere veritatem, & fecit ei mirabilem confusionem. Nonnè & ipse Apostolus hanc eandem confusionem facit facientibus contra suam prædicationem, cùm dicit Rom. 3. Qui prædicas non furandum, furaris &c. quod habet locum in omni simili? Debent ergò, qui habent mundi prædicare contemptum, cavere, nè in suô habitu appareat aliquid, quod gloriam mundi prætendat. Item vilitas ves-

vestis signum fuit quondam veri prophetæ: unde Zach. 13. Non operientur pallio sàccinô, ut mentiâtur: quod expònitur de falsis prophetis, qui volentes videri veri prophetæ, operiebant se saccis, sicut veri: ergò coopertura facci fu't signum veri prophetæ, & à Deô missi: multò magis nunc est signum veri nuntij Dei, cùm, & ipsi Apostoli missi à Christô non fuerint, sicut solemnes nuntij mundi in gloriâ vestium; sed in multâ paupertate apparuerunt in hôc mundô: Prædicator verò multum debet curare, ut habeat signa, per quæ appareat verus nuntius Dei, ut ei melius credatur, & ideo convenit ei vestis vilis. Item prædicatori multùm est curandum de bonâ famâ, quia ipsa atrahit mundum ad eum, hujusmodi autem vestis reddit hominem in sanctitate valdè famosum, quia secundùm Senecam: Argumentum bonæ voluntatis est gravatus, & pannus dùrus: cùm non ex necessitate; sed ex voluntate hoc pati quis sustineat. Attrahit etiam per vestis duritiam Prædicator multos: Matth. 3. Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceâ circa lumbos suos: & sequitur: Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem. Item prædicatoris est exemplô ostèndere, quod dicit verbô: Cùm ergò, ut frequenter, habeat prædicare pœnitentiam, debet eam ostèndere in se: Apoc. 11. Prophetabunt amicti saccis. gl. prædicantes pœnitentiam, & exemplô

os-

ostendentes. Nō autem ita pœnitentia appāret prędicatoris in jejunijs, vel orationibus, vel afflictionibus quibuscunque, cùm hujusmodi non fiant in publicō, sicut in vestibus, quæ semper sunt in apertō: Et ideo cōvenit, ut vestis ejus vilitatem pœnitentialem prætendat: Et ideo dicit glo. Mat. 3. de pilis camelorum: Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentię prætendat. Item ad prędicatorem pertinet non solùm verbis; sed factis docere: sicut Christus omni suâ actione docuit. Et Prophetę olim factis suis docebāt, ut patet Eze. 12. In vasorum transmigratione. Et ideo dicitur Joannes vox, quia non solùm verbō; sed totus clamabat: sicut quælibet pars vocis est vox. Porrò vilitas vestis multa docet: Docet enim, quòd sicut ipsa, quę est exterius, est vilis, ita omnia exteriora sunt vilia. Item docet, quòd nunc est tempus non festivū, quando solent ferri vestes pretiosę; sed feriale ad laborandū, quando solent viliores deferri. Item docet quòd nunc sumus in viâ: Etenim viliores vestes deferuntur etiam à divitibus in viâ, quàm quando in domō sunt. Item docet, quòd debemus esse famuli domino servientes, viliores enim vestes deferuntur ab his. Item docet, quòd habemus nunc causam luctūs, pro luctu enim solent viliores vestes deferri. Item docet, quòd debemus nunc intendere placationi divinæ: sicut Ninivitę vestes viles assumentes. Et alia quàm multa salubria docet vestis hujusmodi. Cùm igitur vilitas in vestibus Christo

lto assimilet in sui prædicatione: & valeat ad mũdi gloriam debellandam: & signum det de veritate nuntij cœlestis: & valeat ad famam, & exemplum pœnitentiæ, & doctrinam sanctorum multiplicem, quæ omnia sunt omni prędicatori valde necessaria: patet quòd prędicatori convenit vilitas vestium. Et quantò vestis est magis exterior, & plus videtur, ut sunt cappę: tantò magis est in illis vilitas observanda.

Cap. LXXI.

QUia verò vestium prædicta notabilitas exterior procedere solet ex affectu interiori placendi: Sequitur mandatum contra hoc, cùm dicitur: (Nec affectetis vestibus placere) Bene autem dicitur viro religioso, nè affectet placere vestibus: Hoc enim est meretrìcum. Unde Cyprianus ad mulieres: Fugiant virgines, & pudìcæ cultus, & habitus impudicarum, insignia meretrìcum. Si autem mulieres bonę debent hoc fũgere: quantò magis viri sancti? Non est siquidem eis hujusmodi placentia imitanda; sed potius deploranda. Exemplum de quôdam sanctô, qui, cùm vidisset quandam meretrìcem, dixit: Ignosce mihi omnipotens Deus, quia ista mèretrix taliter se pro mundô composuit, & ego tibi Domine placere proposui, & similia per meam negligentiam non implevi. Et in Vitis patrũ di-

dicitur, quòd, cũ abbas Pambo descendens in Alexandriam vidisset quandam mulierem meretricem, flevit, & cùm interrogatus fuisset, quare fleret: dixit: Duę res me movent: una de perditione illius: Alia, quia non habeo tale studium placendi Deo, sicut ista turpibus hominibus. Non ergò debent quęrere viri sancti placere ornamentô vestium; sed ornamentô morum, propter quod subdit: (sed moribus) Sed nunquid velle placere moribus licitum est, cũ dicat Apostolus Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem? ℟. sicut appetitus excellentiæ, si ibi sistatur, est semper peccatũ; si autem apperatur excellentia propter Deum, ut quia scilicèt majorẽ fructum potest quis ibi facére, vel similia, non est peccatum: sic, & voluntas placendi hominibus, si sit in hâc placentiâ ultimus finis, est semper peccatum; si verò dirigatur ad factum melius, potest esse sine peccatô. Unde glo. super prædictum locum: Apostolus non se hominibus placere rectè dicebat: quia eô ipsô, ut Deo placeret, utebatur. Et ideo dicitur Ephes. 6. Nõ ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed sicut servi Christi. Qui enim intendit placere hominibus propter Christum, tali placentiâ servit Christo. Item talis placentia aliquando adeo intensa est, quòd propter eã facit aliquis aliquid, quod displicęt Christo: Act. 12. videns Herodes, quòd placeret Judæis interfectio scilicet Jacobi, apposuit apprehen-

hendere & Petrum. Hujusmodi intentio facit placentiam talem culpabilem: Unde in eôdem super illô verbô: An quæro hominibus placere? dicit Glo. Sicut quando litteras accepi à sacerdotibus ad occidendum Christianos? nõ, quia si adhuc hominibus placere vellem, ut olim, Christi servus non essem. Et ideo dicitur ad Rom. 15. Unusquisque proximo suo placeat in bonô: quod dicitur ad differentiam illorum, quos placentia talis ducit ad malum. Duplici igitur ex causâ potest esse hujusmodi placentia culpabilis: vel ex parte finis, cùm pònitur ultimus finis in eâ: vel ex parte intentionis, cùm tanta est, quòd indùcit ad aliquod Deo displicens. Aliter verò potest quis placere Deo, simul q; velle placere hominibus, scilicèt propter Deum, & in bonum. Et sic faciebat Paulus 1. ad Cor. 10. Per omnia omnibus placeo: de quô maximè prędicatori curandum est. Necessarium enim est ei non modicum, ut libenter videatur, quòcumque declinat, & ut libenter audiatur, & ut facilè sua doctrina executioni mandetur, & ut facilè sibi acquiescatur in suis consilijs, & ut correctiones suæ patienter sustineantur, & ut in suis necessitatibus, si indigeat, devotè subveniatur eidem. Quis autem hoc, vel istorum aliquid exhibebit hominibus displicentibus? Proinde non solùm bonis; sed etiam malis: non solùm amicis; sed etiam adversarijs: non solùm domesticis; sed etiam extraneis: immò & omnibus, exem-

plô

plō Apoſtoli, laborandum eſt prædicatori propter Deum placere: alioquin parum proficiet apud eos, ad quos mittitur, ſi diſpliceat. Sicut ſecundū Greg. parum apud Deum proficit, cùm is, qui diſplicet, mittitur ad intercedendum. Porrò ad hujuſmodī placentiam acquirendam valēt multa. Primum eſt, ut caveatur ab offensâ cujuslibet. Unde 2. ad Cor. 10. cùm dixiſſet Apoſtolus: Sine offenſione eſtote Judęis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſtatim ſubjungit, ſicut & ego per omnia omnibus placeo. Unde Glo. Per omnia omnibus placere eſt ſine ſcandalō cujuſque agere. Scandalum verò idem eſt quod offenſa. Secundum eſt, ut aliorum utilitati opera impendatur. Unde ibidem Apoſtolus, cùm dixiſſet Per omnia omnibus placeo, ſubdit immediate: Nō quęrens quod mihi utile; ſed quod multis. Glo. Per omnia omnibus placere eſt agere ad profectum aliorum. Tertium eſt, ut pro quōlibet libēter quod petit, fiat. Titū 2. ſuper illō verbō: Servos dominis ſuis in omnibus placentes, non contradicentes, dicit Glo. hōc modō pōterunt placere, ſi non murmuraverint, cùm domini eis aliquid jnſſerint. Si autem faciunt ſine mūrmure, ſive libenter, quod mandat dominus, facit ſervum placere ſuo majori, cui tenetur: quis dubitet quin hoc multò magis faciat quemlibet placere alij, cui minus tenetur? Quartum eſt, ut infirmitates aliorum patiēter portētur: Ro. 15. Debemus imbecillitates infirmorum ſuſti-

nere,

nere, & non nobis placere, non quod nobis placeat vēdicare, sed quod fratri: Inde venit per hoc, quòd valdè placet cuicumque fratri, & proximo, cùm infirmitas sua patienter portatur. Quintum est, cū quis aliorum moribus se conformat. Naturale est enim, ut complaceat sibi quilibet in suô simili. Propter quod dicitur Proverb. 3. Pater in filiô cōplacet sibi, quasi in suâ imagine. Et ideo non est mirum, si Paulus placebat omnibus, qui omnia omnibus factus se omnibus conformabat. Sextum est, ut nihil per potentiam, seu duritiam; sed per rationem, vel benignitatem apud omnes agatur. Et ideo in vitâ Clementis dicitur de eô, quòd ita morum ornamentô pollebat, quòd Judæis, & gentilibus, & Christianis placebat: Et subditur ratio in hunc modum. Diligebant eum gentiles: quia non execrandô; sed rationem reddendô ostendebat ex libris eorum, unde nati essent, & qualiter defecissent. Judæorū verò gratiâ utebatur, ex eô quòd legem eorum sacratissimam memorabat, primumque eos locum habituros, si suæ legis sacramenta servarent. A Christianis verò diligebatur: quia singularum regionum inopes scriptos habebat nominatim, & eis providebat: Ex quibus patet, quòd ratio, & benignitas eum placere omnibus faciebat. Cùm igitur hæc valeant ad hujusmodi placentiam acquirendam, quæ necessaria est prædicatori: debet prędicator sapiens dare operam ad hujusmodi exer-

exercenda. Quòd si forte faciens, quod in se est, non placet aliquibus, jam est illorum vitium, non suum. David enim, quamvis dicatur aspectu desiderabilis, & esset acceptus in conspectu regis Achis: tamen satrapis nō placebat propter eorum invidiam, sicut dicitur 1. Regum 29.

Cap. LXXII.

QUãdo proceditis, simul ambulate, cùm venerítis, quò itis, simul state. ¶ Quoniam multum decet viros religiosos, & sanctos honestè ambulare ad eos, qui foris sunt, sicut dicitur 1. Thes. 4. Ideo hîc pònitur mandatum circa honestatem, quæ pròvenit ex societate in ambulandô. ¶ Et nota, quòd quamvis ire cum sociô pertineat ad religiosi honestatem cujuslibet: tamen specialiter pertinet hoc ad discipulos Domini, propter ejus negotium discurrentes per mundum. Hinc est, quòd Dominus misit in Ægyptum pro suis negotijs Moysen nō solum; sed associavit eidem Aarōn: Exod. 4. Venerunt simul Moyses, & Aarōn, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israël: & post frequenter dicitur, quòd insimul intrabant ad Pharaonem, & insimul loquebantur; & insimul respondebant eidem. Hinc est etiam, quòd Christus discipulos misit binos, & binos: sicut dicitur Luc. 11. Hinc est iterum quòd spiritus sanctus Paulum, & Bàrnabam, quantum cũque essent sufficientes, solos non assumpsit ad opus

ſuum: ſed ſimul aſſociatos: Segregate, inquit, (ſcilicèt ſpiritus ſanctus) Paulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos: Act. 13. Nunquid iterum collegium Apoſtolorum, quod erat in Hieruſalem, cùm audiſſet, quia recepit Samaria verbum Dei, miſit ſolum Petrum, vel ſolum Joannem, quorum uterque vir tantus fuit? Non utique ſeorſim; ſed ſimul miſerunt, inquit, Petrum, & Joannem: Act. 8. Item nunquid reſervatur ſolus Enòc, aut ſolus Helias, ad veniendum in fine mundi contra Antichriſtum, & ad ſubveniendum electis? conſtat quòd non; ſed ìnſimul venient: ſicut patet Apoc. 11. Item Joſuè non unum ſolum; ſed duos exploratores miſit ad terram adverſariorum: Joſuè. 2. Item nunquid Tobias mittere voluit filium ſuum ſine ſociô ad terram longinquam pro pecuniâ rehabendâ? Nonne Deô ordinante, ipſi datus eſt angelus in ſocium, in ſpecie viri: Tob. 5? Proinde quantuncunque ſint viri ſpirituales, vel etiam ſapientes, numquam debent ſoli ambulare, vel ſoli ſtare, ubicunque declinent. In cujus figuram in tabernaculô nô erat unus ſolus chèrubin; ſed duo verſis vultibus ſe reſpicientes: Exod. 25. Ad ſciendum autem quantum cònferat hujuſmodi ſocietas ad honeſtatem: Notandum quòd diabolus citiùs invàdit, vel procurat invàdi ad tentandum de re inhoneſtâ ſolum, quàm aſſociatum, ſicut latro citiùs invàdit peregrinum ſolum, quàm cum ſociô exiſtentem: Gen. 39. Accidit autem,

tem, ut quâdam die intraret Joseph domum, & operis quipiam absque arbitris faceret: & illa scilicet uxor Phutipharis, apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, diceret, dormi mecum. Nunquid meretrix illa, laqueus diaboli, impetisset eum de turpitudine, si secum habuisset socium? arbitror quòd non. Item cùm est aliquis solus, facilius consentit turpi tentationi: quia multa sunt turpia, quæ non dimittunt homines propter Deum, quæ propter homines dimittunt: Unde Eccles. 23. Dixit fornicarius: Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me: quem vereor? Et ideo facilius consentit in peccatum. Unde de quòdâ monachò dicitur, quòd, cùm mansisset sexaginta annis in claustrò, virgo, & innocens: ultimò annò missus solus pro negotijs abbatiæ, incurrit in tentationem, & consentiens amisit virginitatem, & eôdem annò mortuus est. Item, si contingat aliquem cadere in peccatò, & habeat socium, qui hoc advertat, festinat socius ad ejus elevationem: si autē nesciat, nihilò minus, inspirante Deò, ipse actor interdum recurrit: & confitendò, ejus auxiliò nititur resurgere: quòd si solus fuerit: nec habeat ad quem recurrat, vel qui ei manum porrigat, diutius moratur in peccatò: sicut qui cadit in lutò, nec habet adjutorem. Et ideo dicitur Eccles. 4. Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. Cum igitur, sicut patet ex his, societas prosit ad hoc, nè tam citò tentetur quis de

aliquâ inhonestate, vel tentatus non ita facilè consentiat, vel cadens citiùs resurgat: Constat, quòd multùm valet societas quãtum ad illam partem honestatis, quæ est, declinare à malò. Item bonorum sociorum est scinvicem incitare ad bonum. Sicut peregrini solent se incitare in viâ, vel mane ad surgendum, vel ad fortiter ambulandum, & similia: Exemplum Augustini: qui, lectâ vitâ sancti Antonij, dixit socio suo Alipio: Quid patimur? quid hoc est? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis, sine corde, ecce ubi versamur in carne, & sanguine. Et pastores dicunt ad invicem Luc. 2. Transeamus usque Bethleëm, & videamus hoc verbum, quod factum est. Item, cùm omnis homo habeat defectus: ubi sunt duo socij, supplet frequenter unus defectum alterius: Sicut Aaròn defectum Moysis in loquendò, & ipse Moyses pro eò apud Deum. Unde Exod. 4. dicit Dominus Moysi: Ipse loquatur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent: & sic in multis alijs invicem se juvabant. Item Dominus non solùm est in domò, ubi duo, vel tres sunt congregati in nomine ejus; sed etiam in viâ insimul ambulantibus se adjungit Luc. 24. Et ecce duo ex illis ibant ipsâ die, &c. Et post: Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Quis autem dubitet, quin Dominus sit cum illis, quibus est in adjutorio

omnis

omnis boni ? Patet ex his, quòd societas valet ad incitationem in bonum, ad complementum boni, per alterius suppletionem, ad habendum adjutorium divinum in bonum : quę omnia valent ad partem illius honestatis, quæ in bonô faciendô consistit. Verùm discipulos Domini discurrentes per mundum non solùm decet honestas, secundùm duas differentias prędictas: sed decent eos alia quædam pertinentia ad honestatem : quia ipsa addit supra justitiam ; & est unum, scilicet claritas opinionis, quæ multùm facit ad pulchritudinem honestatis: Sapientiæ 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, idest, cùm clarè, & liquidè constat de castitate: ita quòd nullâ sinistrâ suspicione offuscatur: Ad hoc autem multùm valet societas. Citiùs enim òritur sinistra suspicio contra ambulantem, vel manentem solitariè, quàm contra sociatum. Et ideo dicit sanctus Bern. ad Eugenium: Bonos contubernales habeas, qui vitę, & honestatis tuæ custodes sint, & testes. Aliud est status dignus honore : unde Dominus conquèritur de Judęis Joa. 8. quod ipsum missum à patre non honorabant: Et vos inquit inhonorastis me: Majori autem honore videtur dignus, qui vadit associatus, sicut consueverunt ire personæ honorabiles, quàm qui solus vadit, sicut consueverunt ire cõtemptibiles. Aliud est ratio credendi : Qui enim vadit ad negotia Domini, si non creditur ei, adhibeat testem socium suum. Est igi-

tur talibus necessarium, ut habeant per quod credatur eis: hoc autem est societas. Quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum: Mat. 18. Cùm igitur societas famulos Dei faciat clarę famæ, & ponat in statu dignô honore, & faciat eis credi, quæ, omnia sunt eis valdè necessaria, cum alijs supradictis, dicitur eis: (quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quò itis, simul state.) Et debent professores regulæ Augusti. cavere, nè in viâ, vel hospitijs, se qualicumque occasione dividant, etiam propter fructum animarum, nisi propter necessitatem inevitabilem: quia melius est eis aliorũ utilitatem negligere, quàm cum damnô proprio mandatum suę professionis præterire.

Cap. LXXIII.

IN incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.

¶ Quædam est honestas, quę surgit de re extrinsecâ, & irrationabili, ut est habitus, & est magna: Quædam, quæ surgit ex re intrinsecâ; sed rationabili, ut est societas, & est hæc major: Quædam quę oritur ex re intrinsecâ, & ratione annexâ, ut disciplina in actibus, & hæc est maxima. Tràditis ergo mandatis circa duo prima, ordinatè tradit hic mandatum tertium. Et primò in generali: Secundò

dò in particulari ibi: (oculi vestri) &c. ¶ Et notandum, quòd secundùm Hugonem de sanctò Victore: Disciplina est conservatio honestatis: cui parum est malum non facere: sed studet etiam in his, quæ agit per omnia irreprehensibilis apparere. Et ideo tradit hîc mandatum cõtinens duo, scilicèt quid circa hoc cavendum, ubi dicit: (In incessu) & quid agendum, ubi dicit: (sed quod vestram deceat sanctitatem) Et quia aliquando in ambulando, aliquando in quiescendò, aliquando circa habitum exteriorem, aliquando circa gestus, sive motus cõporis extrinsecos talia fiunt à quibusdam, quę oculos multorum offendunt: ponit mandatum circa hæc quatuor, ut sic disciplinatè se habeat servus Dei in his omnibus, & irreprehensibiliter, ut nullus in aliquò istorum quatuor offendat cujusquã aspectum, scilicèt in incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus nostris, hoc est gestibus &c. ¶ Notandum verò, quòd in incessu solèt reprehensibilia reperiri. Sunt enim quidam, qui nimis festinè incedunt, intantum, ut interdum præcipitent semetipsos. Isti sunt similes illi Jehũ sanguinario, de quò dicitur 4. Regum 9. præceps enim grãditur. Hoc autem non est sine offensâ videntium: Prover. 19. Qui festinus est, pedibus offendit: non solùm interdum cadendò, sed oculos intuentiũ, maximè si religiosus sit præceps, offendendò. Alij ita lente, & pedetentim incedunt: sicut solent incedere qui nume-

rant pedes. Quid aut mirum, si hoc est in virô re-
prehensibile: cùm et in mulieribus delicatis, filia-
bus Siòn hoc Dominus reprehẽdebat dicens Esa. 3.
Et pedibus suis, compositô gradu, incedebât: quod
dicitur in reprehensionem earum. Item in oppositum
Ezech. 1. De sanctis animalibus dicitur: Planta
pedis eorum, quasi planta pedis vituli. Bos enim
multum lentè incedit: sed vitulus non lentè; sed tamen
non multum currit: quia iste debet esse modus in virô
sanctô, ut nec nimis citò, nec nimis lentè incedat, sed
modô mediòcri, quod est maturitas: sicut tàngitur in
Glo. super istum locum. Alij sunt, qui ita incautè
incedunt sine prævidentiâ, quòd modò offendunt ad
lapidem, modò ponunt pedem in lutô, modò impingunt
in alios, modò corruunt in viâ, modò non tenent viam
bonam: & hoc est ambulare secundùm modum cœcorũ:
Sophoniæ 1. Ambulabunt, ut cœci. Quò contra dicitur
Prover. 4. Pàlpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Ad hoc
enim dati sunt specialiter occuli, ut dirigant gressus.
Alij sunt, qui incedunt collô extẽtô, ut filię Siô,
cervice erectâ, ut cervi, pectore prominente, ut gallus,
cum commotione scapularum, & brachiorum ventilatione,
quasi remigantes, cum cubitorum ambulatione,
se per ventrem tenendô, ut domicelli, & alios irreverenter
præcedendô: quæ omnia sunt superbiæ signa,
& valdè dèdecent virũ religiosum. Ideo dicit Apostolus
ad Ephe. 4. in contrarium.

Ob-

Obsecro vos, ut ambuletis cum omni humilitate. Alij sunt, qui incedendô semper videntur tristes, neminem salutantes, nemini affàbiles se ostendentes, nunquam solatium aliquod facientes, nullum in aliquô verbis bonis ædificãtes; sed quasi in amarô silentiô totâ die pergentes. Super quô se ipsum David reprehendit dicens: Quare tristis incèdo? Quod contra dicitur Actuum 8. de Eunuchô baptizatô: Ibat per viam suam gaudens. Si autem filij Israël ibant in Hjerusalẽ gaudentes, juxta illud: In domum Domini lætantes ìbimus: quantum gaudendum est omni servo Dei, in omni viâ suâ, cùm sit ei via ad cœlum? Alij sunt, qui, cùm deberent in viâ, se in psalmis, vel orationibus dicẽdis, vel in sacris meditationibus, vel colloquutionibus utilibus occupare, effundunt se in levitatibus, & non sine offensâ intuentium. Accidit, quòd, cùm quidam religiosus prædicasset laudabiliter in quâdam parrochiâ, & factô prandiô recedens, cùm esset juxta villam, incepit se levitatibus dare cum sociô, sicut fit interdum ab aliquibus, cùm modò percutiunt socium, modò faciunt eum càdere, modò extrahunt ei caputium, & similia. Sequebatur autem eos quædam vètula, quæ fuerat in sermone, & hoc non advertebant, quæ cœpit dicere multoties: Domine vos non ille estis, qui prædicavit? Cùm autem audirent vocem, respicientes viderunt vètulam: & quæsierunt, quid dixisset. At illa dixit ei, qui prædi-

dicaverat: Domine ego dixi vobis, quòd non estis vos ille, qui hodie prædicavit? At ille: Et quare hoc dixisti, cùm ego sim verè ille, qui prædicavi? At illa: Domine nos habemus quendam sacerdotem jùvenem, qui valdè benè cantat missam; sed interdum illâ die, quâ celebravit, discurrit per domos, &, cùm invenerit juvenculas, ponit manum in sinu earum, & palpat eas. Et, cùm dicitur ei: Quid est hoc, quod facitis? nonne celebrastis hodie? Respondet, & dicit: Ego non sum ille, qui celebravi; sed ego sum quidam jùvenis, & ludo. Ideo Domine dixi, quòd vos non estis ille, qui prædicavit, exemplô sacerdotis nostri. Valdè enim aliter vos habetis in inhonestis ludis, quàm hodie in sermone. Quanta confusio fuerit in illô religiosô super hôc, & quantum scandalùm vètulæ, qui legit, intelligat, & caveat à similibus: saltem exemplô mulieris illius, quę dicit Thobiæ 3. Numquam cum ludentibus me miscui: neque cum his, qui in levitate ambulant, partìcipem me præbui. Sunt alij tam mobiles, ut consistere secum non valeant; sed nunc ibi, nunc alibi subitò compàrent, semper discurrentes, nunquam quiescentes. Isti sunt similes illi, de quô dicitur Hjere. 14. Qui dilexit movere pedes suos, & non quievit, & Domino non placuit. Et hos vocat beatus Benedictus gyrôvagos. Quò contra dixit Dominus Apostolis, ut quiescerêt saltem, quousque abundàtiam spiritûs sancti haberent, qui

ios exteriùs indùeret. Sedète, inquit, in civitate, quousque induamini virtute ex alto: Lucæ ultimo. Sunt alij, qui vadunt non solùm leviter; sed inutiliter, nil boni facientes temporalis, vel spiritualis in totâ viâ. Quò contra dicitur Apostolis: Eatis, & fructum afferatis. Sunt alij, qui non solùm infructuosè; sed & damnosè, facientes interdum vias novas, frangentes sepes, conculcantes fata, & similia quædam cum damnô pauperum, & scandalô plurimorum. Quò contra dicunt filij Israël regi Edòm Numeri 20. Non ibimus per agros, nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis; sed gradiemur publicâ viâ, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes. Cùm igitur hæc prædicta multorum intuentium oculos soleant offendere: curandum est non modicùm servis Dei, & illis præcipuè qui multùm habent discurrere, & spectaculum facti sunt mundo, & hominibus, ut sint dies clara, & illuminata doctrina apud omnes, ita ut omnia notent: quòd sic honestè ambulent, quasi in die: & tam disciplinatè, quòd in incedendô non appareant notabiles, vel in nimiâ festinatiâ, vel in nimiâ tarditate, vel in improvidentiâ, vel in aliquâ superbiâ, vel in inconvenienti tristitiâ, vel levitate dissolutâ, vel in facilitate discurrendi, vel in discursu infructuosô, vel, quod gravius est, damnosô.

* * * * * * * *

CA-

Cap. LXXIII.

CIrca ſtatum ſciendum eſt, quòd non accipitur ſtatus, ſolùm prout dicitur à ſtandô, ſecundùm quòd dicitur aliquis erectus ſtare; ſed prout opponitur motui ambulandi, ſecũdùm quòd dicitur ſtare, quicunque non movetur cũndô. Circa verò ſtatum ſic acceptum, multa ſunt reprehenſibilia. Unũ eſt, cũm quis non poteſt ſecum ſtare; ſed ſemper cum alijs. Quia ſecundùm Senecam: ſignum eſt bonæ mentis ſecum conſiſtere. Et idem dicit: Quotiens inter homines fui, minus homo redij. Ideo dicitur Exo. 16. Unuſquiſque maneat apud ſe. Aliud eſt, cùm quis, etiam ſi conſiſtat ſecum; tamen ſtat ótioſus ab actione: Matthæi 20. Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Ideo dicitur de beatô Gregoriô, quòd, quamvis infirmaretur graviter propter abſtinentiam, & orationes: tamen aut ſemper orabat, aut legebat, aut ſcribebat, aut dictabat: quod etiam de multis alijs ſanctis reperitur. Aliud eſt, cùm quis vacat ab exterioribus actionibus: quia non ſemper poteſt illis aliquis occupari: & tamen non exercetur interiùs mens ejus contemplationibus. Ad hoc enim, in ſabbatô vacabatur ab operibus corporalibus, ut liberiùs mẽs poſſet contẽplationi divinæ intẽndere. Unde Pſal. Vacate, & videte. Proindè vir ſanctus quieſcens, & non occupatus exte-

exteriùs, debet contemplationi intendere, vel ſpeculationi, ſicut ſpeculator quieſcens in ſpeculâ, qui modò ante, modò retrò, modò ſuprà, modò à dextris, modò à ſiniſtris, ſubtiliter dirigit ſuum intùitum: Eſaiæ 21. Super ſpeculâ Domini ego ſum ſtàs. Et benè dicit: Domini: quia ad ea, quæ Dei ſunt, & non ad alia debet eſſe contemplatio viri ſancti. Reprehenſibile ergò eſt in virô ſanctô quieſcente, vel, cùm ſecum ſtare non poteſt, vel, cùm ſtans ſecum, eſt otioſus ab opere, vel ceſſans ab opere, ſpeculationi non vacat, ut modò ſupra cœleſtia, modò infra infernalia, modò ante futura, modò retrò præterita, modò à dextris proſpera, modò à ſiniſtris adverſa contempletur. Porrò in commorandô cum alijs ſunt multi reprehenſibiles. Sunt enim quidam, qui nimis libenter commorantur inter mulieres, quod eſt non ſine notâ, & offenſâ videntiùm. Legitur quòd, cùm quidam jùvenis coram Pytagorâ diceret ſe libentiùs inter mulieres, quàm inter Philoſophos converſari: dixit Pytàgoras: Et ſues libentiùs in lutô, quã in aquâ purâ verſantur. Item Zacha. 12. Familiæ domûs Davìd ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domûs Nathàn ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domûs Levì ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domûs Semeì ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: omnes rèliquæ familiæ ſeorſum, & mulieres eorũ ſeorſum. Item dicitur, quòd propter hoc Joſeph,

&

& Maria amiserunt puerum Jesum: quia erat consuetudo, quòd viri, & mulieres ibant seorsum, & credebant uterque, quòd esset tanquam puer in societate alterius. Si ergò philosophi sic detestantur conversationem mulierum: Si judæi tantam distinctionem inter hos faciebant: Si etiam parentes Domini Jesù ipsum propter hoc neglexerant: quantùm cavendum est viro sancto, & propter periculũ, & propter famam, nè libens commoretur inter mulieres? Ideo dicitur Eccles. 42. ca. In mediô mulierum noli commorari. Sunt alij, qui libentiùs morantur inter leves, quàm inter bonos, contra doctrinam Senecæ dicentis: Inter illos commorare, qui te meliorem facturi sunt. Eccles. 36. Cum virô sanctô assiduus esto. Sunt alij, qui libentiùs morantur inter magnates, quàm inter consimiles. Quó contra Eccles. 13. dicitur: Advocatus à potente discede; si autem advocato est discedendum, quantò magis cavendum est bono viro, nè se ei jungat? Non autem sic de consimilibus: Eccles. 27. Volatilia ad sibi similia convertuntur scilicèt ad morandum. Nonne columba libentiùs moratur cum columbâ, quàm cum magnis aquilis, vel vultùribus? Patet ergò, quòd vir disciplinatus, cùm ei commorandum est inter alios, libentiùs stare debet inter viros, quàm mulieres, & inter bonos libentiùs quã inter leves, & inter consimiles, quàm inter magnates. ¶ Item quantùm ad loca sunt quædam repre-

hen-

hensibilia circa stãtes. Sunt enim quidã, qui libentiùs stãt in locis publicis, quã abiconsis similes hypocritis, de quibus dicitur Mat. 6. Amant in angulis plateaṙ̃ stantes orare: quò cõtra dicitur Heb. 11. In spelunciś, & cavernis terrę. Unde & de Saũle dicitur: quòd cũ bonis fuit ante regni receptionẽ 1. Reg. 10. Ecce abscõditus est domi. Alij verò sunt, qui nimis libẽter stant in locis periculosis, ut sũt locutoria, in quibus in linguâ peccatur. Spectacula, in quibus peccatur in visu: Diversoria hospitiorum & infirmariarum, in quibus, & in gulâ, & in multis alijs peccatur. Quò contra dicitur de David 1. Re. 24. quòd habitabat in locis tutissimis Engaddi, quia vir sanctus in locis, quæ magis secura sunt à peccatô, libentiùs debet stare. Sunt igitur alij, quibus videtur grave stare in ecclesiâ, & in hujõdi locis sanctis: quod, procurante diabolô, non est dubium fieri, qui hujõdi loca horret. Quò contra dicitur Joan. 19. Stabat juxta crucem Maria mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophę, & Maria Magdalene. Item eôdem 20. Maria stabat ad monumẽtum. Dicitur etiam de quõdam sanctô sacerdote, quòd, cùm non haberet aliquid facere, stabat semper in ecclesiâ in chorô. Interrogatus verò, quare hoc faceret? dixit: quòd faciebat societatem Domino suo, intelligens de eucharistiâ, quæ erat super altare. Et hoc est, quod dicitur Luc. 2. in commendationem Annæ prophetissæ: quòd non discedebat de tem-

templô, jejuniis, & orationibus, vel obsecrationibus serviens Deo nocte, ac die. Pertinet ergò ad virum sanctum libentiùs morari in absconsô, quàm in publicô: libentiùs in locô secu ô, quàm periculosô: libentiùs in locis sanctis, quàm in communibus. Et sic patet, quód sunt tria reprehensibilia circa statum ex parte solitudinis: tria ex parte societatis: tria ex parte loci: aquibus cavendum est, propter disciplinam servandam in standô.

Cap. LXIX.

CIrca hoc verô, quod sujungitur: (& habitu). Posset alicui videri, quòd idem sit, quod hîc dicitur de habitu, cum illô, quod supra dictum est: (Non sit notabilis habitus vester) Ad quod dici potest, quòd habitus duplici ex causâ potest esse reprehensibilis, vel ex sui naturâ, cùm est nimis pretiosus, vel mollis, & hujusmodi: vel ex actu humanô, videlicèt cùm aliquid fit in ipsô, vel ab artifice, vel à deferente, quod est reprehensibile. Ad primum pertinet, quod supra dictum est: Ad secundum, quod hîc dicitur, unde ibi dicitur: (Non sit notabilis habitus vester) quasi dicat: de se. Hîc autem dicitur: Nihil fiat, scilicèt ab aliquô. Unde sicut dictum est, illud pertinet ad honestatem illâ, quæ surgit ab extrinsecô. Istud verò ad illam, quæ surgit ex actu intrinsecô. Ut igitur nihil fiat in habitu,

bitu, quod non prętendat disciplinam: providendum est servo Dei, quòd vestis sua non sit nimis longa, vel brevis, nimis lata, vel nimis stricta, nimis scissa, vel nimis clausa, nimis formata, vel nimis informis, nimis defluens, vel nimis succincta, nimis composita, vel nimis turpiter posita, nimis nitida, vel nimis sordida, nimis laniata, vel nimis repetiata, nimis aptata, vel nimis ineptè relicta, nimis dissúta, vel nimis curiosè consùta. Quia verò ad habitum pertinent omnia, quæ exterius deferuntur: cavendum est etiam idem circa panniculos, sotulares, corrigias, cingulos, tabulas, bùrsulas, sellas, sigilla, manubria: & similia, nè aliquid fiat in istis, quod ex pretiô, vel superfluitate, vel curiositate, vel sæcularitate aliquâ, vel aliô modô quôcunque possit reprehensibile judicari. Hæc enim viri sancti multùm in religiosis solent detestari. Unde Hugo de sanctô Victore in libellô de disciplinâ, post singularem nominationem multorum talium excessuum, dicit sic: Tędet me nominare omnia, in quibus stulti, & vecordes mulièribus studia sua auferunt, & penè cum habitu sexum mutaverunt. Sunt enim mille modi, quibus vanissimè de se spectaculum hominibus præbent in habitu. Sed hęc omnia debet servus Dei despicere, cùm videat nullos nisi irrisione dignos talibus deservire. Hæc enim omnia veræ religioni cõtraria sunt: & qui his studium àdhibent, hominibus magis viles, & con-

temptibiles fiunt: Qui verò hæc despiciunt, coram Deô, & hominibus chariores, & honorabiliores fiunt, & sunt.

Cap. LXXVI.

CIrca illud, quod dicitur de motibus: Sciendû, quòd non accipitur hîc motus, prout cõtrariatur quieti; sed prout dicitur actus alicujus membri vel plurium, qui quandoque vocatur gestus. Est autem gestus secundùm Hugònem modus, & figuratio membrorum còrporis, ad omnem agendi, vel se habendi modum. Et ideo convenit viro sancto, quòd videat attentè, qualiter in omni motu membrorum, & in omni modô se habendi, appareat disciplinatus. Porrò disciplina in motibus membrorum consistit in hòc, ut unum membrum alterius officium non accipiat, ut unumquodque decenter exerceat actum suum. Quò contra dicitur Prover. 6. de apostatâ, cujus mens aversa est à Deô: Gràditur ore perversô: annuit oculis: terit pede: digitô loquitur. Unde Hugo de hâc materiâ sic dicit: Sunt quidam, qui sine buccis patentibus, auscultare nesciunt, & quasi ad cibum, ita palatum ad verba aperiunt. Sunt alij, qui in agendô, vel audiendô quasi canes sitientes linguam prętendunt, & ad singulas actiones labia, velut molam contorquendô, circundùcunt. Alij loquentes digitum extendunt, su-

ſupercilia erigunt, & oculos in orbem rotantes, cujuſdam intrinſecùs magnificentiæ conatus oſtendunt, caput jactant, comam excutiunt, veſtimenta coaptandò compònunt, & làtera quaſi cubitandò, pedeſque oſtendendò, ridiculoſam formam ſuæ reſponſionis faciunt. Alij alteram tantum aurium voci apponunt, quaſi ambę non fuerint factę ad audiendum: Alij interdum ad videndum, alterum tantũ oculorum aperiunt. Alij majori ridiculò cũ medietate oris loquuntur. Sunt præterea mille larvæ, mille corrugationes narium, mille contorſiones labiorum, quæ decòrem diſciplinæ deturpant, & faciei pulcritudinem, quę eſt ſpeculum diſciplinę, cui tantò major cuſtodia eſt adhibenda, quantò minus, quod in eâ peccatum fuerit, celari poteſt. Uſque huc de Hugòne. Qualiter autem per diſciplinam caveant, quę hujuſmodi ſunt, docet Bern. dicens: Diſciplina cervìcem ſummittit: depònit ſupercilia: compònit vultum: ligat oculos: cohibet cachinnos: moderatur linguam: gulam frœnat: irã ſedat: format inceſſum. Licèt autem viro diſciplinato cavendum ſit ab omnibus prędictis; tamen magìs cavendum eſt ei à geſtibus riſorijs, qui ſcilicèt incitant ad ridendum: vel turbativis, qui alios turbãt: vel deriſorijs, per quos alij deridentur: vel ſimiàticis, per quos aliorum geſtus repræſentantur, ſicut ſimiæ faciunt: vel turpibus, ut ribaldi faciunt: vel joculatorijs, ut faciunt hiſtriònes. Hæc enim

quantò majoris sunt indecentię: tantò magis dedecent viros deditos honestati. Patet ex jam dictis quid cavendum sit in actibus membrorum. Sed quia gestus ultra hoc se extendit ad modum habendi: Ideo videndum est qualiter vir disciplinatus se debeat habere, omni tempore, omni locô, in omni statu, & cum omnibus, & in quibusdam actionibus suis, alijs à prædictis. ¶ Sciendum igitur, quòd aliter se debet habere in die: quia activè operibus pijs erga proximum insistendô: aliter in nocte: quia contemplativè Deo vacandô: Psal. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Aliter in ferijs: quia tunc est magis corporalibus necessitatibus intendendum: Exod. 20. Sex diebus operaberis, quod intelligitur de pertinêtibus ad corpus. Aliter in festis: quia tunc spiritualibus est omninò vacandum: eôdem capitulô: Memento, ut diem sabbati sanctifices, idest ipsum sanctum habendô, operibus sanctitatis intendas. Aliter in tẽpore tribulationis, quia gaudenter: Lucæ. 6. Gaudete in illâ die, scilicet, tribulationis. Aliter in tempore prosperitatis, quia timoratè: Grego. Magis timenda est fortuna prospera, quàm adversa. Item in tempore silentij se debet habere tacitè: Eccles. 3. Tempus tacẽdi scilicèt silentij. Item surgendũ strenuè: Eccles. 32. Horâ surgendi non tetrices, idest pigrè te habeas, sicut illâ horâ mulieres se tricantes. Item tempore jejunij lętè: Mat. 6. Cùm jejunatis,

tis, non èritis, ſicut Hypòcritæ, triſtes: & ſic de alijs varijs modis, ſecundùm exigentiam temporum diverſorum, diverſimodè, ſecundùm congruentiam temporis ſe debet habere: Eccleſ. 3. Omnia tempus habent ſuum, ideſt diſtinctum. ¶ Quantùm ad locũ verò notandum, quòd in religione ſunt diverſa loca. Quidam locus orationis, ut oratorium: Quidã diſciplinę, ut capitulum: Quidam doctrinæ, ut ſcholæ, & locus ſermonum: quidam ſtudij, ut cella: quidam neceſsitatis humanę, ut refectorium, infirmitorium, hoſpitium, camerę, & aliæ officinę. Quædam ad diverſarum neceſsitatum officia deputata: quædam ad recreationis ſolatia pertinentia, ut locutorium, pratellum, & hortus, in quibus omnibus vir ſanctus in modô ſe habendi, debet oſtendere diſciplinam. In oratoriô ſiquidem exiſtens ſe debet habere maturè: Greg. Abuſio clauſtri una eſt diſſolutio in chorô. Juxta altare reverenter: Idem: Alia abuſio irreverentia juxta altare. Juxta reliquias timoratè: Levi. 26. Pavete ad ſanctuarium meum. In capitulô ſtans in locô judicij corrigendus, debet ſe habere, ſicut Dominus ante Pilatum præſidem: de quô Bern. Stabat Jeſùs ante præſidem demiſsis aſpectibus, vultu hilari, rarus ad verba, paratus ad opprobria, paratus ad verbera. In ſcholis, & locô ſermonis attentè: Pſal. Attendite populę meus legem meam, hoc eſt attentè audite. In cellâ utiliter, vacandô ſcilicèt utilibus: Hier. 7. Bona fa-

facite ſtudia veſtra, ideſt utilia. In refectione, in menſâ, & in omni comeſtione, ſic religioſe, ut ſecundùm doctrinam Hugònis, linguam à loquendô reſtringat: oculos non circumdùcat; ſed omnia membra cum omni modeſtiâ contineat: ſuper eſcam ſe non effundat: ſic mundè còmedat, quòd cæteris abominationem, vel diſplicẽtiam in aliquô non faciat. In dormitoriô ſic quietè, ut alios nô inquiètet. Cùm enim ſervire Deo regnare ſit: quotquot ſunt ejus ſervi, ſerviunt ei die, ac nocte. Dicitur autem 1. Reg. 23. Tu quis es, qui inquiètas regem, ſcilicet Saũl dormientem? Si autem hoc aſcriptum eſt audaciæ: quan tò magìs ſunt reprehenſibiles, qui tot reges cœli quieſcentes inquiètant? In infirmitoriô non queruloſè: Exemplum de Lazarô, qui plenus ulceribus, & jacens ad januam dìvitis, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis; ſed nemo ei dabat: tamen non legitur murmuraſſe: Lucę 16. In hoſpitiô lętè: unde abbas Joſeph in Vitis patrum dixit: Reddenda ſunt, quę ſunt Cęſaris Cęſari, & quę ſunt Dei Deo: Quando ergò eſt prę-ſentia fratrum, cum gaudiô debemus eos ſuſcipere; quando autem ſoli ſumus, opus habemus lugère. Exemplum de Zachæô, qui lętus in hoſpitiô gaudẽs ſuſcepit Dominum: Luc. 19. In cãmeris verecundè: & ideo ſunt in abſconditô: vel quia itur ad locum abſconditum pro neceſsitatè ventris 1. Reg. 24. Ingreſſus eſt Saũl, ut purgaret ventrem: Porrô in alijs of-

officinis necessitatum, sic est disciplina servanda, quòd nunquam quis in eis compareat, nisi pro justâ necessitate, nè sit similis mulieribus illis, de quibus dicitur 1. Tim. 5. Curiosæ discunt circumire domus: non solùm curiosæ; sed etiam verbosæ, loquentes, quæ nō oportet. In locutoriô verò debet sic se habere, quòd non otiosa, vel pejora; sed vera loquatur: 1. Pet. 4. Si quis lòquitur, quasi sermones Dei. In hortô verō, vel pratô sic meditativè, quòd de inspectis trahat aliquam ædificationem, exemplô Domini dicentis Mat. 6. Considerate lilia agri, quomodo crescunt &c. Et iterum Lu. 21. Videte ficulneam, & omnes àrbores, cùm producunt jam ex se fructū, scitis, quia propè est æstas: ita & vos, cùm videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est regnum Dei. Secundùm igitur diversitatem locorum prædictam, & alia quædam loca, diversi sunt modi se habendi pertinentes ad disciplinam. Porrò quantùm ad statum, sciendum, quòd in statu prælati se debet habere vir bonus solicitè: Ro. 12. qui præest in sollicitudine. In statu subditi subjectivè: Heb. 2. Subjacète præpositis vestris, quod est, quando non erigitur subjectus in prælatum. In statu sanitatis laboriosè: Mat. 8. Dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. In statu infirmitatis consolatoriè: Tob. 5. Fortî animô esto, dixit angelus ad Tobiam infirmum: Quod est contra illos, qui in infir-

mitate nimis dejiciuntur. Item in ſtatu junioris, ut ſunt novitij, quaſi ignoranter: Eccleſ. 32. Adoleſcens lòquere in tuâ cauſâ vix, cùm neceſſe fuerit. Si bis interrogatus fùeris, habeat caput reſpõſum tuum. In multis eſto quaſi inſcius: & audi tacens, ſimul & quærens: & loqui in mediô magnatorum non præſùmas: & ubi ſunt ſenes, non multum loquaris. Omnia quidem hæc ſunt ignorantię figna. In ſtatu ſenioris ſapienter, utilitati ſcilicèt communi vacandô: 1. Mach. 14. Senes de bonis terrę tractabunt: quod pertinet ad ſapientes. In ſtatu ſublimi humiliter: Eccleſ. 3. Quantò magnus es, in omnibus te humilia. In ſtatu inferiori conſtanter, ut ſcilicèt tali ſtatu contentus non aſpìret ad ſubliniorem: 1. Cor. 7. Servus vocatus, non ſit tibi curæ, ſed, ſi potes liber fieri, magis ùtere. Si autem hoc in ſtatu ſervitùtis eſt ſervandum, qui eſt viliſsimus ſtatus inter infimos, quantò magis in alijs? Hujus autem glo. reddit rationem dicens: Quia quantò quis deſpectior eſt in hôc ſæculô propter Deum: tantò magis exaltabitur in futurô. Sic & in alijs multis diverſis ſtatibus diverſa competunt, in quibus vir diſciplinatus diverſimodè ſe debet habere, ſicut & Chriſtus, inquantum Deus, inquantum homo, inquantum rex, inquantum ſacerdos, inquantum Dominus, inquantum magiſter, inquantum judicandus, inquantum judex, aliter cum perſonis ſe habuit, & habebat.

No

¶ Notandum est iterum, quòd diversimodè se debet cum diversis habere Dei servus. Ad prælatos obedienter: Heb. 12. Obedite prępositis vestris. Ad socios coæquales amabiliter: Ber. Socialiter, ut amare appetas, & amari. Ad minores paternè, eorum scilicèt ædificationi intendendô, sicut Christus docebat discipulos suos, & Tobias filium, & Apostolus, qui dicit 1. Cor. 3. Tanquã parvulis in Christô lac dedi vobis. Cum officialibus tranquillè, non perturbandô eos: 1. Thes. 5. propter opus illorum, pacem habete cum illis. Cum discolis pacificè: Psal. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Cum viris sanctis sanctè: Psal. Cũ sãctô sanctus eris, idest sanctè te habebis, nihil coram eis faciens contrariũ sanctitati. Item cum forinsecis sapienter, quia nescitur, quid intendant: Col. 4. In sapientiâ ambulate ad eos, qui foris sunt. Cum mulièribus pudicè: 1. Tim. 5. Anus obsecra ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate: videlicèt ut sint cum eis, & inter eas verba scilicèt casta, intùitus castus, gestus casti, ita quòd in omnibus appareat pudicitia. Cum pauperibus affabiliter: Eccles. 4. Pauperum congregationi affabilem te facito. Cum divitibus curialiter, nè scilicèt exasperentur; sed quâdam sagaci curialitate attrahantur ad bonum. Nonnè curialiter se habuit Dominus ad Zachæum divitẽ, invitandô seipsum ad comedendum cum cô, sicut dicitur Luc. 19? Et comedendô cum publicanis, qui

erant divites, & peccatores, ſicut dicitur Mat. 9? Cũ domeſticis ſecundùm carnem ſpiritualiter: ſicut Bern. qui novem fratres ſuos attraxit ad ordinem ſuum, & ſicut Paulus, quĩ dixit Ro. 9. Optabam ego ipſe anàthema eſſe à Chriſtô pro fratribus meis, qui ſunt cognàti mei ſecundùm carnem. Quod dixit ſecundùm glo. ad exprimendum magnum deſideriũ, quod habebat de ſaluté eorum, qui ſibi ſecundũ carnẽ attinebant. Cum adverſarijs patiẽter, ſicut oves inter lupos: Ro. 12. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi. Denique debet in converſatione ſuâ bonum exemplum oſtèndere omnibus: Rom. 12. Providẽtes bona, nõ tantum coram Deô; ſed etiam coram omnibus hominibus. In ſuis actibus ad omnes ſe manſuetè habere: 2. Tim. 2. Servum Domini oportet manſuetũ eſſe ad omnes. Cum omnibus de eorum utilitate àgere, ut omnes Deo lucri facere labòret: Eccleſ. 37. Cum virô irreligioſô tracta de ſanctitate: & cum injuſtô de juſtitiâ: & cum mulìere de his, quę ęmulatur: Cum timidô de bellô: & cum negotiatore de trajectione: cum emptore de venditione: cum livido de gratijs agendis: cum impiô de pietate: cum inhoneſtô de honeſtate: cum operariô agrariô de omni opere: cum operariô annuali de conſuetudine anni: cum ſervô pigrô de multâ operatione: & ſic de alijs ſecundũ doctrinã Grego. in paſtorale dicentis, quòd aliter, & aliter ſunt docendi diverſi. Et Paulus diverſimo-

modè instruebat diversos, ut servos, Dominos, mulieres, & viros, senes, & adolescentes, virgines, & conjugatas, Episcopos, presbyteros, & Diaconos, & alias diversitates hominũ. ¶ Postremò notãdum, quòd sunt actus quidam, quibus homo stat in se: Alij, quibus ordinatur ad Deum: Alij, quibus habet àgere cum proximô: in quibus omnibus est servandus modus se habendi disciplinatus. Primi sunt stare, jacère, sedère. Standô autem debet oculos dimissos habere, exemplô publicani stantis à longè. In cujus laudem dicitur: quòd nec oculos audebat ad cœlum levare Lu. 18. Sedendô verò non debet tibias divariare, seu pedes divìdere: sicut tradunt antiqui religiosi in suis statutis: cùm hoc etiam in meretrìce reprehendatur: Ezech. 16. Divisisti pedes tuos. Jacendô cavere nè se discoöperiat, sicut Noë ebrius: Gen. 9. Inebriatus est, & nudatus in tabernaculô suô. Secundi sunt illi, quibus servìtur Deo, & maximè in officijs divinis, in quibus observandum est, ut fiant reverenter: Heb. 12. Serviamus ei cum metu, & reverentiâ, hoc est cum illô metu, qui dicitur reverentia. Item quòd fiant diligenter. Quò contra Hjere. 47. Maledictus, qui facit opus Domini Dei negligenter, secũdum quandam litteram, licèt secũdum aliam dicatur fraudulenter. Item quòd fiant timidè: Psal. Servìte Domino in timore, sicut famuli regis astantes; & semper timentes, nè aliquando minus benefaciant. Ter-

tij

tij sunt quidam corporales, ut, cùm hominibus in temporalibus ministratur: quod faciendum est sedulè: 4. Regum. 4. Ecce sedulè in omnibus ministrasti nobis. Alij spirituales, ut est docere, in quô cavendum est bono viro, nè se in aliquô magnificare videatur: sicut faciebat Eliù: Job. 32. & in quatuor sequentibus capitulis: quia imprecatur Psalmus, ut disperdat Dominus linguam magniloquam. Item corrigere, sive ad partem, sive publicè accusandô: quod faciendũ est modestè servo Dei: 2. ad Tim. 2. Modestè corripiẽtem: quod fit, cùm non excèditur modus in aggravatione, vel asperitate loquendi, & similibus. Item judicare, ut, cùm oportet aliquem propter culpam in aliquô condemnare: in quô semper est servanda misericordia, exemplô Domini, qui semper punit citrà condignum: Eccles. 4. In judicandô esto misèricors. Item conferre, sive disputandô, sive aliô modô, in quô cavendum est à lite: 2. Tim. 2. Servum Dei non oportet litigare. Item consùlere interdum, in quô agendum est prôvidè. Unde de sanctô Sebastianô dicitur: In consiliô prôvidus. Talis etiam fuit Josèph, qui tamquam prôvidus in consiliô, dixit Pharaoni: Provideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti: Genes. 41. Item aliquando aliqua sibi commissa ãgere, quod faciendũ est prudenter: 1. Reg. 18. Egrediebatur Davìd ad omnia, quæcunque misisset eum Saũl, & prudenter se agebat.

bat. Sic ergò debet se habere Dei servus, in his actionibus spiritualibus ad proximum, ut in docêdô, non se magnificet: in corrigendô, servet modestiam: in judicandô ad pœnam, non derelinquat misericordiam: in conferendô, sit sine lite: in consilijs, providus: in agendis, prudens. Et sic patet de disciplinâ servandâ in gestibus, & quantum ad actiones, & quantum ad modum se habendi in omnibus, & quò ad tempus, & quò ad locum, & quò ad statum, & quò ad homines, & quò ad quasdam specialiter actiones, per quas cavetur offensa hominũ intuentium servos Dei: & fit, quod decet sanctitatem eorum.

Cap. LXXVII.

CIrca quod notandum, quòd disciplina in exteriori conversatione multùm decet viros sanctos. Est enim exterioris conversationis disciplina, quasi quidam ornatus: 1. Pet. 3. Sicut enim sanctæ mulieres in Deô sperantes ornabant se aliquando, & lòquitur ibi de morum ornatu, sicut patet ex eô, quod subjungit dicens: Sicut, & Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, ex quô relinquitur, quòd mores disciplinati sunt quidam ornatus. Dominus verò, qui omnes partes universi ornavit, præter infernum, pulchriùs ornavit cœlum. Cùm ergò viri sancti frequenter in scripturâ dicantur cœli, quàm indecens esset, si non essent ornati? Ideo

dicitur

tia, quę est nomen virtutum. Item mulieres nobiles solent indui pulchriùs. Cùm ergò animæ sanctæ omnes sint filiæ Regis æterni: quantùm decet eas pulchra vestis? Ideo dicitur in Psalm. de filiâ Regis cœlestis: Circùndata varietatibus. Patet ergò, quòd viros sanctos, & ratione curiæ, de quâ sùt, & ratione sacerdotalis officij, & ratione nobilitatis, decet pulchritudo, non solùm intrinseca in virtutum habitibus: sed extrinseca in morum disciplinâ, ut, sicut scriptum est Proverb. 3. de domesticis Ecclesiæ, sint vestiti duplicibus: interiùs, scilicèt, & exteriùs. Præterea disciplina exterior est signum interioris statûs, videlicèt bona boni, & mala mali: Eccles. 19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illô. Indecens verò est non modicum viro sancto, habere signa viri mali: sicut indecens est honestæ matronæ habere signa prostitutę. Ideo debet laborare ad disciplinâ exteriorem, ut nó solùm sit; sed etiam appareat Dei servus. Ideo dicitur 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, quasi dicat: Sic nos habeamus, ut videntes conversationem nostram exteriùs, talem de nobis habeant homines opinionem. Item sicut alias pelles habent lupi, alias oves: Ita justum est, ut alia sit conversatio justorum, sive bonorum exterior, alia malorum: Sed malorum est nigra, sicut Æthiopum Threnorum 4. Denigrata est super carbones facies eorum: Et ideo bonorum debet

bet esse alba: Eccles. 19. Omni tempore vestimenta tua sint candida. Quamvis hypòcritæ induant se quandoq; talibus: non ideo dimittenda est vestis hujusmodi à bonis: quia, sicut dicit Glo. super Mat. 7. Oves non debent deponere vestimenta sua, & si lupi quandoque eis induantur. Item òpera hominis exteriora sunt fructus ejus. Arbor autem bona fructus bonos facit, & mala malos: sicut dicitur Mat. 7. quàm inconveniens ergò esset, si arbor aliqua plantata à Dominô in hortô suô, tanquam electa, non faceret sibi fructum competentem? Ideo dicitur Gen. 1. Germinet terra lignum pomi ferum, faciens fructum juxtà genus suum. Debent ergò boni viri tanquam bonæ àrbores in exterioribus bonis conversationis fructibus abundare. Et sic patet, quantùm deceat sanctitatem bonorum exterior disciplina.

Cap. LXXVIII.

Oculi vestri, & si jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.

¶ Datum est mandatum præcedens circa disciplinam motuum in generali: Hîc autem traditur mandatum circa disciplinam singularîs sensûs: non autem circa quos libet sensûs; sed solû circa oculos: Nec circa quælibet objecta visûs; sed solùm circa fœminas. Primò enim ponit mandatum. Secundò cau-

ſam traditionis mandati, ibi :(Nec dicatis vos habere) &c. Ut autem ſciatur, quare potiùs prosequitur de diſciplinis oculorum, quàm aliorum ſenſuũ Et quare potiùs circa fœminas, quàm circa alia viſibilia. ¶ Notandũ eſt primò, quòd oculi ſunt magis habiles ad actionem peccandi, quàm alij ſenſus. Secundò, quòd impudicitiæ appàret in eis corruptio major, quàm in alijs ſenſibus. Tertiò, quòd impudicitia eſt magis contraria honeſtati, quàm alia vitia:

Circa primum ſciendum, quòd viſus irritat gulam: Gene. 3. Vidit mulier lignum, quòd eſſet bonũ ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile: tulit de fructu illius, & comèdit. Item incitat cupiditatem: Matth. 4. Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, ut ſcilicèt incitaret eum ad cupiditatem illorum. Item inflammat libidinem: Eccleſ. 9. Propter ſpeciem mulieris multi perierũt, & ex hôc concupiſcentia, quaſi ignis ex ardeſcit. Item prôvocat ad ſuperbiam: Unde dicitur in fabulâ, quòd bufo ſe inflavit in pratô: quia ibi vidit bovem magnum paſcentem, & voluit ei aſsimilari in magnitudine. Sic etiam dicit Bern. de Luciferô: quòd vidēs filiũ Dei æqualē Patri, voluit aſsimilari, ſicut vìderat filium Dei ſimilem, & dixit in cordè ſuô: Similis ero altiſsimo: Eſa. 14. Item còmmovet iram: Mat. 18. Videntes conſervi ejus, quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè. Itē cõcitat invidiã: 1. Reg. 3.

Vide-

Videbis æmulum tuum in templô in universis prosperis Israël: Et post: Ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, scilicèt invidiâ, hæc invidendô. Et Sòcrates optabat oculos invidorum dignos esse in singulis civitatibus, ut de profectibus omnium torquerentur. Item fovet accidiam: Accidiosi est enim, visâ intemperie corporis, non exire ad opus; sed torpescere in domô: Eccl. 11. Qui considerat nubes, nunquàm metet. Sic igitur omne genus peccati per oculos generatur. Et ideo dicitur Matt. 6. Si oculus tuus fuerit tenebrosus, totum corpus tuum tenebrosum erit: quia omnes tenebræ peccatorum per malos oculos inducuntur: Juxta illud Philosophi: Oculi vos in omnia quotidie vitia præcipitant. Ité alij sensus non semper habent objecta in promptu, ut patet in olfactu, auditu, gustu, & tactu. Sed visus semper habet aliquid, quod videat, si velis, in quô potest peccare: & ideo potest quasi incessanter peccare: 2. Pet. 2. Oculos habentes plenos incessabilis delicti. Item actus oculi velocior est, quàm aliorum sensuum, propter quod Apostolus adjungit eum cũ momentô 1. Cor. 15. In momentô, in ictu oculi: Et ideo facilè per ipsum peccatur: Judith. 10. Cùm intrasset ante faciem ejus, statim captus est in oculis suis. Patet ex his, quòd per oculos committi potest peccatum multipliciter, & incessanter, & faciliter. Et ideo dicitur Eccl. 31. Nequius oculô quid creatum est? per quem scilicèt tot peccata committuntur,

tur, & tam aſsiduè, & tam facilè.

¶ *Circa ſecundum notandum*, quòd impudicitia viget in omnibus ſenſibus. Viget enim in olfactu, cùm in odoribus meretricijs delectatur, de quibus dixit meretrix Prover. 6. Aſperſi cubile meum mirrhâ, & alcë, & cinamomò. Item in auditu, cùm auditu verborum mulieris cor inflammatur: Eccl. 9. Colloquium illius, quaſi ignis exardeſcit. Item in guſtu: cùm ex convivandò cum eâ libido provocatur. Propter quod dicitur Eccleſ. 9. Cum muliere alienâ ne sèderis omninò: nec accumbas cum eâ ſuper cubitũ: & non altercèris cum eâ in vinô, ne fortè declinet cor tuum in illam. Item in tactu: Prover. 6. Qui ingrèditur ad uxorem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam. Item in oculis: 2. Petri. 3. Oculos habentes plenos adulterij. Verùm, licèt vigeat hæc corruptio in omnibus ſenſibus: tamen magis in viſu. Tactus enim ſimplex ſolam ſuavitatem carnis: Auditus ſolam dulcedinem eloquij: Olfactus ſolam fragrantiam odoris meretricij percipiunt de muliere: Guſtus verò, in convivandô nihil de eâ pèrcipit propriè; ſed ſolùm de his, in quibus cum eâ communicat, còntrahit ſcilicèt ſaporis effectum: Viſus verò de eâ pèrcipit figuram, coloré, geſtus, ornatum, membra ſingula, & totius corporis diſpoſitionem: quæ tãtò magis inflammant concupiſcentiam: ſicut ligna, quantó plura ſunt, tantò faciunt majorem ignem. Ideo benè dicitur Eccleſ.

2.

9. Et ex hôc, scilicèt visu mulieris concupiscentia, quasi ignis, exardescit, qui scilicèt plus ardet, quando plura sunt ligna. Sic igitur patet, quòd visus magis inflammat ad libidinem, quàm alij sensus. Item frequentiùs potest habere copiam sui objecti in muliere visus, quàm alij sensus: quia frequentiùs potest videri, quàm tangi, vel audiri, vel quàm haberi possit solatiũ de ejus conviviô, vel aromatibus: Dan. 13. Videbãt quotidie eam, scilicèt Susannam, seniores ingredientem, & deambulantem. Et ideo frequentiùs committitur impudicitia per visum, quàm per alios sensus. Item omnes mulieres unius civitatis possunt interdum videri, nobiles, & ignobiles, conjugatę, & virgines, religiosæ, & sęculares, & sic de alijs. Non autem sic possunt omnes tangi, vel audiri, vel haberi in conviviô, vel de propè redolere. Et ideo oculus cum pluribus facit peccata, quàm alij sensus: quia in omnibus, quas videt, potest peccare. Unde impletur in eis illud Threnorũ 3. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. Item oculus audaciùs peccat in muliere, quàm alij sensus. Audet enim quis videre multas, quas non auderet tangere, vel cum eis comedere, vel ad loquendum, vel aliàs aliquatenus appropinquare. Unde longô tempore deperijt Amòn in amorem Thamàr, quam videbat speciosissimam: nec tamen audebat eam tangere, vel impetere de turpitudine: sicut dicitur 2. Reg. 13. Itẽ

occuli impudicitia non ita percipitur ab alijs, ſicut verborũ, vel tactuũ, aliorũ vè ſenſuum: Et ideo, ſicut ille, qui non putat ſe videri, ſecuriùs fornicatur, ita & oculus ſecuriùs, quã ſẽſus alij, agit impudicè. Et ideo dicit Aug. infra: Nec putare debet, qui in fœminã figit oculum, ab alijs ſe nõ videri: innuens per hoc, quòd multi ſunt tales, qui ſic putant: & ideo ſecuriùs figunt. Item alij ſenſus poſſunt habere impedimentum de facili ab exteriori circa mulìeres: quia completio actûs eorum dependet ex factô alienô: Unde non poteſt quis tangere mulìerem, vel loqui cum ea, vel comèdere, vel commorari propè eam, ſine ejus aſſenſu: Viſus verò non dependet ex factô alienô; ſed ſolùm ex voluntate videntis, ſi levet oculos, juxta illud Eſaiæ 49. Leva oculos tuos, & vide. Et ideo liberiùs peccat in mulìere: quia non poteſt ita impediri, ſicut alij ſenſus. Item inſatiabiliùs peccat: citiùs enim faſtidiunt tactus, & auditus, & alij ſenſus in mulìere illud, in quô delectantur, quàm viſus: Eccleſ. 5. Non ſatiatur oculus viſu. Cùm igitur (ſicut patet ex jam dictis) viſus vehementiùs inflammet ad libidinem, & frequentiùs, & circa plures perſonas, & peccet audaciùs, liberiùs, & inſatiabiliùs: conſtat, quòd in ipſis oculis eſt major corruptio circa impudicitiam: propter hoc dicit philoſophus: Veſtra luxuria ſint oculi. *Circa tertium notandum*, quòd vir religioſus eſt quaſi res Deo valdè ſacrata: ſicut reputabatur ſacrum,

crum, quod separabatur ab usibus communibus, & Deo offerebatur: & ideo significantur religiosi per Nazaræos. Nazaræus idē est, quod sanctus, quia ipsi religiosi debent esse ipsa sanctitas. Item in servitiô, quod exhibetur magnatis, nihil est ita indecens, sicut immunditia: Propter quod dicit David in Psal. Ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. Item, licèt omne peccatum sit immunditia, juxtà illud: Quæ autem de corde exeunt, hæc coinquinant hominem: Mat. 15. tamen luxuria est major immunditia. Propter quod mulier fornicaria comparatur stercori Eccles. 9. quod est maxima immunditia. Cùm ergò immunditia quæcunque valdè inhonestè fedeat in re sacratâ quâcunque, & in servitiô homini terreno exhibitô: quantò magis immunditia impudicitiæ indecens est viro tam specialiter Deo consecrato, & eidem servienti die, ac nocte? Ec sic patet quantùm sit contraria impudicitia honestati. Proinde, cùm intendat Augu. trâdere mandata motuum ad disciplinâ pertinentia ad honestatem, non fuit contentus de motibus hujusmodi trâdere mâdata in genere, nisi specialiter prosequeretur de oculis, in quibus est maxima corruptio circa pudicitiæ honestatem, dicens: (Oculi vestri, & si jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.)

*** *** *** ***

Cap. LXXIX.

ET ſt ſciendum, quòd multa mala evenire ſolēt ex mulierum aſpectu: Gen. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt uxores ſibi, ex omnibus, quas elegerant: Et hęc fuit primaria cauſa diluvij, in quô fuerunt omnes prę- ter paucos ſubmerſi. Item 12. ejuſdem: Viderunt Ægyptij uxorem Abrahæ, quòd eſſet pulcra nimis: & nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverūt eam apud eum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis: propter quod flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus. Item ejuſdem 33. Cùm vidiſſet Sichèn filius Emòr princeps terrę illius Dinam, adamavit, & rapuit, & dormivit cū eâ: propter quod interfectus eſt poſtea Emòr, & omnes maſculi civitatis illius. Item Jùdicum 14. Deſcendit Sānſon in Thannathàm, videnſque ibi mulierem de filiabus Philiſtijm, accepit eam: & poſtmodum ipſa trādidit eum, & fuit occaſio mortis ſuæ. Item 2. Re. 11. Vidit David mulierem lavantem ſe ex adversô ſuper ſolarium ſuum, erat autē pulchra valdè: & poſt: Et miſsis nuntijs tulit eam. Et hoc fuit poſtea ſibi occaſio homicidij, & proditionis, & maximæ irę Domini contra eum. Item Judith 16. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, ſcilicet Holofernis: pulchritudo ejus captivā fecit animam

mam ejus: & hâc occasione fuit capite truncatus. Item Dan. 13. Videbât Susannam seniores quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiâ ejus. Quod eis postmodum fuit occasio lapidationis. Hæc siquidem, & alia multa mala leguntur evenisse propter mulierum concupiscentiam, ex oculorum intùitu generatam. Ideo cavendum est bono viro, nè ex propositô respiciat mulierem: quod si fortè in casu videt, cavendum est ei, nè oculos figat in eam. Porrò oculos dicitur figere quis tripliciter: Unô modô, cùm morosè respicit, quasi judicans de figurâ, & pulchritudine: sic faciebant illi, de quibus dicitur Judith 10. Et erat in oculis eorum stupor: quoniam admirabâtur pulchritudinem ejus. Et post 11. dicebat alter ad alterum: Non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudinis. Numquid non benè morosè respexerant illam, cujus pulchritudinem omnibus alijs fœminis præferebant? Aliô modô, cùm inspicitur ad concupiscentiam incitandam: juxta illud Matth. 5. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendû eam, jam mœchatus est eâ in corde suô. Aliô modô cùm videtur cum concupiscentiâ: juxta illud, quod dixerunt senes Susannæ ante se positæ: In concupiscentiâ tui sumus: Licèt autem primus modus non videatur in se esse mortale, sicut alij duo: tamè quia est occasio valdè proxima ad mortale, prohibetur omnis hujusmodi fixio oculorum, non per modum

præceptorium, quò ad primum modum; sed per modum valdè diffuaforium : sicut in multis similibus in regulâ invenitur. Unde reddens causam hujus mandati subdit dicens:

¶ *Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solò tactu, & affectu; sed & aspectu quoque appètitur, & àppetit concupiscentia fœminarum.*¶ Quasi dicat ideo non visionem simplicem; sed fixionem oculorum prohibeo, quia appetitus mulierum est criminosus: qui scilicèt appetitus surgit, vel est cum aspectu; & non solùm in tacitô affectu.

Cap. LXXX.

CIrca hoc verò, quod dicitur hîc, quòd videre fœminas non sit prohibitum: Notandum est, quòd, quamvis non sit prohibitum propter periculum transgressionis, quia difficilè esset hoc servare; tamen est tutum. Dicitur in li. Barlaàm, quòd, cùm quidam rex gentilis nutrijsset filium longô tempore in occultô, nè possent ei Christiani loqui, & inducere ad fidem suam: Tandem, cùm jam esset adolescens, fecit eum edùci ad videndum delectabilia mundi, quæ eum ad se allicerent, & sic magis elongaretur à doctrinâ Christi. Cùm autem inter alia vidisset mulieres, quas usque tunc non viderat: & quæsijsset, quid hoc esset? dictum est ei: Isti sunt homo-

mones, qui sedúcunt homines. Cùm autem pôstmodum quæreretur ab eô, quid magìs sibi placuisset inter omnia, quę viderat? Respôdit: Dœmones, qui sedúcunt homines. Ex quô patet, quòd multùm est allectiva species mulieris. Cùm ergò multùm alliciant, & non liceat eas concupiscere: non est securum eas videre: Gregorius: Non est tutum intueri, quod non licet concupiscere. Item non est perfectionis. Unde legitur in vitis patrum, quòd cùm quidã monachus occùrreret quibusdã sanctis mulieribus, & propter eas diverteret à viâ: dixit ei quædam illarum: Tu, si fuisses perfectus monachus non divertisses à nobis: quia non tantum respexisses nos, quòd posses discernere, utrũ essemus mulieres. Item non est religiosum. Unde reperìtur in vitis patrum, quòd, cùm quædam valdè nobilis, & dives mulier venisset à partibus remotis ad quendam virum valdè religiosum: & inter alia rogasset eum, ut oraret pro eâ: Respondit ille: Rogo Deum, ut tollat memoriam tui de corde meô. Cùm autem ipsa super hôc scãdalizata recedens dixisset hoc cuidam Episcopo: ipse eam consôlans dixit ei: An nescis, quia es mulier? & quòd dœmones solent virôs sanctos per imaginationes, & memorias mulìerum maximè vexare? Ideo hoc tibi dixit: Nam pro animâ tuâ semper orat. Similiter legitur ibidem, quòd quidam frater dixit cuidam seni: Pater jam senuisti, eamus videre mundum, Cui senex: Ubi non est mu-

mulier, fili, illuc eamus: Et frater: Et ubi est locus, ubi non sit mulier, nisi solitudo? Et senex: Ergò fili in solitudinem me tolle. ¶ Legitur etiam ibidem, quòd quidã multùm religiosus propriam matrem venientem ad eum visitandum noluit videre. Cùm ergò viri religiosi nolint habere memoriam mulierum in corde: nec esse in loco, ubi possint eas videre, & etiã refugiant videre proprias matres: quã cõtrarium est religioni videre mulieres? Item non est cautum. Per visum enim indùcitur species ad animam, quæ ipsam impugnat, velit, nolit: nec potest facilè se ab eâ postmodum expedire. Quis autem sapiens velit in domum suam inducere hujusmodi tribulationem? Ideo super illud Job 31. Pèpigi fœdus cum oculis meis: dicit Glo. Fœdus cum oculis pèpigit, nè primus incautè inspiceret, quod postea invitus amaret. Item non est fidelitatis Deo debitæ, quomodo enim est fidelis Domino suo, qui portas castri sibi commissi àperit inimicis suis, & sic auferuntur ei castra? Ideo post illud Pèpigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine, subjungitur: Quam enim partem haberet in me Deus desuper? quasi dicat: Nonnè amitteret sic Deus, quicquid habebat in me? Item non est angelicum. Viri enim angelici, pudìci scilicèt, ut Angeli, non debent intuèri mulieres. Et ideo dicitur 1. Cor. 11. Debet mulier velamen habere super caput suũ propter Angelos, ideſt propter angelicos homines,

ne

nè eam aſpiciant : Ergò non eſt angelicum intuerì mulìerem. Item non eſt philoſophicum. Legitur enim philoſophum quendam(ut dicit Hjero.) eruiſſe ſibi oculos propter hoc, quòd phantàſmata ingredientia per oculos impediebāt eum à ſapientiâ. Cùm igitur phantàſmata mulìerum ingredientia per oculos ſummè impediant à ſapientiâ,non temporali; ſed æternâ; & ſcandalizent ad mortem animam : quales philoſophi ſunt iſti, qui ſic habent oculos promptos ad mulìerum aſpectum ? Ideo dicit dominus Mat. 5. Si oculos tuus ſcandalizat te, erue eum,& pròjice abs te. Quod,quamvis non ſit ad litteram intelligendum omninò, tamen multùm concordat huic ſententię. Item hujuſmodi viſio procuratio eſt diabolica. Unde legitur in Vitiſpatrum, quòd,cùm quidam fuiſſet ab infantiâ in monaſteriô nutrìtus,cùm jam creviſſet,dœmones oſten debant ei formas,& habitus mulìerum. Quod,cùm retuliſſet patri, & cum eô ſemel deſcendiſſet ad ſæculum: & vidiſſet ibi mulìeres: dixit iterum ei: Ecce iſtę ſunt, quas de nocte videbam in cellâ : Et miratus eſt ſenex de fraude. Procurant ergò dœmones hujuſmodi viſionem, cùm aliter copia non haberetur: & etiam interdum in formas hujuſmodi ſe transformant: Propter quod ſùccubi vocantur. Cùm igitur videre mulìeres non ſit ſecurum , non pèrfectionis, non religioſum, non angelicum, non philoſophicum, immò procuratio diabolica, quà-

vis

vis non sit prohibitum; tamen propter hujusmodi inconvenientia est valdè cavendum.

Cap. LXXXI.

ITem circa hoc dubitatur, quòd dicitur, quòd (appetere mulieres, vel ab ipsis àppeti velle criminosú est) cũ sit occultú, & crimé videatur sonare infamiã? Ad quod solvendum: Sciendum est, quòd crimen quatuor modis accipitur: sicut dicit Gratianus, & probat per dicta sanctorum distinct. 26. Unômodô strictè: & sic dicitur crimen peccatum mortale, unde ibidem: Crimen vocatur criminalis infamia (Cum infamiâ.) Et trâhitur de verbis Hieronymi. Secundô modô largè, & sic dicitur omne peccatum mortale, sive cum infamiâ, sive sine infamiâ, crimen. Unde ibidem: Multi decipiuntur, dum credunt, quòd, si super fundamentum Christi capitalia crimina ædificant, ipsa per ignem transitorium possint purgari: Et trâhitur de verbis Augustini. Constat autem ibi crimina vocari quæcunque mortalia. Tertiô modô largiùs: Sic dicitur crimen quodcunque peccatum, sive mortale, sive veniale, quod non ex infirmitate, vel ignorantiâ; sed ex deliberatione committitur. Unde ibidem: Crimen appello (aliàs latè patet, & competenter) omne peccatum complectens, quod ex deliberatione procedit: & trâhitur ex verbis Bedæ, & Augustini. Quar

to

tô modô largissimè,& sic dicitur crimen omne peccatum sive mortale, sive veniale: Unde ibidem nomine criminis omne peccatum intelligitur: & trahitur à verbis Hjero. Patet ergò ex his, quòd, cùm appetitus prædictus sit semper mortale, dicitur crimen, juxta secundam acceptionem criminis prædictam. Et nota, quòd sola cogitatio de mulière non est in se aliquando peccatum: Delectatio verò in hujusmodi cogitatione potest esse mortalis, & venialis, secundum diversas circumstantias: Appetitus verò mulieris semper est mortalis. Porrò cogitatio est origo delectationis prædictæ: & delectatio indùcit in appetitum. Est enim hujusmodi cogitatio sicut scintilla,de quâ scriptum est Eccles. 11. Scintillâ augetur ignis. Item sicut fermentum modicum, de quò dicitur 1.Cor.5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Item sicut caput serpentis, de quô Hjero. Lubricus est cõluber tortuosus, & nisi capite teneatur, totus illàbitur. Ideo viri sancti, nè trahantur ad hujusmodi delectationem, vel appetitum, labòrant circa hujusmodi primarias cogitationes, extinguentes scintillas hujusmodi, fermentum expurgantes,caput serpentum conterentes,exemplô illius, de quâ scriptũ est Gen. 3. Ipsa cònteret caput tuum. Sunt autem tria, quæ valent contra hujusmodi cogitationes. Primum est clausio oculorum ab âspectu mulierum, per quẽ introductæ cogitationes hujusmodi in memoriâ re-

lin-

linquuntur: Job 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem de virgine, hoc est, ut post visum virginis non remaneret in me memoria ejus, faciés me cogitare de eâ. Secundum est occupatio cordis in cogitationibus sanctis. Sicut enim dicit quidam senum: Cor hominis est quasi molendinum, quod molit illud, quod ei ministratur, & cùm molit unũ, non potest aliud molere. Cùm bonum bladum sanctarum cogitationum molit, nó recipit malas; sed à diabolô, vel aliunde aptantur: & ideo benè dicitur Eccles. 3. Quæ præcepit tibi Dominus, cogita illa semper: qui enim sic facit, per hæc evàdit cogitationes immundas. Tertium est fides Christi: Hujusmodi siquidem cogitationes sunt parvuli Babylonis, & cùm sentiuntur in corde oriri, recurrendum est ad Christum per orationem, & ad signum crucis ejus, & ad memoriam passionis ejus, & similia: ut horum adjutoriô teneantur, nè procedant: sed potiùs allidantur: & beati qui sic faciunt: Psal. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram, id est ad Christum, sive ad fidem ejus. Et sic patet qualiter appetitus mulierum, secundùm quòd accipitur activè, sit cavendus. Reperiuntur autẽ aliqui, qui, & si nõ àppetant mulieres; tamen interdũ volunt àppeti ab eis, vel, quod pejus est, ex hôc, quòd appetũturab eis, gloriãtur, vel, quod pessimũ est, aliquid faciunt interdum, ut appetantur. Quæ omnia viri sancti diligenter cavent; non solùm non faciẽ-

facientes aliquid, ut appetantur: non solùm in hôc non gloriantes; sed ne appetantur, multam diligentiam apponentes. ¶ Ad quod cavendum, notandũ est, quòd mulieres sunt multùm curiosę ad videndum homines, & specialiter etiam bonos: Gen. 49. Filiæ discurrerunt super muros: Glo. Hieron. de muris, & turribus, & fenestris, tota puellarum Ægypti turba prospexit in Josèph, quando scilicèt intravit Ægyptum. Sicut autem ex visu mulieris exardescit concupiscentia viri: ita econtrariô ex visu viri concupiscentia mulieris: Ezec. 23. Cùm vidisset Ooliba similitudinem filiorum Babylonis, insanivit super eos, concupiscentiâ oculorum suorum. Non solùm autem hoc àccidit circa filios Babylonis; sed etiam circa filios Dei. Unde Hòspita Beati Bernar. sic insaniens in eum, de nocte accessit ad lectum ejus, licèt eam respùeret clamandô: latrones, latrones. Et ideo bonorum virorum est, & maximè illorum, qui sunt aspectu gratiosi, rarò, aut nunquã apparère inter mulieres; sed potiùs in clàniculò stare, non solùm propter se; sed, & propter mulierum fragilitatem: Hiero. ad Occèanum: A consortiô virorum longè sint fœminæ. Monachum, vel clericum solitudo facit, non publicum. Item frequentatio mulierum paulatim solet corda earum inflãmare in viros: Gen. 39. Post multos dies injecit domina sua oculos in Josèph, quasi dicat; Non statim ab initiô; sed post quàm diu fuit cum eâ conversa-

tus, & ideo viri sancti cavent hujusmodi frequentationem: Hjero. ad Occèanum: Si pudicitiam quæris, scilicèt simpliciter, tam tuam, quàm alterius, fœminam, quàm benè videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentiâ: & post: Cur sanctimonialium frequentia in Ecclesiâ, vel in ipsô publicô te delectat? Item familiaritas in omni re præbet audaciam: audaciùs enim quilibet à familiari, quàm ab extraneô impètitur: ita, & mulier audaciùs prorumpit in tentationem erga familiarem, quàm erga extraneum. Quod satìs ostènditur in quôdam opere diabolicô in vitis patrum, ubi dicitur, quòd diabolus volens dejicere quendam eremitam, in speciem mulieris se transformans, quasi oberrans venit ad cellam ejus circa noctem, rogàs, ut dimitteret eam illâ nocte quiescere apud eum: Quod, cùm annuisset, post receptionem, stetit cum eô juxta ignem, postmodum inceperunt loqui de multis: postea incepit admirari barbam suam, & tàngere, & jocare. Tandem post hujusmodi multa, quasi jam ei familiaris effecta, provocavit ad turpem commixtionem: ad quod, cùm se ille pararet, evanuit subitô de manibus suis dicens: O monache, qui te extollebas usque ad cœlum, ecce quomodo corruisti? Et ideo bonorum virorum est, nullam familiaritatem habere plùs cum unâ mulìere, quàm cùm aliâ: Hjero. ad Nepotianum: Omnes puellas, & Virgines Christi, aut æqualiter ignora: aut æqua-

liter

liter dilige. Item affectus mulieris erga bonos viros, licèt sanctus, facile degenerat in carnalem, quia fragilis sunt naturæ mulieres. Juxta illud Proverb. ult. Mulierem fortem quis inveniet? Ideo viri sancti non faciunt aliquid circa eas, ad nutriendum, vel augendum affectum earum circa se, per munuscula, vel per litteras, vel per blãda colloquia, & similia: Hjero. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatas, & degustatos cibos, blandasque litteras, & dulces, sanctus amor non habet. Lumen meum, desiderium meum, & cæteras ineptas amatorum locutiones, in comœdijs erubescimus, & in sæculi hominibus detestantur: quantò magis in monachis, & clericis? Hujusmodi autẽ, & similia propter hæc sunt cavenda, nè per hæc affectus mulieris nutriatur erga hoc facientes. Item decor hominis solet incitare concupiscentiam mulierum: Gen. 39. Erat Josèph pulcher facie, & decòrus aspectu. Et sequitur: injecit domina sua oculos suos in eum, & ait: dormi mecum. Sed viri sancti est, deturpare corpus suum per mortificationẽ, sicut fecit Hjero. qui scribẽs ad Eustochium de se dicit: Horrebant saccô membra deformia: & squalida cutis situm Æthiopissæ carnis obduxerat: pallebant ora jejunijs: & ante obitum suum erat jam caro præmortua. Qui autem sic deturpat corpus suũ, quomodo âppeti poterit, vel amãri? Et ideo sic faciendum est viro sancto;

quòd non compositio, vel pulchritudo ametur in eô, nè sit occasio peccati in alijs: Amb. Pereat corpus, quod amari potest oculis carnalibus. Item, cũ sentiunt viri sancti se diligi à muliere, fugiunt illam, sicut Josèph fugit dominam suam, relictô palliô: Eccles. 7. Mulier laqueus est venatoris, vincula sunt manus ejus: qui placet Deo, effugiet illam. Quæ enim fera est ita fatua, quin fugiat laqueos, & vincula? Item, si fortè contingat, quòd insequãtur viros sanctos, confundunt eas. Undè in vitis patrũ legitur, quòd, cùm quædam mala mulier quendam bonum virum, quasi comprehẽsum in locô, in quô non pòterat effugere, vellet osculari invitum: ipse prævidens linguam suam cum dentibus, projecit in faciem suam, & confusa recessit. Dicitur etiam de quôdam virô sanctô, quem quædam mulier, cũ insequeretur, & molestaret frequenter, ut jaceret secum: ipse fecit parare ignem in domô quãdam, & ad ipsam insequentẽ cum dixit, ut veniret ad locũ illum. Quod, cùm fecisset, extensis carbonibus, posuit se super eos, & dixit ei: veni modò, & jaceas hîc mecum, quod illa abhorrens aufúgit. Fertur etiam de quôdam scholari Parisien. qui, cùm quædam mulier non cessaret cum impetere, dixit ei: quòd veniret ad cãmerã suã. Quæ, cũ venisset, dixit ei: ut expoliatis pannis intraret lectũ suũ. Quod, cũ fecisset: ipse habẽs virgas optimas, incepit eam disciplinare fortissimè cum virgis, intantum, quòd illa

la multùm gavisa est, cùm evadere potuit ab eô. Sic ergò hujusmodi sunt confundendæ dictis, & factis, exemplô Domini, qui minis, & verbis mirô modô confùdit meretricem Judęam: Ezech. 23. dicit: Nasum tuum, & aures tuas præcident, & post: & dimittent te nudam, & ignominiâ plenam, & similia multa in eôdem capitulô 25. & 26. Item sunt aliqui, qui, cùm mulieres propter aliquam causam sentiunt erga se turbatas, laborant se reconciliare: Hjerony. ad Occèanum: Cùm salutaverint Dei servos, si eos prœterire celeriùs viderint, contemptores suos judicant, & irascuntur. Ordinatur deinde satisfactio, & post: Ille lamentare se simulat pretij genus, quasi indùcens verum: modus est ille delicatorum. Unde 3. Esdræ 4. dicitur de Rege, & concubinâ ejus, si indignata fuit, ei blanditur, donec reconcilictur in gratiam. Sanctis verò non sic, quia non curant de hujusmodi reconciliatione, quia melius est eas esse turbatas contra eos, quàm carnaliter affici. Et ideo habent ad eas verba non blanda, ad gratiam earum habendam; sed potiùs provocantia turbationem: Augu. Sermo brevis, asper, & rigidus cum hujusmodi est habendus: brevis, inquã, non longus, sicut desiderant: Asper, qui pungat, nô liniat: rigidus, qui non flectatur ad voluntatem earum. Nonnè ista sunt magis turbativa, quàm gratiæ acquisitiva? Viri igitur sancti non solùm non volunt non appeti à mulieribus; sed ne àppetãtur,

non compàrent de facili coram eis, quòd si aliquando compàrent a longè, tamen cavent à frequenti accessu ad eas: quòd si frequenter contingat ex causâ, non reddunt se familiares plus uni, quàm alij. Cavent etiam, nè affectum in eis erga se nutriant, de pulchritudine, vel compositione sui non curant, insequentes fugiunt: quas fugere non possint, confundunt si contra eos turbatæ fuerint, pro reconciliatione earum non laborant, ut ex his non solùm sibi; sed & eis caveant à peccatô. ¶ Sciendum verò, quòd tria sunt genera fœminarum, quæ faciliùs tentantur de bonis viris, quàm aliæ. Primum est continentes, maximè jùvenes: Cùm enim tentatio carnis maximè, & cõtinuè sit in earum naturâ: faciliùs tentantur istę, quàm conjugatæ, vel alię mulieres malę, quę in suô matrimoniô, vel cum alijs multis opus exercentes, minorem causam habent tentationis in alios. Ideo Apostolus reddens circa justud cautum Timòtheum: dixit ei: Adolescentiores viduas devita 1. Tim. 5. Inter continentes verò, sunt quædam sub habitu, & specie sanctitatis, & ideo cùm non debeant habere familiaritatem cum hominibus mundanis, propter nomen sanctitatis, faciliùs effundunt suas tentationes in viros sanctos, cũ quibus frequentiùs conversantur. Et ideo ad cavendum ab istis dicit Augu. Nec minus ideo cavendę, quia bonæ indolis, vel etiam pię cõversationis esse comprobantur: Quantò enim melioris famę sunt,

tan-

tantò citiùs alliciunt, quia ſub affectu pietatis, ſe ſuppònit viſcus impię libidinis, pernicioſum mortis venenum, quod ſuum eſt projiciens. Item inter hujuſmodi continentes ſpeciem ſanctitatis habentes, ſunt quędam vilîs conditionis, quę faciliùs cadunt in hujuſmodi tentationes, quàm nobiles, vel magnæ auctoritatis matronę, quę propter honorem ſuum hoc attentare dedignantur: Augu. Quantò vilior illarum conditio, tantò ruina facilior, & ideo continentibus ſub habitu ſanctitatis, & vilîs conditionis, magìs cavendum eſt, ab hujuſmodi appetitu, ſecundùm modum prædictum: & etiam ab eis magìs cavendum.

Cap. LXXXII.

ITem de hôc, quod dicitur: (aſpectu appètitur, & appetit concupiſcentia fœminarum) poteſt dubitari: ſicut enim affectus non eſt in aſpicere: ita aſpectus non eſt in àffici: ita nec appetere, cùm appetere ſit affectûs, quòmodò ergò dicitur, quòd aſpectu appètitur, & àppetit concupiſcentia fœminarũ? Ad quod dici poteſt, quòd affectus àppetit fœminam; ſed mediante aſpectu: ſicut homo ſecat; ſed mediante ſecùri. Eſt ergò appetitus hujuſmodi ipſius affectûs tanquam potentiæ, à quâ elicitur; ſed aſpectûs tanquam inſtrumenti, quô mediante exercetur. ¶ Et nota, quòd non ſolùm aſpectus videntis

eſt

est medium hujusmodi appetitûs, sicut supra dictū est, ubi actum est de corruptione oculorum; sed etiā aspectus fœminæ vīsæ interdum, & hoc quatuor modis. Sunt enim quædam mulieres, quæ oculorum suorum pulchritudine incitare solent concupiscentiam in vidente. Unde dicitur, quòd, cùm quidam rex vidisset quandam sanctimonialem, & exarsisset in eam, & vellet omninò eam habere, & eam super hôc molestaret: ipsa mandavit ei, quòd significaret sibi, quid tantum sibi placuisset in eâ? Cùm autem ille remandasset ei, quòd oculi ejus super omnia placuissent sibi in ipsâ: ipsa eruens oculos, misit eos sibi dicens: Ecce habes, quod in me amasti; quod latet, non sit trahendū ad consequentiā: tamē patet ex hôc, quòd oculorum pulchritudo incitat concupiscentiam in vidente. Et ideo dicitur Can. 2. Averte oculos tuos: quoniam ipsi me avolare fecerunt. Quod, licèt intelligatur secundùm mysterium, & spiritualiter: tamen est tracta similitudo ab amore stultô, qui citò, sicut avis volat: ita citò excitatur à pulchritudine oculorum in muliere. Item solent interdum aliquæ mulieres depingere oculos suos: 4. Reg. 9. Porrò Jezabel in introitu Jehū depinxit oculos suos stibiô, & hoc iterum incitare solet concupiscentiam in vidente. Item sicut pudicæ mulieres solent oculos habere depressos, ita malæ erectos: Eccles. 26. Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorū agnoscitur. Et hoc iterum est inci-

citamentum concupiscentiæ: quia creditur, quòd talis citiùs acquiescat peccato. Item solent quandoque malæ mulieres quosdã nutus facere oculis, quibus prò vocant ad malum: Unde Esa.4. dicitur de filiabus Siòn: Nutibus oculorum ibant: & dicuntur ire nutibus: quia nutibus se trànsferunt in concupiscentiam videntium: sicut vadens cũndò se transfert alibi. Quia ergò tam aspectus viri videntis, quàm aspectus visæ mulieris, frequènter est medium, per quod excitatur concupiscentia fœminarum: Ideo dicitur: quòd (aspectu appètitur, & àppetit concupiscentia fœminarum) sive activè, sive passivè accipiatur concupiscentia: quia mediante utrôque aspectu appètitur.

Cap. LXXXIII.

NEc dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudìcos: quia impudicus oculus impudìci cordis est nuntius, & cùm se invicem sibimet, etiam tacente linguâ, conspectu mutuò, corda nuntiant impudica: & secundùm concupiscentiam carnis, alterutrò delectantur ardore, etiam intactis ab immundâ violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.

¶ Datò mandatò circa disciplinam oculorum, & causâ mandati: ponit rationes, quare observandum sit. Ad quod intelligendum nota, quòd

tres

tres sunt occasiones, quare quis interdum figit oculos indisciplinatè in fœminam. Una est, quia non reputatur hoc sibi illicitum: Secunda, quia non rèputat se videri ab aliô: Tertia, quia non cogitat se videri à Deô. Prima est ex parte sui: Secunda ex parte proximi: Tertia ex parte Dei. Contra primum ponitur hîc ratio. Contra secundum ibi: (nec putare) &c. Contra tertium ibi: sed etsi lateat. Nè ergò seipsum quis circa primum decipiat: dicit primò, quòd non potest esse impudicitia in oculô, quin sit in animâ. Secundò ostendit, quantum malum sequatur ex hujusmodi impudicitiâ, scilicèt fugatio castitatis, dicens: (& cùm se invicem)

Cap. LXXXIV.

CIrca primum verò notandũ, quòd impudicus est oculus, qui audet respicere verecunda humani sexus, in se, vel in aliô, sicut Cham, qui respexit verenda patris: Gen. 9. Item impudicus oculus est, qui attentè intuetur imagines libidinosè depictas: sicut Oolîba mèretrix, de quâ dicitur Ezech. 23. Cùm vidisset viros depictos in pariete, & imagines Caldęorum expressas coloribus, & accinctas balteis, insanivit contra eos concupiscentiâ oculorum suorum. Impudicus etiam oculus est, qui nõ rèfugit àspicem còitûs animalium quorum-

cun-

enèque: Unde, & natura rèfugit aſpectum hominum, in còitu animalium, ex quò ſolet irritari concupiſcẽtia carnis: ſicut probatũ eſt multotiens: Item impudìcus oculus eſt, qui in ſpectaculis rèſpicit repræſentationes actuum impudicorum: ſicut ſolebat fieri in theatris tèmpore gentilitatis, & adhuc proh dolor! apud aliquos Chriſtianos ſuſtinetur ludus, qui dicitur bonatèl: Contra quæ dicit multa Auguſt. in 2. li. de civi. Dei, ubi inter alia dicit ſic: Veniebamus etiam nos adoleſcentes ad ſpectaculũ, ut ludis turpiſsimis oblectaremur: Impudìcus quoque dicitur oculus, qui curiosè conſiderat ſpecies mulierum. Contra quod dicitur Eccleſ. 25. Nè reſpicias ſpeciem mulìeris. Impudìcus iterum eſt oculus, qui nutus impudìcos exercet: ſicut apòſtata, de quò dicitur Proverbi. 6. Annuit oculis. Sunt autem hujuſmodi nutus multum efficaces in malum, propter quod dicitur Prover. 6. Non concupiſcat pulchritudinem ejus, ſcilicèt malę mulìeris, cor tuum, nè capiaris nutibus illius. Impoſsibile eſt, quòd hujuſmodi impudicitia exerceatur per oculos, niſi animus fùerit impudìcus. Conſtat enim, quòd oculi ſunt ſub regimine animi. Certum autem eſt, quòd nullus permitteret, quòd familia ſua, quam habet regere, aliquã impudicitiã exerceret coram ſe: niſi eſſet impudìcus. Item oculi magìs ſunt in poteſtate animi, quàm membra genitalia; ſed nunquã per hujuſmodi membra exercetur voluntariè aliquid impu-

pudicum, quin ascribatur animo: quantò magis impudicitia oculorum est animo semper attribuenda? Item non potest esse matrona pudica, quæ per nuntium aliqua verba impudica mandat alicui: quantò ergò magis erit impudicus animus, nuntiò ejus, id est oculò impudicitiam exercente? Benè ergò dicit: quòd (impudicus oculus impudici cordis est nuntius) quia impudicitia hujusmodi manifestè nuntiat animum impudicum, secundùm quod hominis exteriora enuntiat de illò: sicut dicitur Eccl. 19.

Cap. LXXXV.

CIrca secundum, quod dicit, quòd concupiscentia carnis per oculos exercitata, sine aliò tactu fugat castitatem. ¶ Notandum, quòd præter istud malum, multa alia mala facit hujusmodi concupiscentia. Unum est, quòd devirginat animam: Eccles. 20. Concupiscentia spadònis, scilicèt carnis, quæ sicut spado corrumpere potest, non fœcundare in bonò, devirginat juvènculam, scilicèt animam: per hujusmodi enim concupiscentiam, sine aliò tactu exteriori, interdum amittit virginitatem anima. Aliud est: quòd avertit à Deò: Dan. 13. Exarserunt in concupiscentiâ ejus, & everterunt sensum suum, declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Aliud est, quòd tradit hominem in ma-

manibus hostium, sicut Dàlida Sansonem: Eccles. 18. Si dèderis animæ tuæ, hoc est animalitati tuę, concupiscentias suas, faciet te gaudium inimicis tuis. Aliud est, quòd quôdam modô æquat hominem adultero: Mat. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suô. Aliud est, quòd generat pessimam prolem, generat enim peccatum: Jaco. 2. Concupiscentia, cùm concepit, parit peccatum. Quid autem pejus? Nonnè melius esset, quod pareret bufônem? Item evacuat animam omni bonô: Dan. 13. Concupiscentia subvertit cor tuum, vas enim, quod subvertitur, evacuatur omni contentô. Item facit desìpere in mutandô sensum hominis: Sap. 4. Inconstantia concupiscentię subvertit sensum, scilicèt in malitiâ, quia scilicèt primus non erat malitia. Item paulatim plus, & plus corrumpit hominem, sicut pars pùtrida corrumpit alias: 1. Pet. 1. Fugientes ejus, quę in múndô est, concupiscentiæ corruptionem, ideſt, concupiscentiam, quæ corrumpit. Item coìnquinat, sicut vulnus plenum sanie: 2. Pet. 3. In concupiscentijs immunditiæ ambulant: in concupiscentijs, scilicèt, quæ plenæ sunt immunditiâ. Item adversatur spiritui, & impedit ab omni bono: Gal. 5. Caro concupiscit adversùs spiritum, & post: ut non quęcunque vultis, illa faciatis: Item facit hominem deturmis mundi Deo contrarijs, quæ sunt tres,

con-

concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitę, ſicut dicitur 1. Joan. 2. Proinde, càm hujuſmodi concupiſcentia tot mala indúcat, non eſt bonorum virorum ipſam laxare exemplô illius iniqui, de quô dicitur Dan. 11. Erit in concupiſcentijs fœminarum; ſed potiùs ipſas refrenare, exemplô illius, quæ dicit Thob. 3. Mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentiâ: immô debemus eam mortificare, ſecundùm præceptum Apoſtoli dicentis Col. 3. Mortificate concupiſcentiam malam. Porrò ex intùitu mulieris ſpeciei, concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit: Et ideo decet virum ſanctum, ut caveat ſibi, ab hujuſmodi concupiſcentiâ, & ab omni impudicô aſpectu. Narrat Tullius de offi. li. 2. quòd, cùm eſſent duo prætores collegę Pericles, & Sòphocles, & causâ officij conveniſſent, còntigit quendam juvenem valdè pulcherrimum ad eos intrare, quem, cùm vidiſſet Sòphocles dixit ad ſocium: ô pulchrum pùerum Pericle! & Pericles ad eum, decet Sòphocle prętorem non ſolùm mentem; ſed & oculos abſtinentes habere: Si autem hoc decet prætorem, quantòmagis virum religioſum? Non eſt ergò ſine culpâ viri religioſi, quòd habeat oculos impudicos. Et hæc prima cauſa, quare debet cavere vir religioſus ab impudicô mulierum aſpectu.

Cap.

Cap. LXXXVI.

NEc putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in seipsum diligit fixum, ab alijs se non videri, cùm hoc facit, videtur omninò, & á quibus se videri non arbitratur.

¶ Hîc tangitur secunda ratio, quę est ex parte proximi, quare mandatum prædictum est observandum. ¶ Et notandum, quòd aliqui sunt ita stòlidi, quòd, cùm non vident alios, non putant se interdum videri ab alijs. Isti sunt animal stòlidum, sicut asinus, de quô dicitur, quòd, quando habet caput inter sepes, non videns lupum, putat se non videri ab eô. Sunt iterum sicut pùeri, qui in ludô quôdam recurrunt ad genua matris, & ibi abscondunt caput, & non putant se videri ab alijs pùeris, quos non vident. Sicut etiam cæcus non putat se videri ab alijs, quos non videt. Ita, & multi, cùm aliquid in disciplinatè committunt circa mulieres, non videntes alios, non putant ab eis se videri; sed non est ita. Non putabat Isaàc se videri, cùm jocabatur cum uxore suâ Rebeccâ; sed vidit hoc Abimelèch rex Palæstinorum, prospiciens per fenestram: Gen. 26. Non putabat ille jùvenis, qui ambulabat, ad vesperascente die, juxta domum meretricis, quem deprehensum osculata est, se videri à Salomone,

mone, quem tamen vidit de feneſtrâ domûs ſuæ, proſpiciens per cancellos: Proyer. 7. Nunquid illa mulier, quæ deprehenſa in adulteriô adducta eſt ad Jesùm Joan. 8. Putabat ſe videri, vel adulterans cum eâ, quando ſunt, & viſi, & comprehenſi? Sic quôdam Dei judiciô, multi in hujuſmodi, cùm ſe putant latère, deprehenduntur, ſupernâ providentiâ, non ſine causâ valdè facili, hoc faciente. Qui enim hujuſmodi ſunt, corriguntur per confuſionem interdum, & nunquam Dei timore corrigerentur. Ideo orat pro talibus Pſal. 5. Confundantur, & convertantur retrorſum, ſcilicèt, à malis conceptis retrahantur præ confuſione. Item alijs hoc videntibus incùtitur timor ſimilia perpetrandi, ſicut de latronibus deprehenſis, quorum deprehenſio eſt alijs ad timorem. Exemplum Actuum 5. de Ananiâ, & Saphyrâ, quibus deprehenſis, & punitis, ſequitur in hiſtoriâ: Et factus eſt timor magnus in univerſâ eccleſiâ, & in omnes, qui audierunt hoc. Item ſicut latrones interdum plus nocent reipublicæ quàm raptores, ita occulta peccata, quia frequentiùs committuntur, & majores invàdunt, & minus poteſt ab eis caveri: ſicut, & latrones frequentiùs nocent, quàm raptores: & magnos theſauros invàdunt, ubi raptores capiunt aſinos, & capras, non poteſt pater familias ab his cavere, quia neſcit, quando veniunt: 4. Reg. 24.

Im-

Immisit Dominus, scilicèt permissivè latrùnculos Chaldæorum, & latrùnculos Syriç, & latrùnculos Moàb, & latrùnculos filiorum Amòn in Judam, ut disperderent eam. Proinde Dominus reipublicæ, & amator boni illius facit interdum, ut deprehendantur hujusmodi peccata, sicut & Domini terrarum àdhibent diligentiam magnam, ut deprehendantur latrones, & confundantur: Hjere. 2. Quòmodò confúnditur fur, quando deprehènditur, sic confusæ sunt domus Israël, quæ religiosos designant. Igitur hujusmodi homines vidéntur interdum, & deprehenduntur, Deô procurante, & propter alium timorem, & propter bonum cõe.

Cap. LXXXVII.

Sed etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illô desuper inspectore, quem latère nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tantó videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergò vir sanctus timeat displicere: nè velit fœminæ malé placere. Illum cogitet omnia videre: nè velit fœminam malè videre. Illius namquè, & in hâc causâ, commendatus est timor, ubi scriptum est: abhominatio est Domino defigens oculum.

¶ Ad observandum mandatum prædictum pòni-

tur hîc ratio tertia, ſumpta ex parte Dei, quòd ad ejus intùitum. Circa quem quatuor tangit. Primò quantę ſit virtutis : (quia ipſum nihil poteſt latère) Secundò, quàm fatui ſunt, qui putant contrarium, ibi : (An ideo putandus eſt) &c. Tertiò ex hôc, quòd poſtquam duæ rationes prædictę debent movere, concludit propoſitum ibi : (Illi ergò) &c. Quartò concluſionem auctoritate confirmat d. (Illius namque &c.)

¶ Circa primum notandum, quòd ſi hominum aſpectum quandoquè latcant aliqua facta noſtra; tamen divinum intùitum nihil poteſt latère. Tenebrę enim quandoquè impediunt aſpectum humanum ; ſed non ſic divinum : Job 34. Non ſunt tenebrę, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. Item obſtacula, ut parietes, & ſimilia ; ſed non ſic divinum : Eccleſ. 23. Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem, quia ſcilicèt radij ſolares non pertranſeunt, ubi eſt medium opàcum ; oculi verò Domini omnia quantuncumquè opàca pertranſeunt, ſicut oculi, qui dicuntur ultra parietes videre. Item modicitas rei impedit interdum aſpectum hominis. Sunt enim quędam ita modica, quòd non poteſt ea homo videre ; ſed non ſic divinum : Eſa. 18. Ego conſiderabo in locô meô, ſicut meridiana lux clara eſt, quę ſcilicèt oſtendit àtomos : ità & ipſe videt & motus, & geſtus, &

co

cogitationes, & affectus, & intentiones, & similia quantuncunquè modica. Item rei remotio, quandoquè enim non videt homo rem aliter visibilem, propter sui distantiam; sed non sic Deus, quia ipse est præsens ubique: Gen. 31. dixit Labàn, quamvis gentilis: Nullus sermonis nostri testis est absque Deô, qui præsens respicit. Item rei absconsio in profundum impedit humanum aspectum; sed non sic divinum. Quid enim profundius corde? ipse autem est, qui novit abscondita cordis, ut dicit Psal. Quantò magis omnia alia, & ubique abscondita? propter hoc benè dicit: (quem latère nihil potest) concordans verbo Apostoli dicentis Heb. 3. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, quia nec tenebræ, nec intermedia, nec rei modicitas, nec distantia, nec aliqua absconsio impediunt visum ejus.

¶ *Circa secundum notandum*, quòd Deus non videtur aliquando videre aliqua mala, quia dimittit ea impunita: Grego. Quasi clausis oculis non vult aspicere, quod non vult ferre, licèt tamen videatur non videre, tamen non est ita, videt enim omnia mala; sed ex causâ interdum, quasi non videns, ea non statim punit. ¶ Nota, quòd Deus differt punire peccatores multiplici ratione, non enim est voluntarius ad puniendum; sed quasi invitus hoc facit: Tren. 3. Non enim ex corde humiliavit, & abjecit filios hominum. Et ideo facit

hoc tardè, & lentè, ſicut ille, qui facit rem alienam quam invitus. Item facit hoc interdum miſericorditer expectandò ad pœnitentiam: Sap. 12. Non enim impotens eras impios ſimul exterminare; ſed partibus, ideſt per partes jùdicans, dabas locum pœnitentiæ. Item interdum hoc facit exigentibus culpis aliorum, qui in ſordibus ſordeſcendò adhuc, ad pœnas reſervantur majores: 2. Mach. 6. In alijs nationibus Dominus patienter expectat, ut eos, cùm judicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat. Item interdum hoc facit, nè detur malignis occaſio gloriandi: Deut. 33. Propter iram inimicorum diſtuli, ſcilicèt punire, nè forè ſuperbirent hoſtes eorum. Item interdum, ut per hoc nos doceat, quòd inimicis noſtris debemus eſſe patientes, ſuò exemplò: non ſicut ſervus nequam, qui à Dominò ſuò toleratus, noluit patientiam habere in conſervum ſuum: Matth. 18. Serve nequam omne debitum dimiſi tibi: quoniam rogaſti me: Nonnè ergò oportuit, & te miſereri conſervi tui, ſicut, & ego tui miſertus ſum? Sunt ergò quinque cauſæ quare Dominus interdum, & ſi videat mala aliqua, non tamen ſtatim punit, & cùm omnes valdè ſint rationabiles, patet, quòd hujuſmodi patientia procèdit ex ſapientiâ, non ex malorum ignorantiâ. Benè ergò invehit cótra iſtos Aug. dicens: (An ideo putandus eſt non videre, quia tantò videt pa-

patientiùs, quantò sapientiùs ?).

¶ *Circa tertium notandum*, quòd quinque sunt circumstantiæ ex parte videntis, propter quas quis solet magìs timere facere aliquid mali coram eô. Una est, si sit magna persona. Alia, si sit honesta. Tertia est, si malum, quod fit, fiat contra eum. Quarta est, cùm ipse videns habet de illô malô accusare. Quinta, si debeat de illô judicare. Ipse autem Dominus est tam magna persona, quòd magnitudinis ejus non est finis, ut ait Psalmus. Tam honesta, quòd oculi ejus ad iniquitatem respicere non possunt: Abachùch. 2. Ipse est contra quem solum est peccatum. Ipse est, qui habet accusare de peccatô testificandô, & judicare: Hjere. 29. Ego sum judex, & testis. Ideo reprehendit seipsum super hôc dicens: & malum coram te feci, qui scilicèt es tam magnus, tantus honestatis zelator, in cujus solius injuriam fit peccatum, qui habes de illô contra me testificari, & de ipsô me judicare. Benè ergò dicit: illi, scilicèt qui talis est, timeat displicere vir sanctus: nè velit fœminæ malæ placere. Illum cogitet omnia videre: nè velit fœminam malè videre, hoc est, caveat nè in tali visu aliquid mali committat coram eô. Potest etiam talis placentia, & talis visus in casibus esse sine malô: quod reprehendere non intendit. Ideo dicit: malè placere, & malè videre.

¶ *Circa quartum notandum*, quòd mulier est quasi saccus stercorum. Abhominabile enim faceret, qui figeret manum in sacco stercoribus plenô: & abhominationem majorem faceret, si figeret linguam: quæ est nobile membrum. Oculus autem est membrum valdè nobile. Quanta ergò abhominatio est coram Deô, figere oculum in hujusmodi saccum. Item abhominabile faceret qui coram hominibus provocaret membra genitalia ad motus turpes; sed fixio oculorum in muliere facit hoc coram Deô. Item abhominabile faceret coram hominibus, qui immunditijs impleret sinum suum; sed hoc facit coram Deô fixio hujusmodi, quia ex illâ inducuntur cogitationes immundæ innumerabiles in corde. Item abhominabile esset coram hominibus rem pretiosam, & mundissimam miscère cum vili, & immundâ, ut vinum cum urinâ: balsamum cum stercoribus. Sic autem facit defigens oculum in mulierem, quia per hujusmodi fixionem, miscet animam suam, quæ de se, tanquam res spiritualis, est pretiosissima, & mundissima, cum carne muliebri, quæ est res vilissima, & immunda. Item abhominabile esset, si quis per nasum emitteret urinam, vel per os stercora, quia non sunt illi meatus ad hoc deputati. Quanta ergò abhominatio est coram Dominô: cùm quis per oculos deputatos ad cœlestia contemplanda emittit luxuriam? Hoc autem

rem facit defigens oculos malè in mulierem : per ipsos enim oculos emittit impudicitiam intrinsecam. Benè ergò dicit scriptura secundùm aliam translationem: Abhominatio est Domino defigens oculum.

Cap. LXXXVIII.

QUando ergò simul estis in Ecclesiâ, vel ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam istô modô custodiet vos ex vobis.

¶ Data sunt supra præcepta, vel mandata circa tria pertinentia ad honestatem : Hic subjungit mandata circa correctionem inhonestatis, quod est maximę honestatis. Attendendum verò est, quòd quædam sunt, & fiunt mala, super quibus committentes ea, deprehenduntur : Alia verò, quæ committentes gratis recognoscunt, deprehensionẽ verò malorum facit mutua custodia. Cùm autem per hujusmodi custodiam, aliquid deprehenditur, debet sequi secreta admonitio, cùm verò hujusmodi admonitio non prodest, procedendum est ad denuntiationem. Augustinus igitur hæc prósequens: Primò ponit circa deprehendentia, mandata in particulari. Secundò in generali. In particulari verò primò ponit mandatum circa hujusmodi custodiam, & hoc in materiâ pu-

pudicitię, de quâ ſpecialiùs eſt curandum, tanquàm de re maximæ honeſtatis. Secundò circa admonitionem, ibi: (& ſi hanc &c.) Tertiò circa denuntiationem, ibi: (Si autem, & poſt.) Quartò circa èadem in genere, ibi: (& hoc, quòd dixi.) Quintò circa mala, quæ gratis recognoſcuntur, ibi: (quicunque autem intantum &c.) ¶ Circa primum notandum, quòd, ſicut nobilis Zelotes ſponſæ ſuę ſolet pònere cuſtodes circà eam, nè aliquid faciat indecens: ita Dominus amator animæ multos ordinat circa eam cuſtodes. Aſſignat ad hoc angelos: Pſal. Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te. Item prælatos: Eſa. 62. Super muros tuos Hieruſalèm conſtitui cuſtodes, ſcilicèt prælatos. Item proximos: Eccl. 17. Unicuique mandavit Deus de proximô ſuô, ſcilicèt cuſtodiendô. Unde Gen. 3. reprehenditur Caìn de hôc, quod dixit: Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Porrò pudicitia eſt valdè pretioſa: Eccl. 27. Omnis ponderatio non eſt digna continentis animę. Item habet magnam impugnationem. Impugnatur enim à carne per concupiſcentiam. Item à mundô per viſibilia. Item à Dæmonibus, qui ſuper hôc inceſſanter religioſos impugnant. Unde in Vitiſpatrum legitur, quòd quidam Dæmon impugnavit quadraginta annis quèndam hæremitam, ut eum ſemel faceret fornicari. Propter hoc Dæmones in ſcriptu-

rà vocantur locustæ, quæ à juventute flores devorant, ita, & ipsi flores pudicitiæ. Item vas, in quô servatur pudicitia, est vas valdè frágile: Juxta illud Apostoli 2. Cor. 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, quæ autem hujusmodi sunt, solent diligenter multùm servari. ¶ Item notandum, quòd aliquando contingit, quòd personæ religiosæ declinantes loca solitaria propter suspitionem, quam de se nolunt generari, committunt in societate, ipsâ tamen non advertente, aliquâ impudicitiam in actu, vel visu, vel hujusmodi circa mulieres. Item quandoque in locô sacrô: Item quandoque illi, de quibus nullatenus crederetur. Et ideo incautè faciunt, qui in aliquô istorum confidentes, minus solicitè cu lodiunt fratrem suum. ¶ Item notandum, quòd pudicitiæ observatio speciale domum Dei est: Sap. 8. Scivi, quoniam aliter non potui esse cõtinens, nisi Deus daret. Sunt autem multi modi, quibus Deus hominem conservat ab impudicitiâ. Unô modô ex virtute, seu meritis illam precedentibus. Sic custodivit Abimelèch regem Geraræ, nè tangeret uxorem Abrahàm, propter simplicitatem cordis sui, quia nesciens, quòd esset uxor Abrahàm, tulerat eam, ut sibi acciperet uxorem suam secundùm glo. Gen. 20. Ego scio, quòd simplici corde feceris hoc, & ideo custodivi te, nè tangeres eam. Aliô modô per adversitates: Oseæ 2. Sepiam viam tuam

spi-

ſpinis, & ſepiam eam maceriâ, & ſemitas ſuas non inveniet. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos. Tertiô modô, per adjutorium humanum: ſicut reges ſolent cuſtodire uxores per eunuchos, quia ſecundùm Apoſtolum, Dei coadjutores ſumus: Sed tamen ſine ipsô non ſatisfacimus ad hoc. His prænotatis patet continuatio, & expoſitio præſentis mandati. Dixerat enim immediatè, quòd deſigens oculum abhominatio ſit Deo, & ideo conclùdit: (Quando ergò ſimul eſtis &c.) quaſi dicat: Nè ergò contingat hoc de vobis, ſcilicèt: quòd ſitis abhominatio Deo, cuſtodite vos ipſi, non relinquentes totum cuſtodiæ Angelorum, vel prælatorum. Cuſtodite, inquam, pudicitiam veſtram, quæ eſt res tam pretioſa, tam impugnata, & in tam frâgili locô poſita. Et hoc facite, quando ſimul eſtis, non confidentes de ſocietate: & etiam ſi ſitis in eccleſiâ, vel aliô quôcunque locô, non confidentes de loci ſanctitate (& invicem) ideſt unus indefinitè alterum, quicunque ſit, non confidentes de perſonæ conditione quâcunque. Quamvis autem ſic faciatis, quod in vobis eſt; tamen non putetis hoc ſufficere, niſi & ipſe Deus hoc faciat; ſed confidite, quia, ſi, quod veſtra intereſt, facitis, ipſe Deus, qui habitat in vobis, qui multis modis ſolet ſuos cuſtodire, hôc modô cuſtodiet vos ex vobis.

*** *** ***

Cap.

ET si hanc, de quâ loquor, oculi petulantiam in aliquô vestrum adverteritis, statim admonete, nè malè cæpta progrediantur; sed de proximô corrigantur.

¶ Custodia mutua valet ad duo: Ad cavendum peccatum, ideo dixit in præcedenti mandatô: Deus, qui habitat in vobis, etiam istô modô custodiet vos ex vobis, scilicèt à malô. Item ad deprehendendum malum, si fiat, & circa hoc tradit hoc mandatum dicens: Quid sit faciendum, quando deprehenditur, scilicèt quia monitio est facienda, & statim. Et subjungit causam duplicem scilicèt resistentiam futuris, nè cæpta progrediantur: & correptionem de præteritis, ut de proximô corrigantur. Et sic tria còntinet hoc mandatum, scilicèt: mandati substantiam, & tempus exequendi, & causam. Sed quæreret aliquis circa primum: Nunquid tenemur ad correctionem fraternam de venialibus? Videtur, quòd non: Nullus enim tenetur se corrigere de venialibus. Alioquin per venialia damnaretur. Quid ergò mandat Augustus dicens: quòd de petulantiâ oculorum debemus fratrem corrigere, cùm hujusmodi petulantia potiùs judicanda sit venialis, quàm mortalis? respondeo: venialia sunt dispositio ad mortalia; sed quædam sunt dispositio remota, quædam propia

pinqua, vel ratione multitudinis, ſicut in illo, qui aſsiduè hujuſmodi ſine numerô committit, vel ratione magnitudinis, ſicut ſunt aliqua mendacia, & aliquæ detractiones, & ſimilia: vel ratione connexionis cum mortali, ſicut ſunt colloquia impudica, & viſus, & hujuſmodi circa mulierem. Sicut ergò aliquis videns aliquem incedentem per viam, per quam credit, quòd ſtatim incurret periculum mortis, peccaret, niſi retràheret eum, ita poteſt aliquis peccare mortaliter, niſi corrigat fratrem de hujuſmodi venialibus, quę ſunt diſpoſitio propinqua ad mortale: & de talibus eſt petulantia, de quâ hîc lòquitur. Eſt enim diſpoſitio valdè propinqua ad peccatum mortale. Tenemur igitur ad correctionem fraternam de venialibus interdum, non inquantum venialia, ſed inquantum ad mortale inductiva: Quod innuit Ang. cùm cauſam hujuſmodi correctionis aſsignat dicens: (nè cæpta progrediantur.) In alijs autem caſibus, quamvis hujuſmodi correctio non ſit de neceſſarijs ad ſalutem, tamen eſt de expedientibus. Ad id, quod dictum eſt in contrarium, dici poteſt, quòd hęc non eſt vera: nullus tenetur ſe corrigere de venialibus: quamvis enim venialia nunquam ſint mortalia, tamen negligentia corrigendi ſe de venialibus, poteſt eſſe mortalis in caſu ſimili ſupra poſito: ſicut & contemptus venialium poteſt eſſe tantus, quòd erit mortalis.

Et

Et negligentia in ſuperiori parte rationis non corrigentis inferiorem circa venialia, poteſt eſſe mortalis. Sed iterum quæritur circa ſecundum; quare dicit ſtatim, cùm iſtud mandatum ſit affirmativum, & affirmativa non òbligent ad ſemper, ſed pro locô, & tempore? Reſpondeo: Quędam ſunt peccata jam commiſſa, & non ſunt jam in actu ad correctionem, de iſtis ſufficit, quòd pro locô, & tempore, ſervatâ opportunitate, fiat correctio, immò ſecundùm quoſdam de commiſſô jam delictô non tenentur niſi ſoli prelati, & quò ad alios eſt conſilium. Alia verò ſunt, quæ ſunt in actu, circa iſta ſtatim adhibenda eſt admonitio, ſicut, igne accenſô, ſtatim currendum eſt ad aquã, ſine expectatione. Et de talibus loquitur hîc, ſicut patet ex hôc, quod dicitur: (Et ſi oculi petulantiam in aliquô veſtrum adverterìtis) ſcilicèt in ipſô actu. ¶ Circa tertium notandum, quòd non ſolùm propter cauſas, quas dicit; ſed propter multas alias rationes, debet vigère hujuſmodi admonitio multùm, quæ dicitur fraterna correctio, in religione. Eſt enim quædam fraternitas, quæ dicitur naturæ, ſecundùm quam omnes deſcendentes ab Adàm dicuntur fratres. Alia fidei, ſecundùm quam omnes Chriſtiani dicuntur fratres, quia habent eandem fidem. Alia profeſsionis, ſecundùm quam dicuntur fratres, qui ſub eâdem profeſsione vivunt; ſed omnes fraternitates con-

cu-

currunt in religiosis. Cùm ergò hujusmodi correctio fiat ratione fraternitatis, juxta illud Matt. 18. Si peccaverit in te frater tuus, còrripe eum inter te, & ipsum solum: Quantum tenentur ad hoc religiosi, inter quos est tanta fraternitas? Item Eccles. 19. dicitur: Còrripe amicum. Ex quô innàtitur, quòd hujusmodi correctio impendi debet maximè amicis, juxta illud Apostoli: Quos amo, arguo, & castigo. Et ideo veriores amici magìs tenentur corrigere: Sed verior est amicitia illa, quæ Christi amore est conglutinata, sicut dicit Hjero. & talis est in viris religiosis. Ex quô patet, quòd magis tenentur ad hujusmodi correctionem in fratribus suis. Item proximitas est causa hujusmodi correctionis: Non enim tantum tenemur extraneis, vel remotis, quantum vicinis: Eccles. 19. Còrripe proximum, ex quô sequitur, quód magìs tenemur proximiori. Quis autem proximior, quàm ille, cum quô continuè conversamur? Sic autem est in claustrô. Item sanctitas rei ex seipsâ provocare solet, ut videns in eâ sordem, statim festinet abstèrgere, ut si quis videret sordes in altari Deo consecratô. Cùm ergò quilibet religiosus sit Deo consecratus: Quòmodò potest se frater ejus continère, quin statim laboret abstèrgere sordem peccati, si videt eam in ipsô? Et ideo benè dicitur Apoc. 22. Sanctus sanctificetur adhuc:

qua-

quasi dicat : Ex hôc , quòd sanctus est , plus debet curari de ejus sanctificatione , si in aliquô inquinetur. Item peccatum fratris redundat in damnum commune , juxta illud : Nam tua res àgitur , paries cùm proximi ardet : Sicut ergò quando ignis est in unâ parte domûs , quilibet nititur extinguere , nè tota domus comburatur: Ita curandum est , statim extinguere peccatum, in quôcunque sit in religione. Ideo dicit Augustinus (statim admonete , nè malè cæpta progrediantur) scilicèt in eâ. Item argùere est proprium opus spiritûsancti secundum illud Joa. 16. Ille arguet mundum de peccatô. Quòmodò ergò potest credi , quòd spiritusanctus habitet in illis, qui numquam arguunt ? Ideo signanter dicit Apostolus Gal. 6. Vos , qui spirituales estis, instrúite hujusmodi , scilicèt delinquentes. Patet ex his , quòd viri religiosi multùm tenentur ad fraternam correctionem , & ratione magnæ fraternitatis , & ratione veræ amicitiæ , & ratione magnę proximitatis , & propter statûs sanctitatem, & propter propriam utilitatem, & propter spiritum inhabitantem. ¶ Sed notándum circa modum correctionis, quòd hujusmodi correctio facienda est cum lenitate. Delinquentes enim sunt quasi infirmi , & ideo cum lenitate sunt tractandi : Gal. 6. Instrùite in spiritu lenitatis. Item cum humilitate : Superbus est enim animus

mus humanus, & ideo, cùm superbè loquitur eidem alius, sequuntur inde potiùs jurgia, quàm alij fructus, juxta illud Prover. 13. Inter superbos semper jurgia sunt, propter quod dicitur Prover. 18. Cum obsecrationibus loquitur pauper, scilicèt spiritu humilis. Et è contrariò: In ore stulti jurgia superbiæ, scilicèt superba correctio: Prover. 14. Item cum compassione: Non enim est veræ justitiæ indignari peccatoribus; sed còmpati, & ex compassione corrigere, & eos diligere: Psal. 79. Corripiet me justus in misericordiâ, scilicèt compassionis. Item cum discretione: Aliter enim corrigendi sunt majores, aliter pares, aliter minores, aliter gravia peccata, aliter levia, aliter occulta, aliter manifesta sunt corrigenda, seu tractanda. Et in omnibus servandus est locus, & tempus, & oportunitas: Quod, quia non observant quidam habentes zelum in correctionibus; sed non secundùm scientiam, dicit Bernardus: Zelum tuum infrænet scientia, scilicèt discretionis. Item cum moderamine: Non enim de festucis proximorum sunt faciendæ trabes, sicut faciùt aliqui, qui docti sunt in culpas aliorum arguendas: 2. Timo. 2. Servum Dei cum modestiâ corripientè: ideſt, cum modò debitò. Est autem modus debitus, ut potiùs culpæ semper allevientur, quàm aggraventur: Seneca: Lauda parcè: vitùpera parcius.

cius. Item cum tranquillitate : Correctio enim, quę fit, cùm turbatus est animus, frequenter est quædam impatientiæ offensio, mentiens in se correctionem : Eccles. 19. Est correctio mendax in irâ contumelioſi. Ideo vir ſapiens expectat facere correctionem, quouſque habeat animum tranquillum, ut tranquillitate judicet, ſicut Deus cum tranquillitate judicat : Sap. 12. Exemplum de Philoſophô, qui iratus contra ſervitorem ſuum, dixit : Jam te verberarem niſi eſſem iratus : Patet ergò modus, quô facienda eſt correctio, quia cum lenitate, cum humilitate, cum compaſſione, cum diſcretione, cum moderamine, cum tranquillitate. ¶ Porrò ex ejus correctione factâ debitô modô ſequitur fructus multus. Unus eſt animę liberatio. Si enim correctus audit corrigentem, lucratus eſt animam fratris : Mat. 18. Si autem non audit, ſaltem ſuam liberat : Ezech. 3. Tu verò animam tuam liberaſti, ſcilicet poſtquam dixiſti in pio impietatem ſuam, & noluit tibi cavere. Unde patet, quòd anima una ſemper liberatur, ſcilicet, vel correcti, vel corrigentis. Alius eſt diaboli fugatio. Fugit enim lupus, ubi exclamatur. Quô contra Ber. Securus accedit tentator, ubi nullus timetur reprehenſor. Alius eſt peccati cognitio : Frequenter n. committens culpam, non advertit, quod facit, aut ſi advertit, non cogitat ſe malè feciſſe, aut ſi malè, non multùm malè:

Eccles. 19. Corripe amicum, nè fortè non intellexerit, & dicat: non feci hoc, scilicèt, quod tu dicis, vel non feci male. Alius est cautela de futuris: Prover. 29. Correctio tribuit sapientiam, quia scilicet per hoc fit homo cautior ad cavendum in futurô. Alius est puritatis augmentatio. Vas enim aureum, vel argenteum quantò plus confricatur, tantò plus purificatur: Et ita boni viri religiosi, quantò plus corriguntur, tantò puriores fiunt: Et ideo intelligentes hoc non ferunt graviter: Eccles. 10. Vir prudens, & disciplinatus, non murmurabit correctus. Exemplum de Augustinô Episcopô, qui dixit: Ego senex, & Episcopus paratus sum ab omnibus corrigi, & emendari: & illum amicum meum existimo, cujus linguæ beneficiô, ante diem extremi judicij animæ meæ maculas tergo. Alius est amicitiæ acquisitio: quamvis enim religiosus correctus interdum ferat molestè in principiô: tamen rediens ad cor, advertit corrigentem amicum suum verum: Prover. 28. Qui corripit hominem, inveniet gratiam postea apud illum: magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta dècipit. Quia ergò ex hujusmodi correctione sequuntur animæ liberatio, hostis fugatio, peccati cognitio, ad cavendum in futurô sapientia, puritatis augmentatio, amicitiæ acquisitio: benè dicitur, quòd bonum est arguere. Patet ex jam dictis, quòd sex sunt rationes, qua

quare in religione multùm debet vigère fraternitas, & charitativa admonitio: Et lex, quæ sunt circa modum correctionis servanda: Et lex fructus, qui ex hôc subsequuntur.

Cap. XC.

SI autem, & post admonitionem iterum, vel aliâ quoquè die, idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit invenire.

¶ Postquam deprehensâ culpâ fraternâ, facta est admonitio secreta, & non prodest: procedendum est ad denuntiationem. Circa quam tria solent concurrere: Primum est culpæ indicatio. Secundum indicatæ convictio. Tertium convictæ dijudicatio. Et ideo circa ista tria, tradit mandata tria. Primum hic: Secundum ibi: (Priùs tamen est alteri) Tertium ibi: (convictus verò) ¶ Circa indicationem verò faciendam, innuuntur quatuor in hôc mandatô, scilicèt: quando est facienda, quia post iterationem culpæ à fratrum monitione: Et ideo dicitur: (Si post admonitionem &c.) Item quare est facienda: quia propter periculum delinquentis: & ideo dicit: (Jam velut vulneratum) Item ad quid est facienda: quia propter bonum, scilicèt: ut subveniatur periculo: Ideo dicit: (sanandum prodat) Item à quo est facienda:

quoniam à quôlibet, qui hoc deprehènderit. Et ideo dicitur: (Quicumque &c.) ¶ Sed quæreret aliquis circa primum: An liceat culpam fratris indicare prælato, vel fratribus, vel in capitulô proclamare publicè: non præmissâ secretâ admonitione? Videtur, quòd non, quia dicunt jura, quòd denuntiationi debet præcedere charitativa admonitio, secundùm illud Mat. 18. Si peccaverit in te frater tuus, còrripe eum inter te, & ipsum solum. Et hoc idem Aug. videtur innùere in istô mandatô, quodsi sic est, tunc videntur omnes religiosi peccare, qui proclàmant pro culpis fraternis, non præmissâ admonitione. Ad hoc autem intelligendum: Sciendum est, quòd sunt quædam peccata manifesta: & hæc quæcunque sint, sive parva, sive magna, non requirunt secretam admonitionem; sed publicè sunt corrigenda: 1. Timo. 5. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant: Glo. peccantes, qui manifesti sunt. Alia sunt occulta: Et horum quædam sunt modica, ut excessus in risu, & hujusmodi: & ita annexa fragilitati humanæ, quòd vix est aliquis, quantumcumque perfectus, qui septies in die non offendit in illis. Ista verò, quia sunt cujusdam quasi necessitatis, non habent notabilem verecundiam, neque addúcunt infamiam. Et ideo non oportet, in istorum correctione, præcedere admonitionem. Ratio enim, quare debet

bet fieri secreta admonitio, secundùm sanctos, & magistros, est duplex. Una est, ne, amissâ verecundiâ, si corrigatur frater palàm, minus timeat peccare. Secunda est, ut parcatur famæ fratris, quantum fieri potest, salvâ salute illius. Cùm igitur causæ istę non inveniantur circa peccata ista: non exigitur ordo hujusmodi in istis; sed sine præcedenti admonitione potest frater, etiam in capitulô proclamari: sive sint manifesta, sive occulta. Alia sunt occulta, sed majora, quæ habent infamiam, & verecundiam, ut inebriatio, & hujusmodi, quę quandoque sunt venialia, quandoque mortalia. In istis autem interdum contingit, quòd creditur probabiliter, quòd per secretam correctionem providetur saluti delinquentis, & statui suæ religionis, ut si verbi gratiâ, contingat, quòd aliquis probus homo inebrietur ex fortitudine vini, vel aliô casu fortuitô, & nunquàm aliàs còntigit ei: creditur, quòd in antea cavebit, si fuerit secretò correctus. In talibus servandus est ordo correctionis, & peccaret, qui hoc indicaret alijs, non præmissâ admonitione, quia nullus fructus sequeretur ex tali indicatione, & infamaretur delinquens sine causâ, cùm per secretam correctionem provideri possit sufficienter omni periculo. Aliquando verò contingit propter aliquas circunstantias, quòd creditur probabiliter, quòd

per hujuſmodi ſecretam correctionem, non ſufficienter provideretur ſaluti delinquentis, vel ſtatui religionis ſuæ, & tunc poteſt omitti hujuſmodi correctio ſecreta, quia non ſperatur de fructu, & poteſt, & debet indicari factum prælato, vel aliis bonis, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe. Vel etiam de eorum conſiliô poteſt fieri proclamatio in capitulô: ſi tamen poteſt culpa probari. Aliquando verò contingit, quòd creditur, quòd delinquens eſt tantæ perverſitatis, quòd, ſi corrigeretur ſecretò, incurreret odium erga corrigentem, vel mala machinaretur contra eum: Vel ex hôc dabit operam ad defendendam, vel coöperiendam malitiam ſuam: Et tunc non ſolùm non debet fieri talis correctio, immò debet non fieri: quia extremæ eſt dementiæ ſecundùm Hjero. Fruſtra niti, & nihil aliud, quàm odium quærere; ſed tamen prælato, vel alijs bonis prælatis, ſecundùm modum prædictum, eſt indicandum. ¶ Ad quæſtionem ergò propoſitam diſtingue ſic: Quia culpa, vel eſt manifeſta, vel occulta: In primô caſu non requiritur, quòd fiat ſecreta correctio: nec Dominus intellexit de talibus, cùm dixit: Si peccaverit in te frater tuus, cùm dicat Glo. id eſt: te ſolô ſciente. In ſecundô caſu iterum diſtingue: quia culpa occulta aut eſt de minimis, aut de majoribus, quæ habent infamiam ſecum. In primô

nô casu non requiritur etiam admonitio secreta. In secundô casu iterum distingue : quia aut præsumitur, quòd profit correctio secreta: & tunc non potest sine peccatô dimitti : Aut non præsumitur, & hoc iterum dupliciter , vel quia præsumitur, quòd non profit sufficienter , & tamen non est occasio mali. Et tunc potest , & dimitti , & fieri. Vel præsumitur , quòd sit occasio mali , & tunc potest , & debet dimitti. Ad illud, quod in contrarium dictum est , quòd denuntiationem præcedere debet charitativa admonitio. Dicendum est, quòd, licèt verum sit in genere ; tamen habet exceptiones in casibus, sicut , & aliæ multæ regulæ generales , quia præcepta affirmativa non obligant in omni casu ; sed in casu opportunô. ¶ Item dubitatur de hôc , quod dicit, quòd post admonitionem , si invenitur iterum fratrê delinquere , debet judicari. Videtur enim, quòd non solùm una admonitio ; sed plures essent faciendæ: sicut fiunt in citationibus judicum, & in vitatione hæretici, qui post primam , & secundam correctionem , id est , binam admonitionem , vitandus est ; sicut dicitur 1. Timo. 3. in Glosa. Ad quod dici potest, quòd antequàm pœna inferatur judiciaria , vel vitetur hæreticus, quod est pœnale , plures debent præcedere admonitiones : eò quòd pœnæ sunt molliendæ , & non debent inferri sine causâ valdè justâ, & certâ;

Indicatio verò culpæ fraternæ, illis, qui possunt prodesse, non fit ad pœnam; sed propter medicinam: Unde sicut medicus, qui vult subvenire infirmo, & probavit, quòd una medicina non prodest ei: statim recurrit ad aliam: Ita postquàm probatum est, quòd secretæ admonitionis medicina non prodest: potest recurrere ad medicinam indicationis.

Cap. XCI.

CIrca secundum notandum est, quod dicit, quòd pro vulneratò, scilicet in mente, habendus est, qui post admonitionem semel factam, incidit iterum in petulantiam oculorum. Ex quò relinquitur argumentum, quòd valdè mala suspicio habenda est de illis, qui post admonitiones frequentes, nolunt se corrigere de notabili familiaritate cum mulieribus. Nec mirum: Familiaritas enim hujusmodi valdè periculosa est viro, quamtumcumque perfecto, sicut probatum est per multas experientias: Augusti. in lib. de singularitate clericorum: Quanti, & quales clerici, Episcopi simul, & laici, post magnalia, & signa, & mirabilia, naufragari noscuntur, cùm volunt in navi frágili navigare, hoc est in carne fragili, se exponere periculoso consortio mulierum? Et post:

post : De carbonibus scintillæ disiliunt : de ferrô rubigo nutritur : morbos àspides sibilant, & mulier fundit concupiscentię pestilentiam. Quam Salomon sic comparat dicens : De vestimentis procedit tinea, & à mulere iniquitas viri. Præterea, & si esset homo sanctus de se securus ; tamen debet timere, nè mulier, quę est res fragilis, de facili, malè circa ipsum afficiatur in eôdem. Postremò, & si animum nostrum confidimus, in hôc semper in charitate durare : vel illa apud eos debet esse suspicio, nè illę, quæ nobis non conveniunt, & in nos ipsos forsitan moveantur, aut incitamentis furialibus stimulentur. Prętęrea, & si non esset reale periculum: certum tamen est, quòd per hujusmodi familiaritatem, status sanctitatis infamiâ maculatur, quod quàm grave sit, ostendit idem Augustinus in eôdem dicens : Pejus est, quàm mœchia, continentiam ducere criminosam, & infâmen ducere sanctimoniam, blasphemiam ingerere religioni. Et post : Continentiæ bonum frustra intrinsecus laboriosô agone custodit, qui forinsecus ôfficia, & infâmat. Et ideo dicit Apostolus Ro. 14. Nè blasphemetur bonum vestrum. Cùm igitur ex hujusmodi familiaritate sęquatur periculum proprium, & alterius, & tam gravis infamatiô sanctitatis : qualis præsumptio potest haberi, de his, qui, & ista sciunt, & tamen nunquàm volunt

lunt se corrigere super istis ? Veruntamen est timendum , & eis, & alijs, nè intrinsecus libidine sint infecti , quamvis mulieribus non utantur: sicut avarus cupiditate ligatur , cùm pecuniam à se separari pati non potest, quamvis eâdem non utatur. Idem in eôdem: Habent multas divitias, quas suis usibus negant; sed pro cupiditate conservant , quibus àmodò perfruantur, & si in usu non tangantur. Ita , & si qui despexit vinculum nuptiarum , & aliter vinculis fœmineis alligatur: quamvis nullô concubitu misceatur ; desideriô tamen , & visu , & colloquiô oblectatur. Amplius ad idem : Minorum est exempla sequi majorum. Cùm ergò viri perfecti , & securi inhærent familiaritatibus prædictis, dant occasionem minoribus idem faciendi , qui, cùm sint infirmi, de facili corruunt in istis, & pereunt aliorum exemplô. Idem in eôdem : Quale præmium sanctitatis expectat , qui pernicioſum prębet exemplar , ut infirmi sub prętextu dilectionis subtiliter fornicentur , & pudicus impudicissimę castitatis prębeat magisterium : destruens , quod Apostolus cominatur ? Peribit , inquit , frater infirmus in tua conscientiâ, propter quem Christus passus est ? Et post : Eleàzarus maluit vitam suam tormentis adjicere , quàm cuique magister perditionis existere : & nos ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis, nolumus anteponere fratres sal-

salvandos. Item ex hôc gravis turbatio generatur socijs: quorum pax esset summô studiô servanda. Virorum enim sanctorum est zelare non solùm pro castitate statûs sui; sed etiam pro pulchritudine castitatis, quæ òritur ex eâ, juxta illud Sap. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, scilicèt famę. Et ideo, cùm videat offuscari eam: non potest non turbari: 1. Mach. 2. dicit Mathathias: Et ecce pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est. Et super offuscatione pulchritudinis, & claritatis corporalis ipse, & filij planxerunt valdè. Quantò datur major occasio doloris viris sanctis, cùm pulchritudo sanctimoniæ spiritualis offuscatur? Item prælati, in quibus Deus, vel audìtur, vel spèrnitur secundùm evangelium, solent frequenter ab hujusmodi familiaritate subditos coërcere: Et ideo qui se non corrigit, non potest de inobedientiæ malô erga Deum, & suos ministros se excusare: August. in côdem: Possunt parentes: possunt filij: possunt fratres, & ipsi (quod plus est) à Deô concessa sibi naturæ vincula dirùmpere. Et clerici, Deô non concedente, immò insuper prohibente, mulièrum nexibus compeditam non volunt recusare charitatem. Qualis ergò præsumptio in bonum de his haberi potest, quos nec ruinæ infirmorum; nec turbatio sociorum: nec voluntas majorum retrahere potest à

fami-

familiaritate prędictâ ? Sanè solent aliqui se super hôc excusare. Et hoc tripliciter. Primò pro utilitate, dicentes, quòd hoc faciunt propter aliquam utilitatem temporalem, quæ ex hôc òbvenit. Ad quod respondet August. in côdem dicens : Si fœmina utilior existimatur, non oportebat carnalia emolimenta præpònere utilitatibus spiritualium commodorum. Secundò pro charitate, dicentes: quòd quicquid circa hoc faciunt : ex charitate propter salutem earum. Ad quod idem in eôdem respondet di. O dilectio, quæ sibi invidet ! O charitas, quæ cupit se in vituperatione laudari! Grande miraculum, ut Virginum castitas virgines faciat velut cònjuges ardère. Tertiò sanctorum exempla : Aug. in eôdem : Sed ajunt : Si de conjunctione, scilicèt cum mulieribus clerici notantur : notandi sunt, & sancti Plerique nobiscum: sive Helías, qui mansit apud viduam : sive Apostoli, qui mulières secum còmites circunducebant : aut Joannes, qui matrem Domini assumpsit, Dominô delegante : aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabant mulières aliquę religiosę: cui etiã Martha ministrabat ad mensam. Et qui singulariter locutus est ad puteum sedens cum muliere alienigenâ Samaritanâ. Vel cui recũbenti fœmina pedes lavit lachrymis. Ad quod respondet Augusti. in eôdem dicens: Sic callidi argumentatores, & jurisperiti fallaces volunt prævarica-

ricari, ipsa jura transvertunt, & inconvenientibus exemplis, velut similes conjecturas objiciunt, qui per Salomonem ipsius legis sagacitate produntur. Peccator, inquit, homo vitabit correctionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationé. Patet autem eos fraudulenter jura abjicere quatuor modis: Primò, quia faciunt argumentum à majori affirmativè, quod non valet, sicut enim non valet hoc argumentum: Ille miles fortis subijt tale certamem, & vicit, ergò iste debilis pôt hoc idem facere, & vincet: Ita non valet: Apostoli, & Prophetæ habitaverunt cum mulieribus, & evaserunt sine peccatô, ergò, & nos propter hoc idem possumus facere. Unde idem in eôdem deridet dicens: Revera homines magni, qui se còmparant Sanctis, & eximia conversatio vestra sit, quę prophetis, vel Apostolis videatur æqualis. Secũdò, quia si in hôc imitandos dicunt sanctos, & imitari volunt, deberent eos, & in álijs virtuosis operibus imitari, quod tamen nolunt. Idem in eôdem: Ad occasionem luxuriæ nostrę, in perversum sanctos vòlumus imitari, & in cæteros actus vestigia imitari nòlumus. In omnibus (dicit Apostolus) commendantes nos sicut Dei ministros, in sustentatione multâ: in pressuris: in tribulatione &c. Ad has imitationes infirmi sumus, & ad deducendas mulieres possibilitatem nobis imitationis ascribimus. Tertiò, quia nó est in nobis èadem causa, quæ fuit in sanctis. Dominus

minus enim prævidens, quòd erant futuri hæretici, qui, & nuptias condemnarent, noluit mulieres à se, & ab Apostolis omninò repellere, nè ex hôc error iste confirmaretur. Idem in eôdem: Prævidebantur à Dominô, qui nuptias auferrent: quibus jam tunc per introductas auctoritates prodebatur, nè maritatæ mulieres accedere verarentur ad Christum, cui in præsentiâ servirent. Quartò, quia permissa familiaritas ad horam, & ex causâ fuit valdè moderata. Idem in eôdem: Sed non sine moderamine fuit illa permissio. Num si allocutus est Dominus Samaritanam, ad horam docuit, & recessit. Et factum est (inquit evangelista) post hoc, & iter ipse faciebat per castella, & civitates, evangelizans Dei regnum. Et duodecim cum illô, & mulieres, quæ erant curatæ à spiritibus immundis, & infirmitatibus: Maria quæ vocabatur Magdalenæ, de quâ ejecerat septem dæmonia: Et Joanna uxor Cuzæ procuratoris Hærodis, & Susanna, & aliæ multæ, quę ministrabant illi, de facultatibus suis. Nunquid adhærebant singularibus singulares, aut indisciplinatę commorationes perseverabant, illecebrosè conversantes, ubi tota Ecclesia propèmodum videbatur? Et post: Ut de Apostolis breviter probem, quantum illis potuit fluxa familiaritas displicere, qui compulsi sunt, & de ipsô Dominô loquente cum fœ-

fœminâ dubitare, nisi eos majestatis notitia probata compesceret? Et mirabantur, inquit, quòd cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: quid quæris, aut quid lòqueris cum illâ? Quid autem loquar accessum fœminę ad pedes Domini provolutæ, cujus luctus, & planctus, ad defensionem sue lachrymæ non erubescant improbi flagitare? Et post: Joannes autem matrem Domini suscepisse videtur; sed matris ejus mores maternum indicat nomen. Helias verò missus est à Dominô, relinquere solitudinem, & ingredi tabernaculum viduę, ad magnalia facienda: ut famis tempore, tam ipsi viduæ, quàm pupillis ejus sufficientia tribùeret alimenta: qui jejunijs usquequaque afflictus toleraverat abstinentiam. Qualis illic fuit communitatis affectus, ubi non erat virtus, & qualem ad viduam habuerit introìtum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es, qui te vis de commemoratione viduę, & Heliæ vocari discipulum, priùs solitudines, afflictiones, & quadraginta dierum tòlera jejunia. Ex his ergò patet, quòd nec utilitas temporalis, nec charitas spiritualis, nec exempla sanctorum hos excùsat; sed allegationes hujusmodi reputandæ sunt excusationes ad excusandum in peccatis. ¶ Postremò notandum quantô zelô moveatur idem vir sanctus contra tales familiaritates inseparabiles. Ostendit enim

eorum ſtultitiam talem, ſicut eſſet illius, qui unam febrem haberet, & aliam ſibi procuraret, ut haberet duas, dicens: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: habes carnem tuam, quam ſuperes ſemper: quid tibi vis aliam adducere? Nemo ſuper unam febrem cupit habere pejorem, nè incipiat omitricè inſanabili laborare. Item oſtendit fraudes diaboli circa tales multiplices, dicens: Diabolus his nititur blandimentis: ut ſubtractis omnibus jaculis concupiſcentiæ: tam diu ſopitum ignem ſine ullis flammis occulteret: donec duas faculas jungens, ſimul ambas accendat: Et tam diu ceſſat ſævitiæ ſuę tela ſuppone-re: donec ſicut perītus venator, quos occiſurus eſt, laquei ſui vinculis alliget. Item dicit: Nullis procellis diabolus inquierat, & hanc exhibet lenitatem, ut duas naves connectat ad invicem quietè, quod, cùm fecerit, junctas repentinis turbinibus in ſemetipſis elidere poſsit, & pèrdere. Ité prefert iſtis quoſdam ſæculares cònjuges dicens: Adhuc habet quid mirari: cùm de Chriſtianis videam pleroſque; maritos pariter, & uxores continentiam voventes, domicilia ſingularia eligere, & apud ſpadònes noſtros fœminę cohabitatio nunquàm poteſt habere faſtidium. Item prefert iſtis Judæos dicens: Judæos conſiderent uſque hodie, pro legis imperiò, carnis ſuæ partem circuncisione truncare, & ſciant quid mereantur, qui evangeliò

gelio jubente, dissimulant circuncisi mulierum præsentiâ, peragere Domini voluntatem. Item præfert istis sacerdotes idolorum, qui ob reverentiam suorum simulacrorum eunuchantur voluntariè, dicens Puto, quòd, & de gallis suis nobis exprobrantur. Insultent, qui abscindentes semetipsos libenter excruciant, dummodò simulacrorũ dissimulationes pereant. Clerici verò pro dignitate sacerdotij cœlestis, non fundunt sanguinem, non ferrum tolerant, non est aliquod vulnus, non est aliquis cruciatus; sed solùm contra Dominum fœminæ tenet aspectus. Item inducit contra istos amorem Christi ad Ecclesiam dicens: Ausus sum: dicere, à Deo patre missus est filius, de sinu patris, ut ecclesiam faceret innocentem: & clericus fœminæ latus deserere non potest, nè Christi Ecclesiam reddat infâmem. Item inducit contra istos fragilitatem propriam dicens: Unusquisque, qui securus est, quia necdum tentatur: timeat, nè tentetur: quia nihil de illo dicitur, prospiciat, nè dicatur. Patet ex his, quàm mala præsumptio potest haberi de talibus, contra quos vir sanctus tantâ detestatione invehitur. Procul dubiò falsa est dilectio, non vera charitas, quæ sic jungit. Unde idem in eôdem: Malum velamentò boni nominis tegunt. Unde apud eos falsâ dilectione vera dilectio violatur. Sed, exclamat charitas, & appellat: Tales ego non junxi: altera est, quæ me simulandò conjunxit, nunquàm,

fluxus foveo, per me sanctitas non potest culpari. Patet ex jam dictis, quàm malam præsumptionem generant, qui tam inseparabiliter adhærent familiaritatibus notabilibus mulierum.

Cap. XCII.

CIrca tertium notandum, quòd sunt quidam, qui ex aliquâ malâ commotione interdum accusant fratres suos non ad sanandum; sed ad confundendum: hujusmodi accusatio est diabolica. Ipse enim diabolus dicitur accusator fratrum Apo. 12. Et constat, quòd non accusat ad sanandum; sed ad perdendum. Sic isti sunt, qui vulneratis addunt vulnera, secundùm illud Job 13. Concidit me vulnere super vulnus: Psal. Et super dolorẽ vulnerũ meorũ addiderunt. Isti sunt sicut medici proditores, qui sub specie medicinæ ministrant venenum, quia sub specie correctionis, quæ debet esse medicinalis, intendunt hominem confundere. Et decies, inquit Job 19. confunditis me, loquens illis, qui sub specie amicitiæ, & correctionis hoc faciebant. Item isti sunt sicut quædam bestiæ crudeles, quæ extrahunt cadavera hominum de sepulcris, & in eâ desæviunt: Sic & isti vadunt scrutandô multa mala, & producentes ea in lucẽ, desæviunt in illos, quos peccatum occidit. Et ideo vertunt religionem, quę est hæreditas domini, in spe-

ſpeluncam: Hjerc. 12. Facta eſt hæreditas mea mihi, quaſi Leo in ſilvâ: Glo. 70. Nunquid ſpelunca hienæ hereditas mea mihi? Hiena nocturna beſtia mortuorum devorat cadavera, & de ſepulchris effodit corpora. Iſti tanquam ſpiritu malô exagitati non ſolent ſervare modum in accuſandô: modò occulta indebite publicadô: modò ſuſpiciones aſſequendô: modò falſa imponendô: modò clamoribus totũ capitulũ replendô: modò diſciplinã traditã in accuſadô penitus dimittendô, & hujuſmodi multa cõmittendô. Et ideo faciunt capitulũ omnibus odioſum: Amos 5. Qui convertitis judicium in abſinthium. Quod quidem fit, cùm capitulũ, quod eſt locus judicij, redditur odioſum propter amaritudines ibidem injuſtè oppreſſorum. Iſti interdũ deſæviunt in peccatores jam compunctos, & mortificatos per pœnitentiam: Et ſunt in crudelitate ſimiles illi, qui Chriſtum jam mortuum lanceavit: Pſal. Non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Porrò ex his peſtiferis accuſationibus, ſolent tria mala ſequi, ſcilicet: Malum in accuſatô. Quandoquè enim incurrit in gravem turbationem: Gen. 37. Joſeph accuſavit fratres ſuos apud patrem ſuum crimine peſsimô. Et poſtea ſecutum eſt tantum odium fratrum ad eum, quòd eum vendiderunt: Nunquid nos meliores ſumus illis patriarchis, quibus

illa accusatio fuit primaria occasio tanti mali? Tec malum in accusante: Solet enim Deus se habere ad hominem, sicut ipse se habet ad fratrem suum: secundùm illud: Nolite judicare, & non judicabimini. Dimittite, & dimittetur, & similia: Et ideò, Deô faciente, accidit interdum, ut qui sic intendit fratrem corrigere, & confundere, quòd & ipse confundatur in similibus. Exemplum in Vitis patrum: Frater interrogavit senem: Si videro culpam fratris mei, bonum est celare eã? Dicit ei Senex: Quâcumq; horâ tegimus peccatum fratris nostri, teget & Deus nostrum: Et quâcumq; horâ prodiderimus culpam fratrum, & Deus prodet nostram similiter. Item malum in assistentibus, qui ex hôc scandalizantur, & moventur contra sic accusantes. Dicunt Evangelistæ, quòd Pilatus videns malitiam Judæorum accusantium Christum coram se: eos reputavit invidos: & ipse compatiens nitebatur eum liberare. Dicitur iterum Daniel. 25. quòd Judæi non permittebant aliquem Judæum coram se lacerari verberibus, quantum meruisset. Quômodò ergò viscera Christiana pòterunt se continere, quin moveantur contra illos, qui, & Christiani sunt, & tamen coram ipsis accusationibus innumeris fratrem suum lacerant christianum? Proinde virorum sanctorum est, nunquam indicare culpam fratris illis, qui non possunt prodesse: nisi ad hoc ut juvent: Sicut infirmitas infirmi solet osten-

di

di medico, ad hoc ut juvet. Unde & sorores Lazari: sic indicaverunt infirmitatem fratris sui bono medico, qui eum poterat juvare: dicentes Joan. 11. Domine quem amas infirmatur. Et ideò benè dicit vir Sanctus: (sanandum prodat) quasi dicat ad hoc prodat, ut sanetur, & non ad aliud. ¶ Circa quartum videtur, quòd malè dicat, cùm dicit: (quòd indicet culpam fratris iterum delinquentis, quicumque potùerit hoc invenire.) Potest enim hoc invenire aliquis, qui non correxit eum aliàs, & talis videtur, quòd debeat in secretò corrigere, priusquam indicet, secundùm supradicta. Præterea, quid faciendum illi, qui invenit hujusmodi culpam, & numquàm correxit fratrem super hôc: scit tamen fuisse correctum ab aliô? Respondeo: Ille, qui nunquàm correxit fratrem, nec scit ab aliô correctum, debet corrigere secretò, antequam procedat ad indicationem. Nec de tali lòquitur hic; sed de illô, quem correxit, vel scit correctum. Quod patet ex ipsâ litterâ, quæ dicit: Si, post ad monitionem, idipsum facere eum videritis:) Et est idem, sive ipse, qui invenit, ipsum monuerit, sive sciat monitum ab aliô, quia èadem est conjectura de vulneratione. Sed quid est, quòd dicit: (potùerit invenire?) Nunquid debet frater esse solicitus de indagandâ culpâ fratris? Respon. Est quædam solicitudo suspicationis: & hæc non est bonarum mentium. Est alia compassionis sicut

quan-

quando aliquis videt aliquem infirmum convaluisse, ex compassione plus cogitat aliquando, si forte pátitur aliqd recidivi, quàm cogitat de illo, qui nunquàm fuit infirmus, & hæc est charitas. Et ita, quãdo aliquis scit fratrem suum quandoq; peccasse: ex charitate potest plus circa illum esse solicitus, nè relavatur, quàm circa alium, quem nescit sic peccasse. Et sic ad religiosum pertinet, quando advertit fratrem suum infirmum, indicare, ad hoc, ut subveniatur ei, ita & hîc (quicunq; talem invenit, debet indicare.)

Cap. XCIII.

PRius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, ut duorum, vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coërceri.

¶ Datô mandatô circa peccata indicanda: tradit mandata circa convicenda: & Primò circa quædam antecedentia ad convictionem: Secundò circa ipsam convictionem, ibi: (si autem negaverit.) Antecedentia verò sunt duo. Unum est procuratio testium: Aliud charitativa admonitio coram solô prælatô, circa quod tradit mandatum ibi: (sed autequàm alijs demonstretur.) Circa procurationem testium: Primò tradit mandatum circa modũ procurandi: Secundò circa retractivum ab hujusmodi, ibi: (nec vos judicetis esse &c.) Dicit ergò: (Prius tamen &c.) quasi dicat: Quamvis man-

mandatum sit, quòd post ad monitionem fiat indicatio de peccatô inventô, tamen, quia aliqui solent interdum negare culpam suam priùs quàm judicentur) coram alijs publicè ostendatur culpa delinquentis, cùm tamen intimaverit alteri, vel tertio: ut duorum, scilicèt sui, & alterius: quando uni soli ostenditur, vel trium, scilicèt sui, & aliorum duorum: quando tertio demonstratur, possit ore convinci: secundùm illud: Ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum: Mat. 18. Et competenti, secundùm exigentiam culpæ, & aggravationem negationis, severitate coërceri, qui noluit per charitativam admonitionem còrrigi.

Cap. XCIV.

SEd quæritur hîc circa accusationes, quas faciùt religiosi in suis capitulis, ad quas pertinet præsens mandatum, Primò: Utrum liceat accusare sine teste? Ad quòd dicitur, quòd in illis casibus, quibus non requiritur præsens admonitio, secundùm distinctionem prædictam: nec requiritur solemnitas testimonij, quia non habent infamiâ hujusmodi, & periret fructus accusationum hujusmodi, propter difficultatem quærendi testes in talibus: nec de talibus lòquitur hîc: sed solùm de illis, in quibus præcessit admonitio, sicut patet in litterâ. ¶ Secundò quæritur: Utrum unicus testis sufficiat

ſic accuſanti ? Et videtur, quòd ſic, propter illud, quod dicit (alteri) In iſtô enim caſu non habet accuſans niſi unum teſtem. Contrarium verò videtur per evangelium, quod dicit: Non in ore unius, ſed duorum, vel trium ſtet omne verbum: ergò verbũ Evangelij ſic debet ſtare. Ad hoc dicitur: quando àgitur de peccatô per modum denuntiationis ad pœnitentiam: ſufficit unicus teſtis cum denuntiante, quia denuntians habetur in iſtô caſu pro primô teſte, cò quòd àgitur Dei negotium, cujus ſunt teſtes uterque. Ita, & verbũ Evangelij ſervatur, quia duo ſunt teſtes in hôc factô. Cùm verò àgitur de peccatô per modum accuſationis, eô quòd accuſans agit proprium negotium, indiget duobus teſtibus alijs: in proclamationibus ergò religioſorum in capitulis ſufficit cum proclamante unicus teſtis, eò quòd hujuſmodi proclamationes denuntiationes reputantur, & non accuſationes ſecundũ jura. ¶ Tertiò quæritur: Quid faciendum ſit in delictis, quæ non corriguntur, nec tamen iterantur, quia ibi non poteſt fieri, quod dicit Auguſt. videlicèt: ut demonſtretur alteri, cùm illud non iterum committatur. Verbi gratiâ: Aliquis eſt furatus aliquid, frater ſciens hoc, correxit eum ſecretò, poſtea non iterat furtum; tamen non reddit ablatum, & poſſet reddere? ℟. Si corrector aliquem conſcium habet primi facti, vel aliquos, debet procedere, ſicut hîc dicitur. Si autem non habet, vel ipſi, quos habet, no-

nolunt testificari, ei sufficit admonitio secreta primò, & postea dicere prælato, vel prudentibus, qui possunt prodesse, & non obesse. Ita tamen, quòd dicat prælato illum, vel illos, qui possunt testificari, ut eos compellat ad testimonium, si nolùerint. Quod si fecerit, procedat, ut hîc dicitur. Si autẽ nolúerit corrigere, vel ipsi nolùerint obedire, liberatus est ab hujusmodi processu, propter defectum testium. ¶ Quartò quæritur: Quid faciendum sit in factô iterabili, quod iteratur; sed non invenit, qui velit cum eô explorare, vel explorantes nequeunt deprehendere culpam? R. In primô casu debet recùrrere ad prælatum, ut aliquos ad hoc compellat: Quod si nolùerit, vel factum deprehendi nequièrit, liberatus est, ut in casu præcedenti. ¶ Quintò quæritur: Utrum quilibet teneatur procedere usq; ad hujusmodi accusationem, cùm potest: cùm hoc videatur nimis laboriosum? R. Cùm omnes teneamur pro salute fratrum animas ponere, multò magis, & ad hoc tenemur: Unde Dominus non solùm dicit de correctione secretâ faciendâ; sed etiam addit de testibus adhibendis, & de dicendô Ecclesiæ Matth. 18. Militans verò sub regulâ Augustini, nô solùm ratione Evangelij; sed etiam ratione regulæ plus tenetur. Sunt tamen casus, in quibus absolvitur ab hujusmodi tentione, ad quam in genere tenetur regulariter. Unus est, quando non est spes de fructu, vel propter defectum judicis, vel assis-

sten-

ſtentium, vel propter malitiam corrigendi. Alius eſt, quando prælatus, & alij communiter ſciunt culpàm corrigendi, extra forum confeſsionis. Alius eſt, quando aliquis vacat melioribus, vel æquè bonis, quæ impediunt eum ab hôc factô proſequendô. Alius eſt, quando per alium fit negotium ſufficienter. Alius eſt, quando obedientia trahit eum ad alia: & alij fortè plures. Niſi ergò propter caſum aliquem rationabilem excuſetur frater: quilibet tenetur ad prædictum proceſſum, & pro locô, & tempore, & opportunitate ſervandâ, poſtquam admonitiones ſecretæ non proſunt. ¶ Sextò quæritur, quid ſit faciendum, cùm non poſſunt inveniri teſtes, niſi tales, de quibus creditur, quòd ſi oſtenditur eis, òberunt inſultandô delinquenti, & ſimilia faciendô? Item quæritur: quando judex, & aſſiſtentes creduntur eſſe tales, quòd idem àccidet? ℟. Quatuor poſſunt eſſe hujuſmodi teſtium procurandorum differentiæ. Poſſunt enim eſſe tales, quòd creditur probabiliter, quòd nec pròderunt, nec òberunt: aut tales, qui òberunt, & non pròderunt: aut tales, qui ad aliquid pròderunt, & ad aliquid òberunt. In primô caſu poteſt ſuperſederi. In ſecundô debet ſuperſederi. In tertiô eſt procedendum omninò. In quartô eſt diſtinguendum, comparandô nocumentum cum utilitate. Si enim major eſt utilitas, quàm damnum, eſt procedendum: Si econtrariô: non eſt procedendum. Verbi gratiâ:

Si

Si ex indicatione culpæ mortalis ista corrigitur, & non confunditur, nisi inter fratres suos: major est utilitas, quàm damnum: & est procedendum. Si autem corrigitur; sed totus conventus infamatur in aliquâ magnâ civitate, majus est quò ad bonum cómune, nocumentum, quàm utilitas, & non est procedendum. Idem autem, quod dicitur de testibus, dici potest de judice, & assistentibus. ¶ Ultimò notandum, quòd de accusationibus istis sequuntur fructus ijdem, qui supra notati sunt circa fraternam admonitionem: Et prœter illos fructus multa sunt, quę debent ad hoc inducere. Qui enim sciunt culpas, & per accusationes possunt corrigere, & non faciunt, reputantur consentientes, secundùm decretalé, quæ illos consentientes interpretatur, qui, cùm possum resistere manifesto facinori, desinunt obviare. Et ideo dicit Augustinus infra: Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicandò corrigere potestis, tacendò perire permittitis. Item quando fit justitia de delictò convictò, boni redduntur cautiores ad cavendum similes Prover. 21. Mulctatò pestilente, sapiétior erit parvulus, scilicèt ad cavendum. Malorum etiam audacia reprimitur: Unde Eccles. 8. dicitur à contrarijs: Quia non citò profertur contra malos sententia, idcircò absque ullò timore filij hominum perpetrant mala. Patet ergò per hujusmodi, quòd accusationes utiles sunt proximis, & bonis, & malis,

quan-

quando manifesta correctio cedit ad utilitatem cõmunem: pro quâ debent viri charitatem habentes multum zelare, sicut homines mundi pro bonô cõmuni patriç, vel communitatis. Et idcó reprehendit Dominus per Ezechiẽ 33. hæc ommittentes dicens: Non ex adversô ascẽdistis, neque opposuistis vos murum pro domô Israë. Item Christus, qui in hoc apparuit, ut destruat opera diaboli, sicut dicitur Joan. 3. Petit in hôc auxilium contra malos dicens Psal. 93. Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Quòmodô ergò possunt se excusare ab infidelitate homines sui, qui viriliter se non accingunt ad pugnandum cum eô adversus peccatum, etiam usque ad sanguinem, si fuerit necesse, sicut, & ipse pugnavit? Et quantò magis usque ad proclamationem? Item dicitur de Moyse Exo. 22. quòd ipse cum filis Levi zelô Domini accensi contra peccatores, occiderunt unâ die quasi vigintitria millia. Numeri 4. Phineës eôdem zelô interfecit Israë. item virum concubantem cum Madianitide. David Psal. 100. In matutinô interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate omnes operantes iniquitatem. Judas Machabæus 1. Mach. 3. Persecutus est iniquos per scrutans eos, & eos, qui perturbabant populum suum, succendit. Quid ergò dicent, his consideratis exemplis, homines, qui usq; ad accusationem nolunt consurgere adversus pec-

ca-

catum ? Ubi est spiritus ille, qui in igne apparuit super discipulos, in signum zeli, secundùm Greg. quem habere deberent ? Item homines mundi infatigabiliter persequuntur in judiciô injurias suas, & suorum : Et heu nos secundùm Chrysostom. in injurijs Dei, patientes sumus. Quò contra Eccles. 4. Usque ad mortem, certa pro justitiâ. Si ergò nolumus involvi in reatu delinquentium : si proximorũ bonum vòlumus : si pro communi bonô zelamus: Si Christo fidelitatem servare vòlumus : si sanctorum exempla nos movent: si Christi injuriæ nos tãgunt: debemus pro locô, & tempore fratres proclamare in charitate pro correctione eorum.

Cap. XCV.

NEc vos judicetis esse malèvolos, quandò hoc indicatis; magìs quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicandô corrigere potestis, tacendô perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultare, dum timet secari, nonne crudeliter à te fleretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergò potiús debes manifestare, nè deteriús putrescat in corde?

¶ Aliqui retrahuntur interdum à fratrum proclamatione existimantes, quòd hoc non posset fieri sine peccatô : Et ideo post mandatum de modô pro

procurandi teſtes, tradit hîc mandatum circa retractivum ab hôc. In quô tria tangit. Primo dicit, quòd hujuſmodi indicatio non eſt aſcribenda malitiæ: Secundò oſtendit contrarium potiùs eſſe peccatum, dicens:(magis quippe &c.) Tertiò ponit hujus rationem dicens: (ſi enim frater tuus. &c.)

¶ *Circa primum notandum*, quòd triplex eſt timor, propter quem interdum retrahuntur aliqui à proclamationibus faciendis, ſcilicet: Timor offenſæ proximi: Timor proprij damni: Timor offenſæ Dei. Quidam enim retrahuntur quia timent turbare proclamatos,& hoc malum:quia ſalus eorum paci præferenda eſt. Et ideo dicitur Eccle. 4. Nè reverearis fratrem tuum in caſu ſuô: Nè retineas verbum in tempore ſalutis. Alij quia timent, nè aliquâ occaſione, obveniant ſibi aliqua mala in ſe vel in amicis ſuis, & iſti præferunt bona propria bonis Dei: Gre. Si ab increpatione idcircò reticemus, quia contra nos ſurgere odia formidamus: jam non ſurgere odia formidamus: jam non lucra Dei quærimus; ſed noſtra. Alij quia timent peccare,& hoc maximè in viris ſanctis ſolet accidere, quia trepidant frequenter timore, ubi non eſſet timendum: Solet autem eis hoc accidere interdum ex diaboli calliditate: Ipſe enim ſciens quantum bonum ſequitur in religione ex proclamationibus, & ſciens, quòd boni viri nullô modô deſiſ-

re-

terent ab hôc, quamdiu crederent illud esse bonum: suggerit eis, hoc procedere ex malitiâ: ut sic eos retrahat. Et est simile, quantum ad effectum, in Domini passione, quã potuit quam diabolus cognovit fructuosam esse mundo, sicut expositores narrant, voluit eam impedire sub specie boni, suggerens uxori Pilati, ut virum ab hôc retraheret: mãdandô illi quanta passa fuerat in nocte per visum propter eum. Interdum ex simplicitate: Sunt enim aliqui, qui propter simplicitatem, quandoq; quod bonum est, reputant esse malum, ut zelum justitiæ crudelitatem, & hujusmodi: quod non est laudabile in discipulis Domini, qui jubentur esse non solùm simplices, ut columbæ; sed, & prudentes, ut serpentes. Et ideo dicit Apostolus Rom. ult. Volo vos sapientes esse in bonô, scilicèt discernendô. Interdum ex magnâ bonitate, quę facit eos timere peccatum: Gre. Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ideſt timere, ubi culpa non est. Quamvis antẽ, ut dictum est, sit triplex timor retractivus à proclamationibus: tamẽ circa tertium potiùs tradit mandatum, quia ille subtiliùs potest decipere religiosos, quàm alij, qui clariùs apparent mali; ¶Et nota, quòd non dicit: nec vos timeatis; sed vos judicetis esse malevolos: quia boni possunt omnia bona sua vereri, & habere suspecta de aliquô malô, sicut Job. Et non apparet, quid judicent hoc diffidendô. Sed numquid potest hoc judicari ab illô, qui

qui scit se ex malitiâ accusare? ℟. Potest. Et hoc non interdicit; sed dicit, quòd ipsum simplex indicare, non debet judicari esse malum.

¶ *Circa secundum notandum*, quòd, sicut peccatur linguâ in loquendô: ita peccatur in eâ in tacendô, quia Eccles. 3. dicitur: Tempus loquendi, & tempus tacendi. Gre. Sicut mali Deum exâsperant, qui loquuntur, & faciunt mala: ita nonnunquam boni, qui tacent bona. Quod, ut ita sit, in casu propositô patet: Esaiæ 6. dicit. Esa. lamentandô: Veh mihi, quia tacui: Glo. quare? quia Oziam, & alios liberè non reprehendi. Item sancti de hôc sententiant valdè terribiliter: Gregorius: Qui proximi mala conspiciunt, & silentiô premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt: & eò mortis actores sunt, quò vulnus, quod curare poterant, nolunt. Augustinus: Tu vulnus fratris contemnis; Tu cum perire vides, & negligis: pejor es tacendô, quàm ille committendô. Item omnes magistri concordant, & docent, quòd currens est cum fure, qui scit furtum, & non indicat. Et eâdem ratione videtur particeps cujuslibet delicti, qui scit ipsum, & non indicat ad corrigendum. Gregorius: Qui enim dare potest, & negligit: participem proculdubiô se delicti constituit. Et iterû: Quæcumque loquendô corrigi possunt: silentium, consensum esse pertimescamus. Cùm ergò tantus propheta, super hujusmodi taciturnitate, tam gravi-

viter ſuper ſe lamentetur : cùm ſancti tam grave hoc judicent: cùm ſecundum omnes magiſtros, hoc reputetur conſenſus in delictis. Bene dicitur: (Innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicandò corrigere poteſtis, tacendò perire permittitis.) Et verè non ſunt tales innocentes. Nocent enim ſibi labia polluendò alienò delictò, ut non ſint digni Deū videre: Eſaię 6. Veh mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, ſcilicèt ex iſtâ taciturnitate: Gloſa: Quare? Quia Oziam, & alios non reprehendi liberè. Ideo cum Angelis Deum laudare non merui. Et timeo, nè dicatur mihi: Quare tu enarras juſtitias meas? Item nocent illi, qui eſt proclamandus. Et hoc duplicitèr: Primò exemplum ſubtrahendò: Auguſtinus in Epiſtolâ ad Hjer. Obſecrò te per manſuetudinem Chriſti, ſi læſi te, dimittas mihi: nec me viciſsim lædendò reddas pro malò malum. Lædis enim ſi tacùeris mihi errorem meum, quem in factis meis, vel dictis invèneris. Et iterum malum inferendò interpretativè: Greg. tot occìdimus, quot ad mortem ire, tepidi, & tacentes videmus. Item nocent ſocijs, qui eorum exemplò tacentes, idem peccatū taciturnitatis incurrunt. Mos enim eſt apud viros diſciplinatos, ſocios ſuos pro reverētiâ ſuperiores arbitrātes, quòd non incipiunt priùs loqui, ſecundùm conſilium ſapientis: qui Eccleſ. 32. inſtruit minorem, ut dicat majori: Loquere tu major natu: decet enim te primum

mum verbum, & nè impedias mùsicam, ideſt verba aliorum, tacendô, ſicut facit cantor, quãdo non incipit cantum. Quomodò ergô ſunt innocentes tales, qui ex taciturnitate tã graviter nocent, & ſibi, & fratri proclamando, & conſocijs ſuis? Verè nô ſunt innocentes, immò culpabiles valdè: Auguſti. in lib. de civ. Dei: Culpabile eſt, quòd hi, qui diſſimiliter vivunt, & à malorũ factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ objurgare deberent. Hoc autem non eſt verum, niſi quando indicatio prodeſt ad correctionem. Et ideo ſignanter dicit: quos indicandô corrigere poteſtis &c.)

Cap. XCVI.

CIrca tertium notandum, quòd peccatum dicitur vulnus ſecundũ illud, quod dicitur Luc. 10. De latronibus, qui homini deſcendenti de Hjeruſalèm in Hjericò impoſuerunt plagas, quod intelligitur de peccatis: Benè dicitur peccatum vulnus: quia vulnus debilitat, & peccatum ſimiliter. Unde Pſal. Cor meũ conturbatum eſt in me: ſcilicèt per peccatum. Et poſt: Dereliquit me virtus mea: ideſt fortitudo mea. Exemplum de Achâb, qui vulneratus fecit ſe educi de prælio, quaſi jam impotens ad pugnandum: 3. Regum ulti. Item vulnus infert dolorem: propter quod dicitur: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt: ita & peccatum:

Prop-

Propter quod peccata dolores dicuntur in Psal. Quia dolores inferni. &c. Eccles. 3. Cor nequâ gravabitur in doloribus. Tanta est enim Dei justitia, quòd numquam anima cum peccatò est sine gravamine: amaritudine, & angustiâ affligente. Item vulnus humiliat. Exemplum de Alexandrò, de quò dicitur, quòd percussus sagittâ dixit: Omnes vocant me filium Jovis; sed vulnus ostendit me esse hominem. Quot autem, & quanti post ruinam in peccatum, facti sunt humiliores; juxta illud Psal. Priusquam humiliarer, ego deliqui. Psal. Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum? Non solùm aũt est vulnus: immò vulnus valdè grave. Vulnus enim tantò gravius, quantò profundius: Tale autem est peccatum secundùm auctoritatem ecclesiæ dicentis: Peccata mea Domine, sicut sagittæ, infixa sunt in me, scilicèt quæ profundè pènetrãt, ita & peccatum usquè ad intima pènetrans. Et est tractum istud de Psal. ubi dicitur: Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Item vulnus tantò gravius est, quã tò in parte nobiliori, ut in corde, vel cèrebrò. Vulnus autem peccati omne est in animâ, quæ est nobilissima pars hominis: Bern. O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, hæres beatitudinis! Item vulnera tantò graviora sunt, quantò magis abscondita: talia autem sunt peccatorum vulnera: Gregor. in pastorale: Quis nesciat

occultiora vulnera esse cogitationum, quàm viscerum? Item ad gravitatem vulneris facit, cùm propter sanationẽ vulneris in membrô nobili, oportet facere vulnus in membrô nobiliori: ita est in casu propositô: In corpore enim mysticô Christi ipse Christus, qui est nobilissimum membrum, vulneratus est propter vulnera aliorum membrorum sananda: Esa. 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras. Ad quod attendendum hortatur Bern. dicens: O homo, quàm gravia sunt vulnera illa, pro quibus oportuit Christum Dominum vulnerari! Item ad idem facit, quòd non potest vulnus sanari, nisi per pretiosa, & insolita remedia, & ita est hîc: Bern. Filius Dei jubetur occidi, ut nostris vulneribus pretiosô illius sanguinis balsamô medeatur. Item: Ad idem facit, quòd non quilibet chirùrgicus; sed solùm pauciſsimi, & excellentes possunt subvenire vulnerato. Vulnerato enim per peccatũ qui possit subvenire, non est nisi unicus, scilicèt Deus: Eccles. 2. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non est sanitas, scilicèt, nisi à solô Deô, sicut dicitur in morbis desperatis: quia non potest homo sanari: & intelligitur, nisi à solô Deô, & non secundùm cursum naturæ, ab aliô. Cùm igitur peccatum sit vulnus, & gravius omni vulnere corporali: benè arguit à minori vir sanctus dicens: (Si enim frater tuus vulnus habet in corpore &c.) Et nota, quod dicit: (deterius putrescat in

cor-

corde) Sicut enim vulnus ſpirituale deterius eſt, quàm vulnus corporale: ita & putrefactio ejus eſt deterior. Dicitur autem hujuſmodi vulnus putreſcere, quando non ſanatur per correctionem: quia vulnus putreſcens corrumpit magis, & magis totum: ita & peccatum, quod non per pœnitentiam ſanatur, ſecundùm illud 1. Cor. 6. Modicum fermentum corrumpit totam maſſam. Item reddit fœtorẽ, ita & peccatum non poteſt diu eſſe in corde, quin aliquis fœtor eggrediatur: Grego. Sicut bonus odor ex virtute eſt: ſic fœtor ex vitiô. ¶ Item fit gravius quaſi inſanabile per putrefactionem: ita & peccatum tantò gravius eſt, quantò diutiùs dètinet animam infœlicem: ſicut dicit decretalis. Exemplum de his tribus habetur 2. Mach. 9. de Antiochô, qui, (ſicut dicitur ibi) ita fuit corruptus, quòd vermes ſcaturiebant de carne ſuâ: Ita fœtidus, quòd intolerabilis erat fœtor ejus: Ita percuſſus, quòd fuit plaga ejus inſanabilis. Mira ergò fatùitas eſt vulnerato ſic celare plagam. Propter quod dicit Pſal. Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Mira crudelitas: ſcire hujuſmodi vulnera, & non indicare ſananda. Propter quòd dicit Auguſtinus crudeliter hoc celari, & miſericorditer indicari.

Cap. XCVII.

SEd antequam alijs demonſtretur, per quos convincendus eſt, ſi negaverit: priùs præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: nè fortè poſsit ſecretiùs correctus, non innoteſcere cæteris.

¶ Tradita ſunt duo mandata prædicta circa teſtes procurandos, quod eſt unum præcedens convictionem. Hîc lòquitur de oſtenſione faciendâ prælato, quod eſt aliud antecedens ad idem. ¶ Et nota, quòd ſecundùm expoſitionem regulæ, ſenſus hujus clauſulæ eſt, quòd poſt admonitionem ſecretam, ſi admonitus non vult corrigi: debet fieri aliqua admonitio prælato, antequam procedatur ad convictionem coram multis: ut ſi fortè ſic frater corrigi volùerit, ſuperſedeatur à publicatione culpæ ejus coram multis. ¶ Sed quæritur: Quòmodò iſte ſenſus eliciatur ex litterâ, cũ potiùs contrarium videatur contineri: cùm hæc dictio, nè, includat in ſe negationem: & ita negatio iſta, cum ſequenti, ſcilicèt nõ innoteſcere, æquipollent uni affirmativæ: Et ita videatur reddere talem ſenſum, quòd ſecretiùs correctus poſsit innoteſcere cæteris? R. Hæc dictio, nè, eſt æquivoca: quia quandoque idem eſt, quod ut non, & ſic non poſset elici ſenſus prædictus ex litterâ, immò contrarius, ut dictum eſt. Quandoque idem eſt, quod ſi: 2. Timo. 2. Cum mo-

modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati, nè quando det illis Deus pœnitentiâ: Glo. nè quando, id est si aliquando, & ita accipitur hîc, ut sit sensus: (nè fortè possit) id est si fortè possit. Et huic sensui concordat quędam littera, quæ invenitur, cum unâ aliâ negatione. di. nèquando non possit. Et pro ista litterâ accipitur nè in primô sensu: Et iste sêsus (nè fortè non possit) id est, ut fortè possit. ¶ Circa istam ergò ostensionem tria tangit, scilicèt: Cui faciendа: quia prędato. Quô ordine: quia post admonitionem secretam, & neglectam: & ante procurationem extium: propter quod dicit: (si admonitus) scilicèt secretius (neglexerit corrîgi, & antequam alijs demonstretur per quos &c.) Quâ de causâ: videlicèt ut si voluerit adhuc secretô corrigi per prędatum, non publicetur alijs: Et hoc est (nè fortè possit &c.) Et nota circa primum, quòd illam secundam correctionem, quam dominus docet faciendam coram unô, vel duobus Math. 18. Augustinus hîc restringit in religiosis, qui sunt non plenè sui juris, ad prælatũ, tanquam ad illum, de quô potest magis prędumi, quòd possit prodesse, & non obesse. Triplex autem est utilitas, quę potest sperari ex ostensione hujusmodi factâ prælato: Utilitas scilicèt delinquentis: quia multę sunt causæ, quare potiùs debet prędati correctioni acquiescere, quàm alterius. Item utilitas prælati, cui expedit agnoscere vultum pècoris sui. Item utilitas indicã-

tis : quia per prælatum meliùs dirigi pòterit, quid sit ei ulterius faciendum. Notandum tamen, ut quibusdam videtur, quòd hujusmodi ostensio non est facienda prælato coram rcô, de re gravi, nè fortè reus agat injuriam contra denuntiantem, si illud non possit probare. ¶ Item nota circa secundum, quòd est facienda ostensio hujusmodi ante procurationem testium supradictam : ut habitô prælati consiliô, discretiùs procedatur ultra, si necesse fuerit in testibus procurandis. Item, ut procedi possit efficaciùs, auctoritate interveniente: vel etiam cõpellente ad testes habendos. Item, ut major charitas ostendatur, cùm tentatur si prælati solius correctio possit prodesse, antequam etiam testibus culpa publicetur. ¶ Item notandũ circa factum, quòd lædere alterum infamiâ, est valdè grave, scilicèt faciendô indebitè. Melius est enim nomen bonum, quàm divitiæ multæ : sicut dicitur Proverb. 22. Ex quô sequitur, quòd plus nocet, qui aufert famam, quàm qui aufert divitias multas. ¶ Præterea divitiæ ablatæ possunt restitui ; sed fama vix : quia fortè non crederetur illi, qui post læsionem vellet excusare. Potest etiam jam verbum delatum esse ad tot, quòd quasi impossibile esset, ad tot devenire excusationem : Et ideo benè dicitur in glosâ super Lucam : famam esse rem lùbricam : quia sicut aquâ æris lúbrica de facili effunditur, & quasi impossibile est eam recolligi: ita, & fama. ¶ Præterea

lædens famam alterius, non solùm illum lædit, cui detrahit, sicut fur illum solùm, cui furatur; sed omnes, quibus lòquitur. Sic ille, qui movet lutum, lædit per fœtorem omnes, corã quibus movet: Augustinus de verbis domini: Peccat in nos frater, si, nobis scientibus, peccat: quia quantum in eô est, nos in exemplô corrumpit. Ex quô patet, quòd audire peccatum alterius, nocivum est audienti. Propter hoc dicit Ambrosius: Tollerabiliores sunt fures, qui vestes, & alia bona nostra diripiunt: quàm, qui famam nostram làcerant. Et verè sic est: majus enim est, quod isti diripiunt: nec unquam direptũ restituunt, nec uni soli; sed multis nocent. Item dicit Apostolus 2. Tim. 4. Opus fac evangelistæ, quod est bonum nuntiare: Isti autem, qui infãmant semper mala nuntiant: ergò sunt contrarij evangelistis. ¶ Præterea super illud Luc. 3. Ad virginem desponsatam viro: dicit glosa: Maluit Dominus de suô ortu aliquos, quàm de matris pudore dubitare. Cùm ergò Christus tantum curaverit de famâ alienâ, nè sui occasione ortûs, qui fuit tantum beneficium, lęderetur: quantum sunt Christo contrarij, qui non curant diligenter cavere à læsione famæ alterius? Præterea lędere famam alterius est opus diabolicum: Grego. Habet hoc proprium hostis antiqui invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deô sibi resistente, superare non valet: opiniones eorũ dilàcerat. ¶ Patet ex his, quòd

lædere famam alienam est contrarium evangelistis, & contrarium Christo, & malitia diabolica. Et ideo quantum possibile est, salvâ justitiâ, cavendū est ab hujusmodi læsione. Et ideo dicit Augustinus: (si fortè posset secretiùs correctus non innotescere cæteris) ut scilicèt parcatur ejus famæ. ¶ Si verò quæratur: Utrum peccet, qui omissâ hujusmodi ostensione coram prælatô, procedit ad testes habendos? Potest dici, sicut dictum est supra de omissione correctionis fraternę secretâ in titulô de ordine fraternæ correctionis, quód in casibus aliquibus est malum, & in aliquibus est bonum, secundùm distinctionem ibi positam.

Cap. XCVIII.

SI autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alij, etiam coram omnibus, ut possit, non ab unô teste argui; sed á duobus, vel tribus convinci.

¶ Datis mandatis circa antecedentem admonitionem: tradit hîc mandata circa ipsam convictionem, & inuuntur quatuor in hôc mandatô, scilicèt: Quis convincendus, quia negans. Propter quod dicit: (Si negaverit) Item quando convincendus est: quia post negationem factam coram prelatô: Propter quod dicit: (tunc) idest post negationem. Et est intelligendum, quòd statim si habentur

tur testes conscij culpæ, vel post, quando non habentur statim, scilicèt: postquam fuerint procurari. Item coram quibus: quia etiam coram omnibus, nisi fortè videatur prælato, quòd coram pauciori-bus fiat: & ideo dicit:(etiam coram.) Et per quot: quia à plurib⁹. Et ideo dicit:(ut possit.) Non ab unô solô, scilicèt denuntiante argui; sed à duo-bus, vel tribus convinci. ¶ Et nota, quòd tria sunt quæ solent hominem retrâhere à malô. Primum est amor: propter quod volens Dominus retrâhere Judam à peccatô conceptô per hunc modum dixit ei: Amice ad quid venisti? Mat. 26. Secundum est pudor: propter quod dixit: Qui intingit mecum manum in paròpside, hic me tradet: ad ingerendũ hujusmodi pudorem retractivum in eôdem. Tertiũ est timor, propter quod dixit: Veh homini illi, per quem tradetur: In eôdem. Secundùm hæc tria, Augustinus tradit tria ad retrahendum à peccatô, scilicèt: correctionem secretam, quæ pertinet ad a-morem, & hoc quò ad primum: Correctionem coram prælatô, quæ habet pudorem, & hoc quó ad secundum: Convictionem in judiciô, quæ ha-bet timorem, & hoc quò ad tertium. Primum ubi dixit superiùs:(Admonete nè cępta progrediantur) Secundum ubi priús dixit:(præpositio debet ostendi.) Tertium hîc. Sunt autem multa, de quibus dubitatur circa istam materiam, quæ pertinent ad convincenda peccata fraterna in publicô coram

præ-

prelatô. Et primò videtur, quòd hoc nunquam liceat. Infamare enim fratrem coram unicô est semper malum, multò magis coram multitudine: Hoc autem fit, cùm in publicô culpa ejus nuntiatur, & convincitur. Præterea non sunt facienda mala, ut veniant bona: ergò, cùm infamare fratrem sit malũ, non est faciendum hoc, etiam propter correctionẽ illius, vel aliud qualecunque bonum illius. Præterea non licet lædere fratrem in temporalibus bonis suis propter bonum animæ illius: ergò, cùm major sit fama, quàm quodlibet bonum temporale: non licet lædere fratrem in famâ propter bonum illius spirituale. Contra verò est illud Mat. 18. dic ecclesiæ. Ex quô patet, quòd culpa fratris potest dici coram multitudine. ℟. Dicere malum fratris est malum in se, non secundùm se. Quantum enim de se, semper est malum; sed ex circunstantiâ potest esse bonum: sicut affligere proximum est in se malum: Sed si affligitur in carne proximus infirmus, ut sanetur, potest esse bonum: Ita dicere malum alicujus propter bonum aliquod potest esse bonum; sed quantum est de se semper est malum. Dicendũ est ergò, quòd infamare dupliciter dicitur, scilicèt: strictè, & largè. Strictè idem est, quod malum alterius recitare sine causâ bonâ, & sic semper est malum: Largè idem est, quod malum alterius publicare, quâcunque ex causâ fiat hoc, & hoc semper non est malum: quia si fiat ex causâ bonâ, potest esse

esse bonum: & si fiat pro salute illius: quia salus præponenda est famæ. ¶ Ad primum ergò dicendum, quòd, & coram unô, & coram multis potest aliquis infamari, secundùm acceptionem secundam, quando scilicèt, fit ex causâ bonâ. Ad secundum dicendum, quòd illa, quæ sunt mala secundùm se: ut furari, fornicari, nunquam sunt facienda propter aliquod bonum; sed illa, quæ sunt mala in se, non secundùm se (ut occidere) possunt fieri propter aliquod bonum, & tale est recitare proximi mala. Ad tertium dicendum, quòd læsio proximi in temporalibus, ut, cùm aliquis furatur, vel aufert ei bona sua, & hujusmodi, est malum secundùm se: Et ideo non licet illud facere propter aliquod bonũ proximi; sed recitare malum proximi non est malum secundùm se: Et ideo potest fieri propter bonam causam: sicut licet ostèndere infirmitatem infirmi, ut sanetur. ¶ Secundò quæritur: Utrum liceat proclamare de criminosis, cùm non possunt probari? & videtur, quòd sic. Licet enim talia dicere illis, qui possunt prodesse, & non obesse, etiam sine testibus; ergò si omnes de collegiô sunt tales: licet coram illis sic proclamare. ¶ Contra: Jura dicunt, quòd denuntians, qui non potest probare crimen denuntiatum, puniendus est, sicut dicitur extra de calum. Cùm dilectus: nullus autem puniendus est sine culpâ, ergò talis peccat. ℟. Concedendum est, quando fit in formâ juris. Ex quô patet solutio ad con-

contrarium. Quandò enim charitativè dicitur extra formam juris, potest dici aliquibus, qui possunt prodesse, & non obesse, etiam si sint multi. Sed non sequitur, quòd ideo possit dici coram multis in formâ judicij: quia gravius est àgere in jure contra aliquem, quàm charitativè monere, vel facere moneri. Tertiò quæritur: Si aliquis ex simplicitate bonô zelô motus proclamat de crimine, quod non potest probare, vel credebat, quòd probare poterat, & deficit in probatione, utrum sit puniendus, vel excusetur per decretalem prædictam, in quâ dicitur: quòd denuntians, qui non probavit crimen, suspendatur, donec canonicè probaverit innocentiam suam, quòd non animô calumniandi ad hujusmodi crimina processit proponenda? Ex quô relinquitur: quòd, qui non facit animô calumniandi, non videtur puniendus, & ita nec peccare videtur. Sed si hoc dicat, tunc videtur, quòd stulti, & simplices sint melioris conditionis, quàm sapientes: cùm ex stultâ simplicitate reportant commodum. R. Tales non excusantur à totô; sed à tantô, & puniendi sunt arbitriô judicis plus, vel minus secundùm quantitatem excessûs. Ex hôc autem quod dicit decretalis, quòd suspendatur donec probet suam innocentiam: nè sequitur, quòd nullô modô sit puniendus; sed tanta pœna sit relaxãda. Quartò quæritur: Utrum proclamante paratô probare crimen, quod denuntiat, judex possit inquire-

re

nè à denuntiatô ſuper injuriâ ante teſtium produ-ctionem, quòd reſpondeat: utrum ſit verum, quod ei imponitur, vel non? Si enim verum eſt, & reſpon dère cogatur: aut mentiri cogetur, aut ſe ipſum in-famare. Si autem non cogatur ad reſpondendum, quomodò producentur teſtes, qui non ſolent pro-duci ante negationem rei? Et hoc ipſum videtur Auguſtinus dicere in hôc mandatô, cùm dicit: (tunc neganti adhibendi ſunt etiam alij &c.) ℟. quòd ſi eſt denuntiatio ſimplex de peccatô, de quô nô pro-ceſsit infamia indùcens inquiſitionem, non eſt co-gendus denuntiatus ad reſpondendum de veritate: Neq; enim duriùs debet agere pater ſpiritualis cum ſubditô, quàm princeps ſacerdotum, vel Pilatus egerit cum Chriſtô. De quorum utrôque legitur: quòd, Chriſtô accuſatô coram ſe, neuter inquiſivit de veritate dicendâ. Sed princeps dixit Mat. 26. Nihil reſpondes ad ea, quę iſti adverſum te teſtifi-cantur? Pilatus verò dixit ibidem 27. Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Eſt autem ad hoc argumentum ex eô, quod dicunt juriſtæ, quòd quando proceditur cótra aliquem de crimi-ne per modum inquiſitionis, quam aliquis prômo-vet, non eſt imponendum juramentum de dicendâ veritate illi, contra quem eſt inquiſitio, nè ex hôc adverſarius inſtruatur: fortiori ratione, nec in iſtô caſu. Eadem autem eſt vis, quò ad Deum, in ju-ramentô, & in verbô ſimplici. Et ideo non eſt ſe-

cun-

cundùm Deum, quòd cogatur aliquis in hôc casu dicere, vel negare; sed potest dicere judex sic proclamando: Ecce vos auditis, quid dicitur de vobis, quid dicitis vos ad hæc? Et est relinquendum voluntati suæ, ut vel deneget, vel concedat, vel dicat: Non recognosco, quod dicitur, vel paratus sum audire probationem, & similia. Quod autem dicit Augustinus, quòd neganti adhibendi sunt testes, intelligi potest, quòd vocat negantem, non confitentem: & in istô casu sufficit hujusmodi negatio ad procedendum ad testes. Si verò quæratur, quare in processu per modum denuntiationis non cõpellatur reus ad dicendam veritatem, sicut per modũ inquisitionis in processu ex officiô, vel per modum accusationis? Potest dici, quòd in inquisitione tali, in quâ àgitur ad removendum ab administratione, & in accusatione, in quâ àgitur ab degradationem, quæritur, quod tangit bonum non solùm rei; sed aliorum. In denuntiatione verò, in quâ agitur ad correctionem, solùm quæritur bonũ rei: Et ideo districtiùs aguntur contra reum, in duobus illis processibus, quàm in istô tertiô. Et districtiùs agi potest secundùm Deum, nè ex remissione lædatur utilitas aliorum. ¶ Quintò quæritur: Utrum subditus in istô casu teneatur obedire prælato, si fortè præcipiat ei, quamvis malè, quòd dicat veritatem de crimine, de quô est proclamatus? Potest dici, quòd non: Sicut non teneretur subditus obedire

dire prælato, si præciperet, quòd diceret ei peccata sua extra forum confessionis: quamvis hoc facere sine peccatô posset. Multa enim sunt, quæ non sunt peccata, in quibus tamen non tenetur religiosus obedire prælato, ut sunt aliqua, quæ sunt supra regulam, & votum suum: & annexa his, cùm ipse non promiserit obedientiam simpliciter; sed secundùm regulam, & statuta aliqua. Quis enim auderet dicere, quòd subditus teneatur confiteri sua peccata omnibus sacerdotibus de conventu tuô, si abbas hoc ei præcipiat, & multa similia, quę tamen possunt fieri sine peccatô? ¶ Sextò quæritur: Utrum liceat procedere ad hujusmodi proclamationem, & convictionem per testes, quando non speratur de proclamati correctione? ℟. Licèt non speretur de fructu correctionis ejus, si speratur de fructu in alijs, scilicèt, quia magis timebunt, vel alia utilitas congregationis idem sequatur, licet procedere; sicut licet probare de aliquô, quòd ipse leprosus sit: non quia speretur, quòd ex hôc sanetur; sed quia est utile alijs. ¶ Septimò quæritur: si in collegiô, in quô hæc aguntur in publicô, sunt aliqui, quibus cedit ad utilitatem, alij, quibus ad damnum: Utrum sit dimittendum? ℟. Potest differri, vel quæri opportunitas, quòd fiant ista coram illis solùm, quibus prodest. Si autem hoc non potest fieri, videtur, quòd finaliter non sit dimittendum bonum aliquorum propter malum aliorum in operibus justi-

tiæ: maximè cùm bonum sequens majus reputetur, quàm damnum in genere suô.

Cap. XCIX.

Convictus verò secundùm præpositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusaverit; etiam si ipse non accesserit, de vestrâ societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter; sed misericorditer: nè contagione pestiferâ plurimos perdat.

¶ Tràditis mandatis circa peccata convincenda: Tradit hîc mandatum circa judicanda. Et tanguntur hîc tria, scilicèt: per quos sunt judicanda, quia per præpositum, vel presbyterum, ibi:(secundùm præpositi &c.) Item ad quam pœnam judicanda: quia ad satisfactionem emendatoriam, ibi:(debet emendatoriam) Item quid faciendum de illô, qui recùsat de hujusmodi pœnam ferre, quia expellendus, ibi:(quam si ferre &c.(Sed àdditur causa, cũ dicitur:(Non enim hoc fit. &c.) ¶ Et nota circa primum, quòd prèsbyter interdum vocatur episcopus civitatis: ad Titũ:ideſt: Ut ordinares presbyteros per civitates:Glo.episcopos.Et dicitur Episcopus prèsbyter, quasi præbens iter,scilicèt exempli. Præpositus autem dicitur,qui sub Episcopô est ma-

jor

jor in congregatione: Unde præpositus quasi antè alios positus à majore. Unde habet respectum ad inferiores, eò quòd est præ illis, & ad superiorem: eò quòd non à se; sed ab aliò ipse positus sit. Videtur autem, quòd tempore Augustini, esset ita ecclesia sua cathedralis ordinata, sicut adhuc sunt multæ in multis, quòd Capitulum habebat pro majore ipsum Episcopum, vel sub ipsô aliquem, qui præpositus dicebatur tunc, licèt modò apud diversas ecclesias diversis alijs nominibus nominentur: & quia illi duo circa conventum diversas habebãt jurisdictiones, dicit: (secundùm arbitrium præpositi, vel presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium) ita quòd Episcopus in casibus ad se pertinentibus sententiaret.

¶ *Circa secundum nota*, quòd vindicta quandoquè strictè accipitur pro redditione mali pro malô, & sic nulli licet se vindicare. Quandoquè largè pro pœnâ, justitiâ exigente, inflictâ à judice, & sic licet. Debet autem prædictus prælatus non solùm punire pro præteritis; sed aliquas cautelas apponere circa futura. Ut si quis offendit frequenter in locutoriô, injũgere ei, ut non intret ad tempus. Si nimis loquatur cum mulìere aliquâ, injùngere ei, ut ei non loquatur ad tempus: & similia. Et ideò dicit: (vindictam emendatoriam) vindictam, quò ad satisfactionem de præteritis, emendatoriam, quò ad cautèlam de futuris.

¶*Circa tertium Notandum*, quòd vitium eorum, qui culpas committunt, & pœnitentiam recùsant, dicitur incorrigibilitas: Hujusmodi autem incorrigibilitas est gravissimum peccatum. Est enim diabolicum: Ipse enim diabolus postquam peccavit, nunquam pœnitère voluit. Item est infirmitas periculosissima: Non enim est infirmitas adeo modica, quin per recusationē remedij verti possit in magnum periculum. Item hoc est vitium, quòd totam religionem destruit, obedientiæ resistendō, in quâ tota virtus religionis consistit. Item est summè contagiosum, sicut lepra, quæ non recipit curationem. Item hoc est: quod solùm damnat homines: Nullus enim quantuncunque peccator aliter damnatur, nisi quia se non còrrigit. Inter varias enim species peccati in spiritumsanctum, quod est horribile peccatum, in omni casu, videtur gravius id, quod est finalis impœnitentia. Incorrigibilitas autem est huic annexa, propter hoc peccatum istud in nullō quantuncunque magnō est tolerandum, & si fortè alia aliqua interdum tolerantur ex causâ. Unde Ambrosius, cùm Theodosium imperatorem abjecisset ab ecclesiâ propter culpas suas aliquas, nunquam voluit eum reconciliare, quousque publicam pœnitentiam egit: Et cùm diceret ei Imperator, quòd Davìd adulterium, & homicidium cōmiserat: illicò dixit ei Ambrosius; Secutus es errantem, sequere corrigentem: Ad quod verbum com-

compunctus publicam pœnitentiam fecit. Propter hoc etiam omnes solent insurgere contra tales, & nullus de conventu audet in aliquô talibus præstare favorem: & si in alijs eisdem faveant interdum: propter quod dixit dominus Mat. 18. Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, quos, scilicèt, omnes fideles ab hominantur. Propter hoc etiam dicit nunc Augustinus ipsos gravissimè puniendos. Quæ enim pœna potest gravior excogitari, quàm de societatè expelli? Et sciendum, quòd istam expulsionem quidam interpretantur quoddam genus excommunicationis: ut quando interdicitur fratri, nè veniat inter alios in chorô, vel refectoriô, vel quòd nullus ei loquatur, & similia: Alij intelligunt hoc de sequestratione, quâ aliquis in aliquô locô quasi in càrcere includitur: Alij verô intelligunt de ejectione ab ordine, habitu ablatô. Sed meliùs est, ut dicatur, quòd secundùm diversas circunstantias personæ, & culpæ, quandoquè est primum faciendum, quandoquè secundum, quandoquè tertium: ita quòd semper mitior pœna præeligatur, dum nodò credatur, quòd sit æque medicinalis, & scandalum aliorum, & conservatio justitiæ ad aliud non indúcat. ¶ Item sciendum, quòd incorrigibilitas dicitur vitium contagiosum: quia tales exemplô manifestô, & verbis, quibus se defendere solent, & tolerantiâ, quâ alijs solent præstare audaciam ad similia, corrumpunt alios. Et ideo, cùm peccent in so-

ſocietate ipſam corrumpẽdô in eô, in quô delinquunt, èxpedit, ut de ſocietate expellantur. Et ideô bene dicit: (de veſtrâ ſocietate projiciatur, nè contagione peſtiſera plurimos perdat) Nec eſt aſcribendũ crudelitati; ſed potiùs miſericordiæ: quia majoris eſt pietatis còmpati multis ſuper damnô ſpirituali, quàm uni pàrcere a pœnâ aliquâ ſuâ medicinali. Sed ſunt multa de quibus dubitatur circa hujuſmodi expulſionem. ¶ Et primò quæritur: Utrum pro ſolâ incorrigibilitate ſit religioſus expellendus à ſocietate aliorum: an etiam pro alijs culpis? ℟. Religiones aliquę approbatæ habent in uſu expellere fures, percuſores, ſodomìtas: Primi enim nocent in rebus: Secundi in corporibus: Tertij in animabus; ſed hoc non eſt approbatũ, niſi quando non ſperatur de talium correctione, & habentur præſumptiones probabiles: in quô caſu præſumuntur incorrigibiles. Sola ergò incorrigibilitas, vel vera, ut quando recuſatur pœnitentia: vel præſumpta: ut in caſibus prædictis indùcere debet prædictas expulſiones, ſi accipiatur prima expoſitio pro excommunicatione juris. Si verò accipiatur pro quâcumquè ſequeſtratione, vel à refectoriô, vel à capitulô, & ſimilibus, ſecundùm quòd accipit Benedictus in regulâ ſuâ: poteſt hęc pœna inflìgi pro multis alijs delictis; ſed corrigibilibus. Sed eſto quòd aliquis offendat frequenter in aliquô; tamen ſemper offert ſe ad pœnitentiam: nunquid talis

lis poteſt expelli? R. Non poteſt expelli, quò ad excommunicationem juris, ſecundùm primam expoſitionem: quia talis ſententia fundatur ſuper facta, non ſuper præſumptiones. Unde, quamvis non præſumatur de correctione in futurô: quia tamé offert ſe ad pœnitentiam de præteritô delictô: non poteſt pro præteritô delictô excommunicari: poteſt tamen quò ad expulſionem ſequeſtrationis, vel ejectionis de ordine puniri: in caſibus maximè prædictis, in quibus eſt damnoſa ſocietas ejus congregationi, cùm non ſperatur de correctione propter facta aliqua præcedentia, quæ faciunt præſùmere contrarium ejus, quod verbò dicit òfferens ſe pœnitentiæ, & correctioni. Providendum tamen eſt, quòd non expellatur de ordine, ſi ſit talis perſona, de quâ probabiliter credatur, quòd ejecta deſæviet in res: Sicut faciunt aliqui comburentes bona monaſterij, vel ſimilia faciendô: vel in perſonas: ut interficiendô, vel verberandô: vel ſi credatur, quòd ad peccata multa alios inficiet: ut ſodomitæ, vel hæretici: ſed includatur in locô forti, ut minus poſsit nocere. Si verò non eſt locus aptus ad hoc, recurrendum eſt ad majores, ut per eos conſilium apponatur. Illi verò nocivi, de quibus non timetur, quòd ejecti talia committant: & creditur, quòd confuſio ejectionis cedat eis ad correctionem: ſecuriùs poſſunt ab ordine expelli, ut humiliari ſic in melius emendentur. ¶ Sed nunquid peccant illi, qui fra-

tres onerosos, & tædiosos propter importabilitatem suã expellunt, vel dissimulant, si egrediuntur? ℟. Postquam sunt professi, & pro culpis semper parati satisfacere, nisi sint tales, qui damnificent in rebus, ut fures, vel personis, ut percussores: vel inficiant peccatis alios, ut hæretici, & sodomitæ, & seminantes discordias, & sollicitates alios de apostatandò, & similes: nullò modò propter quodcunquè onus ipsorum sunt expellendi; sed portandi, tanquam qui fortè sunt dati à Deò, ad patiendum, & charitatem fraternã exercitandam: nec sine gravi peccatò possunt, qui habent eorum curam, dissimulare eorum apostasiam. ¶ Sed quid faciendum est, cùm ejecti petunt recipi? ℟. Si culpę incorrigibilitatis, propter quas justè ejecti sunt, adhuc durant, non tenentur ejectores eos recipere: immò ex eisdem causis ex quibus justè sunt ejecti, justè possunt à receptione repelli. Nec obstat decretalis, quę dicit, fugitivos esse requirendos, quia hoc intelligitur, quando sunt tales, qui cum utilitate congregationis possunt tolerari, aliter non: sicut ovis morbida nõ solet reduci ad ovile; sed potiùs relinquitur ipsis lupis. Si verò credatur probabiliter, quòd sint de culpis correcti, & quòd cessabunt: tenentur ejectores eos recipere, salvâ disciplinâ ordinis, & etiam requirere pro locò, & tempore. ¶ Sed quid iterum faciendum est, si ejectus, de cujus correctione non speratur, offert se ad cárcerem?

Po-

3. Potest dici, quòd si ille, qui sic petit recipi, est talis, quòd facit scandala, & multiplicat mala, recipiendus est ad càrcerem: dummodò habeatur talis locus, in quô securè possit custodiri. Per hoc enim, & ei providetur: quia à multis malis sic cessabit: & congregationi non nocebit, propter sequestrationem. Potest autem in tali casu recipi sine habitûs redditione: sed processu temporis, si signa bona apparuerint in eô, recipi pòterit ad gratiam ampliorem. Si verô talis est, quòd scandala non facit in sæculô: nec peccata nova committit, & creditur, quòd ex difficultate receptionis, cautior fiet in antea: potest differri receptio: licèt finaliter non sit neganda. ¶ Si autem quæratur circa prædicta, quomodò propter furtum, quod est damnum temporale, abjiciendus sit frater, propter quem Christus mortuus est? Dici potest, quòd fures in religione desperati, nõ solùm nocent in rebus temporalibus; sed in spiritualibus, subtrahendô ea, quæ ad serviendum domino sunt necessaria: & conturbandô sanctam congregationem: & sic impediunt bonum aliorum spirituale. ¶ Item ejectio eorum non fit solùm propter bonum aliorum; sed etiam propter bonum ipsorum: ut ex hôc per confusiones, & tribulationes ad cor revertantur. Et ideo propter bonum eorum, & etiam aliorum spirituale licet eis infligere pœnam justam. ¶ *Sed iterum quæritur*: Ponatur, quòd ejiciendus ab ordine petat li-

licentiam transeũndi ad aliam religionem mitiorẽ: ubi possit melius cavere à peccatis, quàm in sæculô: est nè danda? ℟. Non est danda à prælatô: nisi fortè haberet aliquod privilegium, per quod posset hoc. Nam de jure communi hoc non licet: nec faciendum est ab aliquô aliquod illicitorum, propter bonum alterius quodcumq;: Potest tamen dissimulari interdum, ut hoc faciat propriâ auctoritate. Vel potest dici à prælatô: concedo, si possum, vel quantum possum: maximè, quando timetur nè pejus faciat. Si autem intraverit aliquam religionẽ ita permissivè, & credatur, quòd ibidem faciat mala consueta: & ignoretur ibidem conditio ejus, de notificandô statum illius prælato, sub cujus curâ se posuit, faciendum est à prælatô illius, quod sibi vellet fieri in hâc parte. ¶ Potest iterum quæri: Si ejiciẽdus petit absolvi ab ordine, vel retineri, quid faciendum sit? Respon. Neutrum est faciendum, nequè enim pastor quando èjicit ovem morbidam à grege, tenetur propter hoc cedere dominiô illius: immò ad hoc expellit, ut si fortè sanetur, reducat eam post sanationem: ita, & hîc. Et si fortè aliquis ex simplicitate, vel aliâ de causâ, absolvit hujusmodi ejiciendum ab obedientiâ ordinis, non valeret, quia esset contra rationem. ¶ Potest iterum quæri: Si petat talis licentiam transeũndi ad ordinem arctiorem: cujus interest dare licentiam talẽ? ℟. dixit Hugo, quòd ad prælatum cum consensu con-

conventûs pertinet: adducés argumentum ad hoc, quòd solus prælatus non potest alienare bona temporalia monasterij, & multò magis nec personam. Licèt autem hoc verum fortè sit in monasterijs, ubi prælatus non habet super se majorem: tamen in ordine fratrum prædicatorum, solus magister, cui fiũt professiones omnes, vel provincialis prior, cui data est ex constitutionibus èadem potestas in suâ provinciâ, quam habet magister in totô ordine, possunt dare hujusmodi licentiam: vel alij eorum auctoritate. Et quamvis prior conventualis cum conventu possunt recipere fratres; tamen non possunt de obedientiâ magistri, vel prioris provincialis, quibus acquisiti sunt, eos subtrahere præter voluntatem eorum. ¶ Sed iterum potest quęri: Si illi, qui licentiare possunt ad aliam religionem: possunt licentiare ad parem? ℟. Certum est, quòd ad leviorem non possunt: Item certum est, quòd ad arctiorem evidenter, si aliqua sit talis, possunt, de pari verò, propter rationes, quæ sunt ad utramquè partem, est ita dubium, quòd non est securum, nec consuetum nisi auctoritate Papæ, vel privilegiorũ, si quę super hæc haberentur, hoc fieret. ¶ Sed nunquid auctoritas Episcopi sufficit in hâc parte? ℟. quòd nõ est cõsuetũ, quòd pro dispẽsationibus circa votũ religionis recurrant ad Episcopum. Et est argumentum juris adhoc. Ipsi non possunt dispensare in votô crucis, quod minus est, quàm votum reli-

religionis: hujuſmodi verò contin uatio voti de pari in par, non poteſt fieri, niſi diſpenſativè, & auctoritate majoris, & ita non videtur iſte caſus pertinere ad Epiſcopos. ¶ Poſtremò ſciendum eſt, quòd, quando datur licentia religioſo de tranſeündò ad aliam religionem, nunquam prælatus dans hujuſmodi licentiam liberatus eſt à curâ ſuâ, quòcunque modò detur, quouſque licentiatus, ſecundùm modum licitum, in aliò ordine ſit profeſſus: alioquin eſſet aliquis Cœnobìta, & tamen ſub curâ nullius. Dixerunt tamen aliqui; quòd ſi aliquis de ſuâ voluntate licentiatus eſt de tranſeündò ad arctiorem religionem, quæ eum recipiat: non tenetur licentians revertentem recipere. Quod etiam ſi eſſet verum: non eſt tamen contra prædicta, poteſt enim eſſe caſus, in quò eſt aliquis de curâ alicujus adhuc: & tamen non tenetur eum recipere in aliorum ſocietatem.

Cap. C.

ET hoc quod dixi de oculò non figendò: etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, judicandiſque peccatis diligenter, & fideliter obſervetur, cum dilectione hominum, & odiò vitiorum.

¶ Tràdita ſunt mandata circa culpas reprehendendas in materiâ particulari ſecundùm diſtinctionem

nem

nem prædictam: Hîc autem tradit mandatum circa idem in genere dicens quotuor, scilicèt: Quid servandum in omni peccatô circa ejus deprehensionem: quia idem, quod dictum est de oculi fixione. Item quó ad quę, & quot: quia quò ad quinque scilicèt inveniendis &c. Item qualiter: quia diligenter, & fideliter. Item quali motu, scilicèt quòd caveatur, nè fiat aliquid circa hoc ex personę odiô; sed ex dilectione personæ, & odiô vitiorum. Et hæc patent in litterâ.

¶ *Circa primum Notandum*, quòd sunt quædam religiones, in quibus, & si magnô zelô zeletur carnis peccatum; tamen interdum alia multa mala tolerantur: Hoc autem est diabòlicum posse non ex totô destruere. Contra quod dicitur 1. Reg. 15. Vade, & pèrcute Amalech, & demolire universa ejus, non parcas ei, nec cõcupiscas ex rebus ejus aliquid. Quod, quia non fecit Saül, retentis aliquibus de bonis ejus, quæ sibi, & exercitui suo placuerũt, privatus est regnô in signum, & argumentum, quòd prælati sic facientes non sunt digni regìmine. Et etiam si multos habeant sub se, qui hæc cònsulant, & acceptent. Item tales religiosi sunt sicut Samarìtæ, qui ex unâ parte colebant Deum, & ex alîâ parte retinebant idòla, sicut dicitur 4. Re. 17. Contra tales verò dicit Helias 3. Reg. 18. Usq; quo claudicatis in duas partes? Item prælati taliũ sunt sicut illi reges, de quibus frequenter dicitur in librô

Reg.

Reg. quòd multa mala corrigebant: verùmtamen excelsa non auferebant, semper aliqua incorrecta relinquentes 4. Reg. 14. & 15. ¶ Et Nota, quòd religio est sicut hortus Domini. Quid autem prodest in hortô removere aliquas herbas malas, vel spinas, & relinquere alias? Ideo dicitur Hjer. 6. Novate vobis novale, & nolite serere super spinas, sicut qui faciunt novalia, diligenter purgant, quòd nullam spinam dimittunt. Item est sicut spiritualis càmera habitationis: peccata verò diversa sunt, stèrcora animalium diversa. Luxuria enim est sicut stercus equinũ: sicut, & ipsi equi significãt luxuriosos: Gulositas verò est sicut stercus porcorum: Detractio sicut stercus canum, & sic de alijs multis. Quis autem volens càmeram domini sui mundare, rèmovet inde unum genus sordiũ, & dimittit alia, & non potiús rèmovet omnia? Ideo dicitur Jacobi 1. Abjicientes omnem immunditiam. Quod quidem faciendum est specialiter in domô illà, quam specialiter decet sanctitudo. Item est sicut templũ Deo consecratum: In tali autem non debet remanère aliquod vestigium idolatriæ diabolicæ, quod est peccatum; sed solùm imagines sanctorum, quæ sunt virtutes. Ideo lègitur, quòd sanctus Bonifacius, eliminatâ omni spurcitiâ dæmonum à templô Pàntheon, Beatę virgini, & omnibus sanctis illud consecravit. In hujus autem figùrâ dicit Balaàm Nume. 23. Non est idòlum in Jacòb, nec videtur simu-

mulacrum in Iſraël: Dominus Deus ejus cum eo: quia ſcilicèt ea, quę Dei ſunt, ſolum, & non ea, quę ſunt diaboli, debent inveniri in viris Iſraëlitis. Quia igitur tot inconvenientia ſequuntur, cùm ſuſtinentur aliqua in religione: etiam alijs correctis: benè dicit vir ſanctus: ut illud, quod dixit obſervandum circa fixionem oculi, pertinens ad incontinentiam, ſervetur in omnibus alijs peccatis: ut non ſolùm contra unum genus peccati; ſed contra omnia peccata ad ipſa extirpanda zelus ſanctus accendatur.

¶ *Circa ſecundum Notandum*, quòd circa invenienda peccata dedit mandatum, ibi: (Cùm ergò ſimul eſtis &c.) Circa prohibenda per admonitionem fraternam, ibi: (& ſi hanc, de quâ loquor &c.) Circa judicanda, ibi: (ſi autem, & poſt admonitionem.) Circa convincenda, ibi: (prius tamen alteri, vel tertio eſt &c.) Circa indicanda, ibi: (convictus verò &c.) Et vide quàm ſufficienter mandat, quicquid poteſt fieri contra peccata. Quid enim amplius poteſt excogitari, niſi ut apponatur diligentia ad invenienda: Si autem inveniuntur, ut ſtatim corrigantur: quòd ſi correctio fraterna non prodeſt, quòd indicentur: quòd ſi indicanda negantur, quòd probentur: quòd ſi probata fuerint: quòd per judicium juſtè puniantur? Item nota per hujuſmodi recapitularionem in quinque prædictis, quam rationabiliter, & ordinate procedit in omnibus

nibus Augiſtinus. Quis enim, niſi ipſe recapitulaſſet, adverteret mandata prædicta verſari circa iſta quinque præciſè? Quod claret evidenter ex recapitulatione. Proinde eſt argumentum, quòd etiam in alijs rationabiliter, & ordinatè procedit, quamvis per hujuſmodi recapitulationem, vel verbis alijs, hoc non declaret expreſſe.

Cap. CI.

CIrca tertium notandum, quòd illud dicitur fieri diligenter, quod fit cùm vehementi applicatione. Cùm ergò mandat Auguſtinus, quòd circa peccata invenienda, prohibenda, indicanda, convincenda, judicandaque uſque ad expulſionem etiam delinquentis, diligentia, & fidelitas obſervetur, patet, quantum zelum vult haberi contra peccata omnia in religione. Porrò ad hoc debet incitare exemplum divinum: Dum peccatum ſpirituale ſuperbiæ in cœlò commiſſum; carnale verò gulę in paradiſò perpetratum; ſeculare verò de negotiatione in templò inventum tantò zelò punivit: ut illos, qui deliquerant in talibus locis, de illis expelleret, præter alias pœnas, quibus punivit eoſdem. Cùm ergò religio ſit quaſi quoddam cœlum, in quò hàbitant viri ſpirituales, ſicut in cœlò ſpiritus, & quidam paradiſus in terrâ, & ſpirituale Domini templũ, quantò zelò perſequenda

da sunt in ipsâ peccata sive spiritualia, sive carnalia, sive sæcularia? Item tria sunt, propter quæ solent res aliquæ cum diligentiâ majori purgari. Unum pretiositas, sicut vas aureum, vel argenteum, si contrahat aliquam rubiginem: ita viros religiosos quantò meliores sunt, tantò convenit magis purgari. Ideo Malach. 3. dicitur de filijs Levi, qui debebant esse meliores, quàm alij: Et purgabit filios Levi, & colàbit eos, quasi aurum, & quasi argentum. Colatura verò hujusmodi est efficacissima ad purgandum. Aliud est sanctitas: Nimis enim malè sedent sordes in re sanctâ. Et ideo dicitur 1. Machabæorum 4. Et mundaverunt sancta. Aliud est utilitas: sicut purgantur arbores hortenses, ut fructificent melius. Et sic de homine: Joan 15. Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Cùm ergò religio sit status pretiosissimus, status sanctissimus, & hortus Domini spiritualis, habens arbores diversas ad fructus optimos producendos: cum quantâ curâ sunt rubiginæs, & sordes, & excrescentiæ malæ ab eâ purgandæ? Item religiosi succedunt in hæreditate viris sanctis: Et ideo valdè grave est, si in hæreditate eorum, in quâ ipsi tam nobiliter quò ad virtutes vixèrunt, rusticitates peccatorum committunt. Ideo dicitur Esa. 26. In terrâ sanctorum iniquâ gessit, & non videbit gloriam Dei. Ipsi etiam vivunt de bonis Domini habentes continuè bona ab eò stipendia

dia: Quanta est ergò perditio, si tales faciunt aliquid contra eum? Ideo dicitur contra tales in Psal. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò, qui simul mecum capiebas cibos. &c. Et post: Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. Ipsi etiam ad hoc electi sunt, & sequæstràti à mundô, ut sint sancti. Levit. 20. Sancti èritis mihi: quia ego sanctus sum: & separavi vos à cæteris gẽtibus, ut essetis mei: Quãta ergò est ingratitudo, cùm illi, quibus tanta gratia facta est à Dominô, in tali electione vivunt prophanè? Quantum ergò persequenda sunt peccata talium, qui tantum tenentur ad contrarium, & ratione successionis sanctorum, & ratione stipendiorum divinorum, & ratione electionis divinæ? ¶ Item tria sunt, quæ solent multum excusare à peccatô. Primum est ignorantia; sed istam non habent religiosi: quia habent scripturas, habent doctrinam, habent sapientes, à quibus semper possunt certificari de dubijs: Et ideo dicuntur viri Israëlitæ, idest cognoscentes Deum, quia magnam habẽt notitiam divinorum. Secundum est mala societas, quę frequenter impellit ad malum; sed & istam non habent: immô èconversô bonam trahentem ad bonum: Et ideo sicut pervertitur homo cum perversis: & ipsi cum sanctis deberent esse sancti. Tertiũ est negotia mundi, quæ frequenter dant occasionẽ peccati: ut onus domûs regendę, avaritię, negotia-

tiationes, mendacia, discursus malus, concupiscentiæ eorum, quæ videntur, & similia. Propter quod dicitur. Joan. 5. Totus mundus in malignô positus est, id est in malô igne, idest in occasionibus inflãmãtibus ad malum. Religiosi verò, & maxime claustrales non habent hujusmodi occasiones: cùm non habeant vacare, nisi soli Deo. Cùm ergò peccata eorum non habeant excusationes, sicut peccata multorum aliorũ, plus sunt meritò persequenda. Item peccata in religione perdunt animas eorum, qui propter salutem suam religionem intraverunt. Perdunt etiam famam: Sicut enim stercora non possunt diu esse in locô quantumcunque occultô, quin fœteant: ita nec peccata. Perdunt etiam temporalia: quia perditâ famâ, devotio hominum, quę temporalia conferebat, citiùs aufert, quàm conferat. Si ergò abbas dissipàtor temporalium tam odibilis est hominibus: quantum sunt peccata odienda in religione, quæ, & hęc, & plura multa meliora dissipant? Item cùm peccata in religione non extirpantur, multiplicantur: sicut herbę malæ in hortô, vel in agrô: Prover. 14. Per agrum pigri hominis transivi. Et post: Et ecce totum repleverunt urticę. Et hoc est, quia piger non extirpaverat statim orientes. Non solùm autem augentur; sed indurantur, ita ut fiant quasi incorrigibilia. Augustinus: Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Non solùm fiunt incorrigibilia; sed quod

malorum est extremum, non reputantur peccata: Augustinus: Objiciuntur Jacòb quatuor uxores: quod quandò mos erat, peccatum non erat, ideſt nõ reputabatur ſecundùm unam expoſitionem. Cùm ergò ex tolerantiâ peccatorum tot inconvenientia ſubſequantur: non ſunt (ut dicit Beatus Benedictus in regulâ) aliquatenus diſſimulanda; ſed ſtatim, ut orta fuerint, radicitus amputanda. Patet ergò ex prædictis, quòd ſi conſideratur religionis locus, & ſtatus, peccatorum quoque religioſorum gravitas, & inexcuſabilitas, damna iterum, quæ inferunt, & incorrectorum pericula: animandi ſunt omnes religioſi ad zelandum ferventer contra peccata.

¶ *Circà quartum notandum* eſt, quòd virorum bonorum eſt à peccatô declinare: Pſal. Declina à malô, & fac bonum: non ſolùm hoc eſt eorum; ſed quod melius eſt, fugere peccatum: Eccleſ. 22. Quaſi à facie còlubri fuge peccatum, immò quod optimum eſt eorum, odiſſe peccatum: Rom. 12. Odientes malum. Et verè odiendum eſt à bonis peccatũ: Deus enim noſter nihil odit niſi peccatum, & ipſum ſummè odit, & ideo amici ejus debent ſummè odiſſe peccatum: Pſal. 96. Qui diligitis dominum, odite malum, ſicut, ſcilicet ipſe odit.

Cap.

Cap. CII.

PRæterea naturale est odisse rem nocivam: sicut ovis odit lupum naturaliter. Et ideo dictum est: Odiô habebis inimicum tuum: Mat. 5. Nõ quòd scriptura hoc alicubi præcipiat; sed nimîs adhærentes naturæ hoc dixerunt: peccatum autem summè nocet: Sicut ergò, cùm lupus nocivus gregi compàret, & pastores, & canes, & totus grex comovetur, tanquam in rem odiosam: ita quantuncunque alicui appàret peccatum, debent omnes in illud tanquam in rem odiosam exùrgere. ¶ Præterea nuntius, qui semper nuntiat odiosa, solet multum haberi odiô, de peccatô verò nunquam auditur bona cantio; sed semper mala prænòsticat omnis scriptura loquens de eô. Si ergò Acàb òderat Micheã, quia non nuntiabat ei, nisi malum, sicut dicitur 3. Reg. 22. Quantum odiendum est malum omnibus, quod innumerabilia mala, & prænòstica addùcit? Sed sciendum est, quòd aliqui quò ad aliquos malè moti sub specie persequendi peccatum, homines persequuntur interdum: Isti sunt sicut Scribæ, & Pharisei, qui nõ ex charitate; sed propter invidiam, & odium, quod habebant ad Christum, accusabãt eum, modò de Sabbathi violatione, modò quòd se filium Dei vocabat, & de similibus. Sunt iterum sicut rex Babylonis, qui sub specie portûs dedit Se-

de

dechiæ potionem laxativam, de quô confusus est coram omnibus, laceratô ventre: sicut dicitur in historijs. Ita & isti sub specie charitativæ correctionis homines confundere intendunt. Sunt etiam, sicut principes, & satrapæ Babylonis, qui non quærebant accusare Danielem, ut cessaret à malô; sed quærebant malum, ut invenirent occasionem contra eum: Daniël. 6. Psal. Scrutati sunt iniquitates. Sunt alij, qui, licèt non ex propòsitô in correctionibus homines persequantur; tamen ex defectu veræ dilectionis, sic incautè agunt interdum, calamũ quassatam confringentes, & linum fũmigans extinguentes, quòd correctio, quæ deberet correctis esse ad vitam: cedit eis plerumque ad mortem. Sed dilectio, quam quis habet ad vas vitreum suum, docet eum, quòd lavandô ipsum, sic cautè tractet, nè stringat, & confringat. Item dilectio, quam habet mater ad filium suum parvulum, docet eum, quòd abstergendô sordes à naso, sic lèniter faciat, nè sanguinem eliciat. Dilectio, quam habet quis ad lumen lucernæ, docet eum, ut sic discretè emungat, nè lumen extinguat, & fœtorem indùcat. Cùm quis alium ergò corrigendô, sic incautè confringat: juxta illud Psal. 88. Destruxisti eum ab emundatione: sic emungit fortiter nasum ejus, quòd èlicit sanguinem, prout dicitur Prover. 30. Sic lucernã mundat sine arte emungendi: Propter quod præcepit dominus fieri emunctoria: Exod. 35. Quæ

totum extinguũt: patet, quia hoc àccidit ex defectu dilectionis, & charitatis, quæ docet de omnibus faciendis. Quia ergò vitia sunt odienda, & quando propter malum motum, vel præter dilectionem corriguntur, sequuntur inde mala prædicta tam in corrigente, quàm in correctò: benè dicit vir sanctus, quòd fiat correctio cum dilectione hujusmodi, & odiô vitiorum.

Cap. CIII.

QUicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab litteras aliquô, vel quodlibet munus accèperit, si hoc ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eô. Si autem deprehenditur, & convincitur: secundùm arbitrium presbyteri, vel præpósiti graviùs emendetur.

¶ Tràdita sunt mandata circa correctionem vitiorum, quę deprehenduntur, ab illô locô ibi: (Quando ergò simul estis) usque huc (quando autem.) Hîc autem tradit circa illa, quæ gratis recognoscuntur. Sicuti autem supra mandata posuit circa particularem materiã primò, postea in genere. Ita hîc ponit materiam particularem. Et quia de similibus simile debet esse judicium: Intelligendum est, quòd idem observetur in omnibus alijs: sicut dicit supra in alijs: quamvis hoc ibi expresè non dicat. Quia verò, quę pertinent ad inhonestatem impudicitię, quasi nunquam inveniuntur, nisi com

comprehendantur: Quæ verò pèrtinent ad tractatum alicujus rei temporalis indebitæ, facilius recognoscuntur: quia non habent ad recipiendum tantam verecundiam: supra in deprehendendis descendit ad illam materiam, hîc verò ad istam. ¶ Notandum verò, quod ad recipiendum litteras, extendere manum, homini, cujus voluntas est in alterius potestate, vel quodlibet munus aliud, quantuncunque mòdicum, illi, qui nihil potest habere, est culpa non mòdica: licèt quidam non multum pònderent. In vitijs enim spiritualibus, cùm effunduntur usque ad manum, reputàtur esse in summô gradu, sicut in irâ. Gravis enim est, cùm est in corde: gravior, cũ verbis effúnditur: sed gravissima, quando usque ad manum, percutiendô, prorumpit. Similiter in carnalibus gravis est impudicitia in mente; sed gravior est in verbis; sed gravissima, cùm usque ad tactum impudìcum procedit. Eàdem ratione in secularibus grave est delictum, rem, quam non licet habere, concupiscere: gravius, cùm verbis procuratur; sed gravissimum, cúm actu perpetratur. ¶ Præterea inter membra humana quædam sunt, quæ rebellant spiritui omninò, ut genitalia: Quædam, quæ, & si omninò non rebellant, tamen difficilè obediunt, ut pedes: Sed manus valdè obediens est, & mòbilis, modò huc, modò illuc in omnem partem. Et ideo tantò inexcusabilior est spiritus, si aliquid mali pèrpetrat in accipiendô illi-

ci

citum, quantò est ei obedientior manus. ¶ Præterea quidam sunt sensus, quorum organa, velit, nolit homo, patiuntur ab objectô, ut auris, nares: quia non habent à naturâ opèrculum defendens. Quidam verò, quorum organa à naturâ habent defensivum, ut oculi pàlpebras: Et ideo quia possunt se defendere, cùm vult spiritus, per opèrcula hujusmodi, non patiuntur, nisi cùm vult spiritus. Sensus verò tactûs, cujus speciale organum manus est, non eggreditur in actum tangendi, etiam si velit homo, nisi cum labore quôdam, & difficultate: eò quòd oportet ipsam manum appropinquare ad rem distantem: quia tactus non est per medium sicut visus; sed est rei immediatę. Cùm ergò, quod habet majorem difficultatem ad sui perpetrationẽ, hôc ipsô sit gravius: non est sine grandi malô, cùm manus extènditur ad aliquod illicitè accipiendum. Tum quia malitia in tali factô effunditur usque ad manum: Tum quia manus super àlia membra obediens est spiritui: Tùm quia tardior est ad actum suum: eò quòd cum difficultate à spiritu, & per illum trahatur. Et ideo signanter dicit vir sanctus: (in tantum progressus fuerit malum) Innuens, quòd est non leve malum; sed magnum valdè, quòd religiosi aliquid illicitè accipiant, idest sine licentiâ: quod vocat occultè fieri: quia fit sine licentiâ prælati. Quamquam autem hoc semper sit vitandum, & tanquam malum cavendum: tamen specialiùs

liùs caveant viri ſancti à litteris, & munùſculis recipiendis â mulièribus. Et ideo dicit Hjero. Dulces litteras, & crebra munùſcula ſanctus amor non habet. Hujuſmodi enim ſunt amantium ſtultô amore: & ſunt ſpecies mali, à quâ cavendum eſt ſecundùm Apoſtolum. Item per hæc inſpecta reducitur mulier ad memoriam, per quod ſolet ſanctos diabolus infeſtàre. Item per hæc nutrìtur, & augètur affectus circa mulìeres, quod eſt valdè periculoſum, quia de facili degènerat in malum. Item per hæc familiaritas mulièribus acquìritur, quæ quàm ſit reprehenſibilis, patet ex dictis. Item hujuſmodi mùnera ſunt quaſi inutilia, & recipienti, & alijs: Et ideo tamquam à ſuperfluis caveant, qui nô curant niſi de neceſſarijs in hôc mundô. ¶ Item notandum, quòd quidam ſunt, qui ratione antiquitatis, vel alicujus excellentiæ qualiſcumque ſolent aliquando plus excèdere in hujuſmodi receptione, reputantes, quòd verecundum ſit eis, vel ìndecens licentiam aſsiduè petere pro hujuſmodi minutis recipiendis. Et prælati quidam, qui in minoribus fratribus iſta rigidè corrigunt, majores verò non audent corrigere. Prelati iſti ſunt ſicut Mirmithòleon, qui dicitur leo formicarum, qui in formìcas deſævit, ita, & iſti in minores. Econtra verò faciebat Davìd, qui pugnavit cum leonibus: quod quidem eſt probitatis: Primum autem ignaviæ.

Cap.

Cap. CV.

ET attende, quòd tale delictum, sivè aliud quod cumque magis est corrigendum in majoribus. Ipsi enim sunt exemplar minorum, exemplar verò, unde alia transcribuntur, primò, & diligentiùs solet corrigi. Item ipsi sunt caput minorum. Sapienti autem medico major est cura de infirmò per totum corpus impatiente, de curatione capitis: eò quòd inde fluunt bona, & mala in alia membra. Item ipsi sunt fons, unde fluunt rivuli exemplorũ. Non possunt autem rivuli esse clari, fonte turbatò: Et ideo primò purgandus est fons, ut puri sint rivuli. Hinc est, quòd in purgatione Israëlitici pòpuli à mulièribus alienìgenis, primò inceptum est à majoribus scilicèt à filijs Josedèch, & fratribus ejus. sicut habetur 3. Esdræ 9. Hinc est etiam, quòd Dominus plus ìncrepat majores inter Judæos, scilicèt scribas, & phariseos, quàm minores, licèt omnes essent reprehensibiles. Hinc est iterum, quòd in die cœnæ primò lavatur majus altere, quàm minora: quia ad purgationem majorum primò, & principaliùs est intendendum. Et ideo Ezech. 9. Dicitur viris deferentibus vasa interfectionis, à sanctuariò meò incìpite. Cęperunt ergò à viris senioribus, qui erant ante faciem domûs. Cùm ergò tot rationes ostendant, quòd majores magìs sint corrigendi:

quantò

quantò magis absque acceptione personæ, cùm sub eôdem votô vivant, sunt sicut alij corrigendi? Et ideo dicit vir sanctus: (quicumque) quasi dicat quicumque illê sit absque acceptione personæ.

Cap. CVI.

ITem attendendum est, quòd ille, qui gratis recognoscit culpam, videtur magis pœnitens, quã ille, qui non recognoscit, nisi convictus. Et ideo dignus est majori misericordiâ: Lucæ 18. Si pœnitentiam egerit, dimitte. Præterea quò benigniùs agitur cum illô, qui gratis culpã suam recognoscit: eò magis videntes hoc animantur ad similia, sicut ad dominum Jesùm audaciùs appropinquabãt peccatores propter benignitatem, quam eis exhibebat: sicut patet Lucę 15. Præterea reus, quantò plus fatigat actorem, & jùdicem: tantò, si finaliter invenitur in culpâ, dignus est pœnâ majori: Et quantô minus fatigat, dignior est gratiâ. Qui autem nô recognoscit culpam, nisi convictus, multum laborem præstat iniquitate suâ accusanti, & júdici: Qui autem gratis recognoscit, quasi nullum laborem præstat eis. Ex his ergò patet, quòd recognoscens culpam suam gratis, multò minus est puniendus, quàm convictus. Et ratione sui, quia pœnitens videtur. Et ratione assistentium, quì ad bonum ex hôc provocantur: Et ratione contra eum agentiũ, quos

quos minus fatigat: Et propter hoc benè dicit: (parcatur illi) quod intelligendum est, non quò ad totum; sed quò ad tantum. (& oretur pro eò) ut sicut benignè agitur cum eô ab homine: ita, & Deus etiã piè agat cum eô. Sic igitur circa prædictum mandatum declarata sunt tria: Unum est, quòd non parum est malum religioso aliquid, quantuncunque modicum, sine licentiâ accipere: Quod innuit Augustin. cùm dicit: (in tantum progressus fuerit malũ &c.) Aliud est: quòd istud corrigendum est in omnibus absque personæ acceptione, quod innuit, cùm dicit: (quicumque autem &c.) Aliud est, quòd leviùs est istud puniendum in confessô, quàm in convictô, quod tangit, cùm dicit: (si hęc ultrò &c.) quod intelligendum est similiter faciendum in omnibus alijs culpis gratis confessis.

¶ *Quartum capitulum regulæ.*

Vestes vestras in unum habeatis, sub unô custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, nè á tineâ lædantur.

Cap. CVII.

HOc est quartum capitulum regulæ, in quô agitur de his, quę pertinent ad religiosos, inquantum sunt in statu necessitatum multarum. Primò

mò autem tradit mandata circa hujusmodi necessitates: Secundò circa officiales, qui circa hæc sunt necessarij, ibi: (sivè autem qui cellario, sivè qui vestibus prœponuntur.) Licèt autem sint variæ necessitates religiosorum: tamen duæ sunt majores, & circa quas solent fieri frequentiùs defectus, scilicèt indigentia vestium, & infirmitas. Et ideo circa hoc specialiter tradit mandatum: Circa secundum ibi: (lavacrum etiam corpori &c.) Circa primum hîc. ¶ Et notandum, quòd interdum offenditur in religione in negligentiâ custodiendi vestes: & ideo tradit mandatum circa custodiam vestium, dicens: (Vestes vestras &c.) Interdum circa carentiam: & ideo tradit mandatum circa provisionem, dicens: (& sicut pascimini &c.) Quandoque circa distributionem: & ideo tradit mandatum circa hoc, dicens: (si fieri potest &c.) Quandoque circa operationem: & ideo tradit circa hoc mandatum, dicens: (tamen si vestis a tolerâtur infirmitas. &c.) Quandoque circa receptionem vestium collatarum: & ideo tradit mandatum circa hoc, dicens: (consequens est &c.) Quandoque circa lotionem: & ideo tradit mandatum circa hoc, dicens: (indumenta vestra &c.

¶ *Circa primum attendendum est*, quòd aliqui, licèt custodiant vestes à lotionibus, & igne, & hujusmodi magnis læsionibus: tamen non à modicis, sicut est à corrosione vermium, & similibus: Alij

verò

verò ita sunt soliciti custodire vestes suas, quòd repònunt eas in arcis suis, & non in locô communi. Aliquando verò, cùm ponuntur in locô communi: sunt tot vestes, & tam pauci custòdes communes, quòd non sufficiunt, & ideo in istô mandatô, quod est circa custodiam vestium, tria dicuntur contra ista tria. Contra primum: (nè a tineâ lædantur.) Contra secundum: (in unum habeatis.) Contra tertium: (sub unô custòde, vel duobus, vel quot sufficere possunt &c.)

Cap. CVIII.

EST autem argumentũ ex hôc manifestũ, quód res communes monasterij sivè ad vestìtum, sivè ad victum, sivè ad alia quæcumque pertinentes, sunt cum magnâ diligentiâ conservandæ, quantumcunque sint mòdicæ. Hinc est, quòd, sicut supra dictum est, lègitur in lib. collationũ, quòd, cùm quidam frater in suâ hebdòmadâ lavaret legùmina, & tria grana lentìculæ per ejus negligentiam cecidissent in terram collapsa de manu ejus: quidã alius pertransiens, & videns hoc, denuntiavit abbati: & judicatus quasi sacri peculij neglector, suspensus est ab oratione, nec aliter remissus est, nisi eũ priùs publica pœnitentia diluisset. Hinc est etiam, quòd dicit dominus Jo. 6. Collìgite fragmenta, ne pereant. Hinc est iterum, quòd dives evangelicus propter

pter micas mensæ suæ malè custoditas, cùm canes illas comèderent, & Lazarus non posset de eis habere, punitus est in infernò, guttâ aquæ negatâ: Greg. Guttam petijt, qui micam negavit. ¶ Porrò multiplex est ratio, quare à religiosis, & maximè cùm sint paúperes, hujusmodi, licèt modica, diligenter servanda sunt. Si enim divites sæculi hujus malè custodiunt: non oportet eos alias gravari quærendò, cùm adhuc abundent: pauperes verò religiosos, his pèrditis, oportet quærere ab alijs: & quantò plus quærunt, tantò plus eos gravant. Paulus nè gravaret subditos, qui tenebantur ad stipendia, laborabat manibus suis, sicut dicitur 1. Thess. 4. Quantò magis tales elaboràta ab alijs debent custodire, nè iterum gravent eos? Item apud sæculares ut frequenter veteres vestes, & reliqua bonorum aliorum malè expenduntur, apud religiosos verò expenduntur in paúperes: Si ergò secundùm verbum Apostoli operándum est manibus proprijs, ut habeat quis, unde tribuat necessitatem patientibus: Eph. 4. quantò magis isti debent servare diligenter, quæ sunt futura pauperum? Item frequenter ea, quæ habent religiosi, sunt de necessitatibus paùperum, quæ sibi subtrahendò largiuntur eïsdẽ: Cum quâ ergò conscientiâ possunt hæc negligenter custodiri à servis Dei, quæ propter eos vitæ suæ paúperes subtraxerunt? Quale fuisset si Helias panem parvulum, quem sibi dedit pauper vidua, in

suæ vitæ necessitate, dimisisset perire? Non sic fecit; sed ipse, & ipsa, & domus ejus comèdit, & meritis ejus, divinâ virtute, in viduæ usus farinula, & lècythus olei non defecerunt: 3. Regum 17. Item hujusmodi, quę dantur religiosis pauperibus, dantur pro peccatis, & ideo sunt pretium animarum. Quale autem est, denarium, quod est animarum pretium, non curare, qualiter tractetur? 2. Regum 23. dicitur de David, quòd noluit bibere periculum animarum, de aquâ cisternæ de Betheleëm sibi apportatæ. Quantò magis cavendum est Dei servis, nè pretium animarum inutilius pereat apud eos? Item, sicut personæ religiosæ sunt domino consecratæ, ita, & bona, quæ eis dantur, domino consecrantur: res autem sacræ solent diligentiùs custodiri. Ideo dicitur in librô collationum de antiquis patribus. Omnia, quæ sua sunt, credunt domino consecrata: propter quod, si quid fuerit in monasteriô illatum, ut sacramentum, cum omni decernunt reverentiâ debère tractari. Certum autem est, quòd illud, quod sic tractatur, diligenter custoditur. Item sunt quidam Domini, qui non èxigunt districtam rationem à suis ministris de bonis, manibus eorum commissis, & ideo ministri eorum solent negligentiùs bona eorum custodire: Dominus autem non est talis, immò adeo requirit rationem districtam, quòd posuit in carcere ministros suos, donec reddant novissimum minùtum, sicut dicitur

Lucæ 12. Cùm ergò religiosi sint, non domini; sed ministri bonorum ejus, cum quantâ solicitudine debent illa custodire, de quibus exigetur ratio tam districta? Attendant ergò religiosi pauperes, quòd ea, quæ habet monasterium, data sunt eis tanquam pauperibus, & quod eis superfluit, est in pauperes expendendum: Ipsi quoque, qui largiuntur, interdum sunt pauperes, & quòd data eis sunt animarum pretium: Sunt etiam ipsa Deo consecrata: & quòd de eis oportebit districtam reddere rationē. Et nè pereant, aut inutiliter consumantur, vel ex aliquâ negligentiâ deteriorentur, vel in aliquô lædantur, custodiant diligenter.

Cap. CIX.

ET sicut pascimini ex unô cellariô, sic induámini ex unô vestiariô.

¶ Hoc est mandatum, quod tràditur circa vestiũ provisionem. Et tanguntur hîc tria, scilicèt: Substantia mandati, cùm dicitur: (induamini) Modus implendi, cùm dicitur: (ex unô vestiariô) Ratio mandati à simili tracta: cùm dicitur: (sicut pascimini ex unô cellariô.)

¶ *Circa primum notandum*, quòd multa mala solent sequi ex negligentiâ providendi competenter religiosis in vestibus. Sequuntur enim ex hôc infirmitates còrporum, quæ facilè ex frigore contrahuntur,

huntur, quas, & interdum mors sequitur. Hinc est, quòd ille summus abbas, postquam primi parentes facti sunt passibiles, & mortales: fecit eis (sicut dicitur Genesis 3.) tùnicas pelliceas, quæ valent contra frigus, relinquens in hôc exemplum alijs abbàtibus, ut suis subditis competenter provideàt in vestibus contra morbos, & mortes. Item vitia animorum, scilicèt contentiones, & mùrmura: cùm conquèritur aliquis se deteriùs accepisse, quã priùs habùerat: & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur: sicut dicit infra Augustinus. Item contemptus apud imperìtos, qui videntes paùperem in sordidô habitu, non honorant eum, sicut vestitum decenter; sed contemnentes dicunt ei: Tu sta illìc, aut sede sub scabellô pedum meorum, sicut dicitur Jacòbi 2. Et ex hôc consurgit, quòd minus decenter vestìti, apud homines mundi non habentes accessum, non possunt apud eos proficere, sicut èxpedit eorum saluti. ¶ Item honor religionis. Honòrant enim multi vestimentum, vel speciem. Et ideo hoc videntes in religiosis, fugiunt eorum religionem, qui propter hoc potest dicere illud Psal. Qui viderunt me foras, fugerunt à me. Item infamatio ejusdem. Exemplum: Cùm diceret quidam coram quôdam philosophô de duobus, quorum unus erat pauper, alter dives, quòd essent amici: Dixit Philosophus: Cú ergò unus pauper est, alter dives: amicus non est,

qui fortunæ pârticeps non est. Item possunt dicere multi videntes istum benè vestitum, alterum malè: quæ est ista fraternitas, quæ est apud istos, qui sic dissimiliter sunt vestiti? Item charitas sic malè providentium in vestibus suis subditis superatur à naturâ, cui summa cura est de benè vestiendô omnia, quæ sunt sub curâ ejus. Non solùm enim gressibilibus dedit pedes, & volatilibus plumas, & natatilibus coria; sed etiam terræ nascentibus pulchrum colorem. Ideo dominus Matth. 6. Docet hoc considerare, dicens: Considerate lilia agri: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloriâ suâ coöpertus est, sicut unum est istis. Quid potest paterna cura ad hæc dicere, consideratâ naturæ diligentiâ erga suos? Propter ergò prædicta mala cavenda valdè curandum est correctoribus religionum, quòd fratribus provideatur in vestibus diligenter.

Cap. CX.

CIrca secundum notandum, quòd in quibusdam religionibus, maximè possessiones habentibus, providetur canonicis hôc modô: videlicèt: quòd datur cuilibet certa summa pecuniæ, quôlibet annô, de quâ pròvidet sibi in vestibus, sicut vult. Sed hoc est expressè contra regulam, quæ dicit supra: (distribuatur victus, & tegumentum, vel vestimentum, non æqualiter omnibus: quia non æqualiter

liter valetis omnes.) Per hujusmodi modum æqualitatis providetur plus, & minus indigenti. Præterea hoc, vel est proprietas, vel saltem proprietatis species manifesta: quorum utrumque cavendum est. Item per hoc datur interdum occasio expendendi, quod pro vestibus datur, in usus alios præter Domini voluntatem, quod furtum reputatur, & adhuc rèmanet èadem indigentia vestium. Propter hoc alij hæc inconvenientia declinare volentes, faciunt aliter, ordinantes, quòd illud, quod datur pro vestibus fratri, sivè deintus, sivè deforis, sivè in pannô, sivè in pecuniâ servatur eidem sub communi custodiâ: ita tamen, quòd alij nunquam detur. Sed hoc iterum est contra regulam: quæ vult omnia esse communia. Et infra dicit expresse de hujusmodi, quòd in locum communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Præterea per hoc aufertur viris sanctis illa confidentia de Deô, quæ dicit eis non esse cogitandum de crastinô, cùm ipsis per hoc provideatur usque ad annum, vel magnum tempus certitudinaliter de vestibus per hujusmodi ordinationem: contra illud Matth. 7. Et de vestimentô quid soliciti estis? Item hoc non caret specie proprietatis: Ita enim proprietarius est ille, qui facit sibi aliquid ab aliô illicitè servari: sicut ille, qui servat apud se. Propter hoc alij reprobantes hos modos, tenent alium modum præcipuè in pauperibus religionibus dantes licentiam singulis,

gulis, ut sibi provideant tempore necessitatis, quę-rendô ab amicis, vel familiaribus: sed hoc videtur iterum reprobandum: quia sequitur ex hôc multa inæqualitas: cùm videlicet unus habet à quô requirat, alter non: Unus cum facilitate multa potest acquirere, alter non sine multâ difficultate: Unus invenit, qui dat ei bonas vestes, alter non nisi viles. Si autem apud sęculares tantum curatur de æqualitate, quòd abundantia divitum debet supplere indigentias pauperum, secundùm Apostolum 2. Cor. 8. ut fiat æqualitas, quantò magis viris ejusdem professionis? Præterea ex hujusmodi ordinatione coguntur homines resumere curam sui, quam deposuerant contra illud Ber. Qui nobis semel curam vestri commisistis, quid iterum de vobis vos intromittitis? Item ex tali ordinatione minuitur meritum charitatis, quę communia antepônens magis prôficit: sicut dicitur infra (hîc autem relictis pertinentibus ad commune, proprijs intenditur) Propter hoc, istis tribus modis reprobatis, ordinãdum est apud pauperes, quòd ita quæratur, quicquid quæritur pro vestibus, quòd etiam in communi ponatur, quicquid datur, quicquid habetur pro vestibus, & ex unô vestiariô provideatur omnibus, sicut dicit vir sanctus. Nec est diffidendum, quin bonis viris modum istum magis sanctum servantibus provideat ille, qui quærentibus justitiam promittit Mat. 6. non solùm victum, sed etiam vestitum.

¶ *Circa tertium notandum*, quòd victus, & vestitus habent simile aliquid: quia utrumque est necessitatis humanæ, propter quod Paulus conjungit ea dicens 1. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Et eâdem de causâ Dominus jungit eadem in evangeliô dicens Mat. 7. Nè soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Et ideo bene addùcit Augst. unum ad probandum alterum, dicens: (sicut pascimini &c.)

Cap. CXI.

SEd, cùm probans debeat esse certius probatô, relinquitur ex hôc pro certô, quòd magis servanda est communitas in victu, quàm in vestitu: cùm hanc ostendit per illam. Quàm reprehensibile est ergò in religione, quòd aliqui procurant sibi singulares comestiones in pictantijs, & vinis, & hujusmodi in hospitijs, in infirmitoriô, quæ communiter non habentur? Hoc est, per quod provisio conventûs negligitur. Exemplum: Fuit quædam abbatia, in quâ de cõsuetudine reservabatur quoddam bonum vinum pro conventu usq; ad tempus, quô solebant vina corrumpi: Semel autem, appropinquante tempore illô, venit cellarius, & alij officiales ad abbàtem, qui vir sanctus reputabatur, & dicunt ei: Domine abbas habemus grave debitum:

nec videmus, unde possumus solvere, nisi vendamus vinum illud. Quod audiens abbas, & compatiens conventui, dixit eis: Pro Deo videatis diligenter, si habemus lanam, vel caseos, vel bladu, vel aliquid aliud, quod posset vendi, quia nimis grave erit conventui subtrahere (qui multum sustinet laborem) recreationem, quam solent habere de vino isto. At illi dixerunt: Satis deliberavimus, & cogitavimus super hoc; sed non invenimus aliud consilium: Tunc abbas dixit: Venite cras ad capitulum, & ordinabimus de hoc aliquid: Ipsis ergo, & alijs præsentibus, dicit Abbas conventus necessitatem, quam habebant de vendo vinum illud. Et inducens eos ad patientiam multis modis, inter alia subjunxit: Propter hoc magis sustinete patienter: quia promitto vobis bona fide: quia per totum istud tempus ego non bibam aliud vinum, nisi quod vos bibetis, & præcipio in virtute obedientiæ cellario, & omnibus alijs officialibus, quod nullus in domo, vel extra bibat nisi illud, quod bibit conventus. Soluto ergo capitulo, cum aliquot dies bibissent cellarius, & alij officiales malum vinum conventus, inceperunt conferre ad invicem, si possent aliud invenire, unde debitum solveretur. Et invenientes regressi ad abbatem, dixerunt: Domine abbas, invenimus tale, & tale consilium, per quod possumus solvere debita sine venditione vini illius: Quod audiens abbas, dixit: Deo gratias bonum

num est consilium, fiat ita. Quis autem dubitet, quòd ex hôc negligatur provisio conventûs: quia majores habentes suas recreationes singulares extra conventum nec exemplô Domini moventur, ut sint soliciti de turbâ conventûs, quid còmedat, vel bibat? Item per hoc non solùm negligitur conventus: immò, quod pejus est, subtràhitur ei, quod suum erat futurum. Frequenter enim personæ devotæ, quę hujusmodi singularia conferunt personis singularibus, conferrent hæc, vel alia communitati; Sed non sufficit communi molendino ministrare aquam, quæ est ad proprium jam attracta: Et sic perit charitas, quæ communia proprijs antepônit. Item refectorium relinquitur, sicut domus deserta, quę est maledictio prędicta à Dominô super judęos Propter hujusmodi enim singularitates, & bonas refectiones, quas habent extra refectorium, fugiũt refectorij duritiam, & vitæ communîs: propter quod viri sancti amatores religionis dant operam omnem, ut etiam meliùs hebeatur in refectoriô, quàm extra: ut per hoc atrahantur omnes, etiam imperfecti ad sequendam vitam communem: quia, hoc sine dubiô plus indùcit multos ad hæc, quàm possunt inducere admonitiones, vel mandata quæcunque. Exemplum dicitur, quòd cuidam nobili abbatiæ quidam dives reliquit quandam optimam vineam hôc pactô, quòd de vinô illius non posset aliquis bibere extra refectorium. Singulis autem annis,

annis, cùm istud vinum bibebatur in refectorio; illi, qui frequenter totò annò erant extra refectorium, tunc temporis veniebant ad refectorium, sivè senes, sivè debiles, sivè etiam contracti cum pictantijs. Sic nimirum volatilia, & animalia cuncta libentiùs ad bona pascua congregantur, sicut tangitur Apoc. 19. Item per hoc in locò communitatis magna inæqualitas consurgit: Cùm alius èsurit, alius ebrius est. Cujus contrarium faciendum ostendit Dominus in desertò: cùm mannà de cœlò veniens æqualiter dedit minoribus, & majoribus Rom. 11. Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, scilicèt mannà, tam Moyses, & alij majores, quàm alij minores. Item ex hòc scandalizantur infirmi, cùm scilicèt vident majores, & qui deberent in dandò exemplum durioris vitæ alios præcedere, sequi magis vitam delicatam: Contra quod dicit Apostolus 1. Cor. 8. Si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Item ex hòc àccidit, quòd homines carnales, qui scilicèt dati sunt ventri, spiritualibus præponùtur in domò Dei: cùm isti delicatè, illi durè tractantur: quod est contra justitiam, cùm isti indigni sunt pane, secundùm Augusti. illi verò digni sint angelorum cibò. Plus ergò debetur illis, quàm istis: omnibus autem debita sunt reddenda secundùm Apostolum Rom. 13. Propter hæc igitur mala non sunt tolerandæ hujusmodi procurationes singulares in claustris; sed de

dè unô communi cellariô procurandi sunt omnes multò fortiùs, quàm de unô communi vestiariô vestiendi.

Cap. CXII.

SI fieri potest: ad vos non pertineat, quòd vobis indumentum pro temporum congruentiâ proferatur: utrum hoc recipiat unusquisque, quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur.

¶ Hîc incipit trâdere mandata circa distributionem vestium, circa quam solent accidere duo ex parte recipientium: Unum est imperfectionis: alterum justę reprehensionis. Primum est, quando quis non solùm quærit recipere, quod est necessitatis; sed quærit varietatem secundùm temporum cõgruentiam: vel contendit recipere, quod deposûerat, tanquam jus habens majus in illô: & circa hęc trâditur hoc mandatum. Secundum est, cùm contentiones, & murmurationes recipiendarum vestiũ oriuntur: Et circa hoc trâditur sequens mandatum ibi: (Si autem hinc inter vos &c.) ¶ Et notandum circa primum mandatum, quòd non est prudentis facere mandata circa illa, quæ commodè servari non possunt propter infirmitatem humanam, pauci autem sunt illius fortitudinis, & perfectæ virtutis, qui non habeant libenter alias vestes in frigore, &

alias

alias in calòre : ſicut concèdit etiam beatus Benedictus in ſuâ regulâ monachis : Et pauci ſunt etiam, qui non refugiant alienas veſtes propter alienas immunditias, quas magis abhominatur natura, quã proprias. Ideo non dicit ſimpliciter in iſtô mandatô: (ad vos nõ pertineat;) ſed præmittit: (ſi fieri poteſt:) quaſi dicat. Si humana fragilitas hoc permittit: (ad vos non pertineat) ideſt ita vos habeatis, quaſi ad vos non pertineret (quòd vobis &c.) quaſi dicat, non ſit vobis curæ de his, dummodò, quod opus eſt, vobis conferatur.

Cap. CXIII.

HOc autem eſt perfectorum, qui in domô Dei non ſolùm non curant de his, immò etiam quandoquè abjectiores veſtes affectant. Ipſorum enim eſt nihil ſuperfluum quærere; ſed ſolùm neceſſarijs, & minus quàm neceſſarijs eſſe contentos. Et ideo dicitur 1. Timo. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Item ipſorum eſt, non ſolùm patienter ſufferre paupertatem; ſed & ipſam amare: propter quod dicuntur pauperes ſpiritu, ideſt animô, qui ducuntur ab amore, & ideo diligunt veſtium paupertatem. Ipſorum etiam eſt propter humilitatis, quam habent, perfectionem, non quærere honorem in domô Dei; ſed abjectionem: Pſal. Elegi abjectus eſſe in domô Dei: Hujuſmodi

modi autem abjectio maximè consistit in vestium humilitate : Item ipsorum est propter mala, quæ de se sentiunt, indignos se reputare victu, & vestitu, exemplô Jacòb, qui dicit Domino Gen. 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis: Et ideo cũ gratiarum actione recipiunt, quantumcunquè modicum sit, quod eis confertur. Item ipsorum est, esse quasi continuè in luctu in mundô istô, juxta illud, quod dictum est eis à Dominô: Plorabitis, & flebitis vos : & ideo libenter habent vestes pauperes, quia luctui sunt aptæ: Exemplô Hestèr, de quâ dicitur Hestèr 14. Fletibus,& luctui vestimẽta apta susceptit. Item Christus ab initiô ingressûs sui in mundum pannis vilibus fuit indùtus : Et beatus Martinus diabolo sibi apparenti in habitu purpureô, & simulanti se Christum esse, dixit : Christũ purpuratum non novi.Propter hoc ipsi respiciẽtes ad exemplar suum, & nolentes esse majores Dominô suô, secundùm verbum illius pauperes vestes dìligunt, & abjectas. Item primus sanctus novi testamenti, scilicèt sanctus Joannes Baptista fuit indutus vilibus, quia de pilis camelorum : similiter & ultimi, scilicèt Enòch, & Helias erunt induti vilibus: quia saccis: sicut dicitur Apoca. 11. Ut ergò medium non exeat ab extremis, & sint rectę semitæ Dei nostri, decet, ut viri sancti,& perfecti medij similiter sint induti. Licèt ergò patres monasteriorum debeant habere curã diligentem de providen-

dô

dò fratribus competenter in vestitu: tamen ad perfectum subditum pertinet magis abjectas vestes diligere, quàm nimiam curam de his habere pro se.

Cap. CXIIII.

SI autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis se deteriùs accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur: hinc vos probate, quantum vobis desit in illò interiori sanctò habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

¶ Hoc est secundum mandatum, quod pertinet ad reprehensibilem circa vestium distributionem. ¶ Et nota primò, quòd contentiones, & mùrmura differunt: quia murmur, ut frequenter est circa majores, contentio verò potest esse, & ad majores, & pares, & minores: Item murmur potest esse contra absentem, contentio verò solùm cũ præsente: Item murmur indùcit contentionem, quasi sit ejus origo, contentio verò est effectus. ¶ Item nota secundò, quòd duę solent esse causæ hujusmodi vitiosæ rationę vestium: Una, quàndo deteriùs providetur eidem unò tempore, quàm aliò: Alia, cùm deteriùs providetur uni, quàm alij, quę duo notantur, cùm dicitur: (Cùm conqueritur aliquis &c.) Et cùm iterum dicitur: (Et indignum se esse &c.) ¶ Item notandum

tandũ tertiò, quòd hujusmodi vitia non prohibet, quia sufficit, quòd sunt lege Dei prohibita; sed mandat, ut per hæc, cùm oriuntur, veniat quis ad suã intrinsecam cognitionem, dicens: (Hinc vos probate &c.) ¶ Circa primũ, dimissô vitiô contentionis, quod pertinet ad litem, de quâ dicetur infra, ubi dicitur: (Lites aut nullas habeatis &c.) Dicendum est aliquid de vitiô mùrmuris, quod facilè solet oriri in claustris contra facta, vel dicta majorum.

¶ *Ad hujus igitur detestationem sciendum est*: quòd istud vitium specialiter reputatur esse contra Deũ. Cùm enim omnis potestas sit à Deô: sicut qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: secundũ Apostolum Rom. 13. Ita qui mùrmurat cõtra eam, contra Deum dicitur murmurare: Gre. Qui contra superpositã sibi potestatẽ mùrmurat: liquet, quòd eum redarguit, qui eandem potestatem homini dedit. Et ideo dicunt Moyses, & Aaròn Exo. 17. Nõ est murmur vestrum contra nos; sed contra Dominum. Item hoc peccatum filios Israël transeuntes per desertum exclusit à terrâ promissionis, licèt eis promissa sit multotiens: Nu. 14. Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis in terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem. Sic etiam nunc excludit à regnô cœlorũ: Gre. Regnum cœlorum nullus, qui murmurat, accipit. Item hoc est peccatum, quod non solùm in futurõ; sed

sed etiam in præsenti Deus horribiliter punit, propter hoc enim Maria soror Moysi percussa est leprâ: Numeri 12. Propter hoc ignis divinitus accensus devoravit extremam partem castrorũ: Numeri 11. Propter hoc Dathàn, & Abiròn absorti sunt à terrâ viventes: Nu. 16. Propter hoc ignis eggressus à Dominô combusit ecl. viros: In eôdem. Propter hoc misit Dominus serpentes igniòs in populum, qui eos sùbitò occidebant: Num. 22. Item adulatio, mendacium, & multa similia non sunt sui diffusiva: Murmur autem valdè sui diffusivum est: quia sicut porcô grionìente, alij idem incipiunt: ita murmur unius facilè facit alios murmuràre. Ideo dicitur Num. 14. de illis, qui regressi de terrâ promissionis detraxerunt, quòd murmurantes reversi murmurare fecerunt contra Moysen omnem multitudinem. ¶ Item dicitur, quòd, cùm quidam volens ingredi religionem, quæreret à quôdam virô sanctô, quid esset ei faciendum, dixit ei: Tu, & asinus unum estòte: Asinus enim quando non habet, quid comedat, vel quãdo ei impònitur hoc, vel illud onus, nihil reclâmat, vel mùrmurat: ita & religiosus debet facere: Psal. Jumentum factus suam apud te: Per murmur ergò ponitur religiosus extra statum suũ: Ideo dixit Abbas Pastor in vitis patrum: Qui quærulosus est, mònachus non est: Ex quô patet, quòd murmur facit de mònachô non mònachum. Item dicit auctòritas, quòd hoc fuit proprium vitium

judæ-

Judæorum in desertô, in quô graviter, & frequenter offenderunt Deum, scilicèt murmurandô contra Moysen, & Aaròn. Hoc ergò vitium in desertô religionis illos, qui deberent esse perfectissimi Christiani, transfert ad statum infidelium Judęorum. Patet ex his, quàm detestabile sit vitium murmuris in claustris, cùm hoc sit spiritualis Dei offensa, à quâ summè debent cavère: exclusio à regnô, ad quod summè debent suspirare: occasio gravis, & subitæ vindictę, quam etiam omnes debent timere valdè: corruptio sociorum, quæ valdè est periculosa in congregatione: mutatio statûs religiosi in statum alium, quod est valdè horribile: imitatio judæorum, qui sunt à Dominô reprobati: quod est miræ insipientiæ. Ideo dicit Ber. Nihil sic horrendum, ut murmur in congregatione.

¶ *Circa secundum notandum*, quòd Dominus meliùs facit alicui creaturę suę, tempore unô, quâ aliô: & in eâdem specie meliùs interdum uni ejusdem speciei, quàm alij. Item natura quandoquè plura producit unô tempore, quàm aliô, & in rebus ejusdem generis plus interdum confert uni, quàm alij. Una enim arbor plures habet fructus unô annô, quàm aliô interdum: & plures una, quàm alia ejusdem generis: & sic de alijs. Item Domini mundi sic etiam faciunt suis: Interdum enim tempore caristiæ strictiùs provident, quàm tempore abundantiæ, & etiam strictiùs alijs, quàm alijs. Quan-

ta ergò abusio est, quòd religiosus requirat, quòd ita fiat sibi semper, sicut aliquando sibi factum est: vel sicut fit alij, & nisi hoc fiat, mùrmurat, & contendit: cùm nec Deus, nec natura, nec homines mundi hoc faciant illis, quibus habent providere? Nunquid non licet patri familias interdum facere, quod vult? Ubi est apud istos illa scientia Apostolica, quâ sciunt abundàre, & penuriam pati pro tempore? Nunquid est cõtra viscera pietatis, quòd mater ostendat interdum plus dilectionis uni filiorum, quàm alij: & eidem unô tempore, quàm aliô, causis varijs emergentibus? ¶ Non est ergò rationabile, quòd contendat aliquis, vel mùrmuret, si deteriùs accipit interdum unô tempore, quàm aliô, vel deteriùs, quàm alius; sed est defectus virtutis, ad quod cognoscendum induxit vir sanctus, cùm dicit: hinc vos probate.)

Cap. CXV.

CIrca hoc nota, quod est quartum notandum, quòd sunt aliqui magis curiosi de exterioribus, & majorẽ interdum dant operam ad sciendum defectum solis, & lunæ, quàm ad cognoscendum defectus animarum suarum: Agu. Per ipsam superbiam recedentes à te, & à tantô lumine tuô deficientes, defectus solis multô tempore ante prævident, & defectum suum in præsenti positum non vident.

Non

Non autem sic faciunt viri sancti; sed cura est eis multa de cognoscendô defectus suos. Unde rogat David dicens: ut sciam, quid desit mihi. Et hoc est utile valde. Pater enim familias, cùm nescit, quid desit in domô suâ, sivè vinum, sivè blandum, non cògitat de habendô: cùm autem scit, est sollicitus de procurandô. ¶ Porrò intrinseca hominis perpenduntur per extrinseca, hæc enim sunt, quæ annuntiant de homine. Murmur ergò, & contentio exterior indicant vacuitatem intrinsecam, sicut resonantia dolum: Item defectum unctionis intrinsecę, sicut rota carri murmurantis. Propter quod dicitur econtrariô de martyribus: Non murmur resonat, non querimonia, & hoc quia fuerunt pleni gratiâ, & uncti spiritusanctô. Hujusmodi verò gratiæ spirituales, quæ largè loquendô, quæcunq; sint, vocantur virtutes, dicuntur hàbitus interior animæ triplici de causâ. Coöperiunt enim turpitudinem peccatorum: sicut vestis òperit turpia hominis: Psal. Et quorum tecta sunt peccata, scilicèt per virtutes infusas cum remissione peccatorum. Item ornant, sicut vestis: Greg. Ornamenta cœlorũ sunt virtutes prædicantium. Item calefaciunt sicut vestis: Job 32. Nonnè vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerint austrô? Mùrmurans ergò, & contendens de habitu còrporis potest ex hoc perpèndere defectum interioris habitûs se habere: quia numquam sic murmuràret, nisi defectum interioris

virtutis haberet. Dicitur Esa. 53. de Christô propter patientiam ejus, quòd sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, cùm videlicèt auferentes ei vestes spoliaverunt eum. Cujusmodi ergò patiētiam habet, qui non ex eô, quòd auferuntur; sed ex eô, quòd non sibi pro suâ voluntate dantur, mùrmurat? Ipse Dominus voluit adeo suos depònere curam carnis, quòd noluit eos esse solicitos etiam de vèstibus: Mat. 6. Et de vestimentis quid soliciti estis? Quòmodò obsecro carent hujusmodi solicitudine, qui non cavent pro vestibus murmurare? Item secundùm Ber. Verus humilis non vult humilis prædicari; sed vilis reputari: Quòmodò ergò habent veram humilitatem, qui refugiunt malas, & pro bonis vestibus contendunt? Et hoc idem patet in multis alijs virtutibus. Constat igitur, quòd murmur prędictum indicium est manifestum defectûs virtùtum. Et ideò benè dicit: (hinc vos probate,) idest ex tali mùrmure, quantum vobis desit, in illô interiori sanctô habitu cordis, idest in virtutibus intrinsecis, qui pro habitu corporis litigatis.

TAmen, si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod posueritis, in unum tamen locum sub communibus custodibus habere, quod ponitis: ita sanè, quòd nullus sibi aliquid operetur; sed omnia opera vestra in unum fiant

majori

majori ſtudiô, & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſingulis propria faceretis. Charitas enim, de quâ ſcriptum eſt, quòd non quærit, quæ ſua ſunt, ſic intelligitur: quia communia propriis non propria communibus antepònit. Et ideo quantò ampliùs rem communem, quàm propria veſtra curaveritis, tantò vos ampliùs proficere noveritis: ut in omnibus, quibus utitur tranſitoria neceſsitas, ſuperemineat quæ permanet charitas.

¶ Hîc tradit mandatum circa veſtium operationem, quia verò poſſet credi, quòd, ſicut toleratur interdũ, quòd aliquis recipiat veſtes proprias, quas depoſuit, non quas alius depoſuit: ita proprium locum poſſet quis habere, in quô repòneret eas, vel faceret repòni, quod nequaquam eſt faciendum: Ideo dicit, quòd ſi & hoc toleretur; illud tamen non eſt tolerandum; ſed unô tantùm locô ſunt veſtes omnium reponendæ: & in communi omnia operanda. Secundò dicit, qualiter hujuſmodi opera communia facienda, ibi: (majori ſtudiô. &c.) Tertiò reddit cauſam illius modi, probans illum modum per auctoritatem, ibi: (Charitas enim) & per rationem, ibi: (& ideo &c.) Et ſic patet, quòd in hôc mandatô tria tanguntur, ſcilicèt ſubſtantia mãdati, & modus exequendi, & cauſa modi illius.

*** *** *** ***

Cap. CXVI.

NOtandum autem, quòd ex hôc, quod dicit: (vestra toleratur infirmitas) elicitur argumentum, quòd infirmitas fratrum est toleranda: sivè ipsi propter infirmitatem in aliquibus. Hinc est, quòd Apostolus dicit Ro. 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere: sicut scilicèt columnæ fortiores supportant cætera infirma domûs. Hinc est etiam, quòd dicit Bern. Tu, qui in congregatione vivis, benè vivis, si vivis socialiter, & post socialiter discas non solùm patienter; sed, & libens infirmitates aliorum portare, tàm morum, quàm còrporum. Hinc est iterum, quòd dicit Dominus de seipsô Oseę 11. Ego quasi nutricius Effraim portabam eos in brachijs meis. Sicut enim nutrix parvulum, qui facit ei multa tædia, & gravàmina, non pròjicit, sed sústinet omnia, ejus amore devicta: ita facit Dominus de nobis, & suô exemplô docet nos ita de infirmis alijs faciendum. Quid possunt ad hæc respondere illi, qui fratres onerosos propter infirmitates, vel mores aliquos graves non cessant ventilare procurandô crudeliter expulsionem eorum de domô in domum? Isti sunt, de quibus dicitur Ezech. 34. Cornibus vestris ventilabatis omnia pecora infirma. Isti, qui sic onus fratrum projiciunt, quòmodò òbsecrò implent legem

gem Christi, de quâ scriptum est Gal.6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi? Item si pes unus infirmatur, nonnè alius portat eum? Si, & quodcumquè membrum propter infirmitatē grave est alijs: nunquid propter hoc projiciunt eum alia membra, & non magis juvant, & supportant? Si autem in membris constituentibus unum corpus per naturam hoc fit: quantò magis debet fieri in membris constituentibus unum corpus per gratiam? ¶ Exemplum: Fuit Parisijs quidam civis dives, qui tenèbat secum capellanum quendam propter Deum: Cùm autem esset gravis moribus omnibus de domô: semel uxor cum filijs, & alia tota familia convenerunt, & rogabant Dominum, ut expelleret eum de Domô. Cùm autem quæreret causam, quare hoc petebant, dixerunt: Domine adeo gravis est iste homo, quòd nullus potest eum portare: Tunc ille dixit, si ita est, ergò si expellerem eum, moreretur fame: quia nullum inveniret, qui portaret eum: & ideo volo eum sustinere, nè moriatur fame. Si autem sic fecit homo secularis de tolerandô extrancô, quid faciendum est viro spirituali de fratre propriô? ¶ Exemplum: Quidam prior provincialis in ordine fratrum prædicatorum vir totus sanctitatis, & perfectionis quando invenichat aliquem fratrem valdè onerosum in aliquô conventu, & ex causis aliquibus expediebat eum transferri ad alium conventum, re-

cogitabat quos priores conventuales habebat, qui essent mutuùm viri spirituales, & charitativi, & ad aliquem illorum mittebat eum, insinuans, quòd talem fratrem mittebat ei, cum quô multum posset lucrari exercendô suam patientiam, & alias multas virtutes circa eum: Undè tanquam spirituali amico mittebat eum sibi pro magnô encæniô, ut multum super hôc deberet gaudere, & ei gratias multas rèddere. Item vidi ego priorem quendam conventualem, qui nunquam rogavit priorem provincialem, vel alios majores suos pro removendô aliquem fratrem onerôsum de domô suâ, licèt multos haberet tales. Immò, cùm ad fratrum suorum instantiam vellet provincialis aliquem fratrem talè de suô conventu removere, compatiens illi fratri dedit operam, ut dimitteret eum, æstimans quòd ipse, qui jam eum pleniùs nôverat, meliùs sciret tum portâre, quàm alij multi. Proinde patet, quòd bonorum virorum est supportare invicem infirmitates mutuas, quod, licèt fiat, tamen peccata, vel ea, quæ sunt in damnum religionis, nunquam sunt sustinenda. Undè Apoc. 2. dicitur in laudem Angeli Ephesi: Non potest sustinere malos, non dicit onerosos: quia si sint ônera mutua sustinenda: tamen malitiæ nunquam. Et ideo benè dicit vir sanctus: (Si vestra toleratur infirmitas) ut hoc recipiatis, quod posueritis, quod scilicèt est humanæ fragilitatis: non tamen est tolerandum, quòd sequestra-

ſtratim veſtes deponãtur: vel ſingulariter ſibi quiſquè circa hęc faciat aliquid operari : quia hujuſmodi ſingularitas nimìs derogàret bono charitatis, in quô maximè conſiſtit religio, & hoc eſt, quod dicit: (in unum tamen locum &c.)

Cap. CXVII.

ET notandum circa hoc, quòd reperiuntur interdum aliqui religioſi, qui ad òpera communia modò ſunt impotentes, modò negligentes, modò queruloſi, & triſtes, ad propria verò fortes, & diligentes, & læti, hoc eſt, quod in locô communitatis ſingularitatem indùcit: ſingularitatis enim eſt talia ſectari: Ber. Singularis ad omnia ſua eſt ſtrenuus, ad communia piger. Hoc eſt, quod ſervos Dei præparat ad periculoſa tèmpora Antichriſti, de quibus dicitur 1. Tim. 4. In noviſsimis diebus inſtabunt tèmpora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes: ex hujuſmodi enim amòre privatô procedunt iſta. Hoc eſt, quod charitatem, de quâ ſummè curandum eſt, deſtruit. Amor enim recìprocus non eſt charitatis: Greg. Nemo propriè ad ſe habere charitatem dicitur; ſed dilectio ſemper in alterum tendit, ut charitas eſſe poſsit. Hoc eſt iterum, quod naturæ contrariatur, ipſa enim omnia prodúcit ad utilitatem cõmunem: Tullius de offi. Præclarè ſcriptum eſt à Platone: Non nobis ſoli na-

ti

ti sumus, & post in hôc deberemus naturam sequi ducem, & communes utilitates in medium proferre. Item hoc est, quod poëticæ sententiæ adversatur Senecæ: Non potest quispiam benè vivere, qui se intuetur, qui omnia ad suas utilitates convertit; Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere. Item doctrinæ sanctorum repugnat: Nam dicit Gre. in regi strô: Nemo nostrum, neglectâ utilitate communi, sub lucrô prospiciat. Et Ambrosius: Qui perfectè sapit, nescit sua spectare cõmoda; sed ad illud, quod honestum est, totô affectu intendit: quærens non quod sibi utile est; sed omnibus. Et Ber. Dominus communi disciplinâ, communi vitâ, communibus studijs delectatur, usq; quò miser divertícula captas? Item hoc est contra mandata Apostolica, immó contra mandata prìncipum Apostolorum. Dicit enim Paulus ad Philipens. 2. Non quæ sua sunt singuli considerantes; sed quæ aliorum. 1. Pet. 4. dicitur: Unusquisquè, sicut accèpit gratiam, in alterutrum illã ad ministrantes. Item hoc est, quod facit à christi vestigijs deviare: propter quod econtrariô dicit Chris. Imitatores fieri Christi est, ad communem utilitatem omnia negotiantes, & non quæ sunt nostra quærentes. Item hoc est, quod ipsum hominem reddit sibi inùtilem: Ambrosius. Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Et post: Mihi crede: non videtur, qui inùtilis est omnibus, sibi ùtilis esse posse. Item hoc est, quod reli-

religionem destruit: Quantæ enim abbatiæ sunt, & temporaliter, & spiritualiter destructæ: quia relictis communibus bonis, vacaverunt multi suis proprijs cõmodis? Et ideo benè dicitur in Psal. Singularis ferus depastus est eam: id est vineam domini: quia hujusmodi singularitates religionem destruunt. Propterea ex adversô dicit Tullius: Præceptum est Platonis, ut qui reipublicæ prodesse volunt, ad utilitatem civium sic vehantur: ut quæcumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum. Quia ergò tot mala sequuntur in religione, cùm relictis communibus singuli vacant proprijs: benè dicit vir sanctus: Ut omnia in unum fiant studiosiùs, & alacriùs, quàm propria: quia hoc requirit charitas, & cedit ad profectum majorem. Si enim multum meretur charitas uni serviens, quantò magis qui servit multitudini magnæ?

CONsequens ergô est, ut etiam, cùm quis filijs suis, aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus in monasteriô constitutis aliquâ contulerit vestẽ: sivè quodlibet aliud inter necessaria deputandũ: non occultè accipiatur; sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur, quòd si aliquis rem sibi collatam cœlaverit, furti judiciô condemnetur.

¶ Secundùm distinctionem supra positam, tradit hîc mandatum circa collatarum vestium receptionem.

nem. Et notandum, quòd, sicut omnia operà circa vestes debent fieri in communi: ita & vestes collatę debent poni in communi: Et ideo infert à simili dicens: (Consequens ergò est &c.) Et hæc est ratio mandati, quę primò ponitur. Secundò ponitur ipsum mandatum continens tria, scilicèt quid cavendum in recipiendo, scilicèt occultatio: Et ideo dicit: (Non occultè) & cætera. Quid faciendum de receptis, scilicet quia ponenda in præpositi potestate: & ideo dicit: (sed sit &c.) Quate faciendū sit: & ideo dicit: (ut in rem communem redactum) Tertiò ponitur pœna trangressiònis hujus mādati, cùm dicitur: (quòd si aliquis) Potrò utilitas mandati consistit in tribus. Unum est, quòd quicquid religioso alicui òbvenit, in cōmuni ponatur: Aliud est, quòd positum in communi, non cuiquè; sed cui necesse fuerit, prębeatur: Tertium, quòd cœlantes, quæ sibi collata sunt, ut fures puniendi sunt.

Cap. CXVIII.

CIrca primum notandum, quòd illud requirit fraternitas spiritualis: Aug. Melior est fraternitas Christi fraternitatè sanguinis: Illa enim inter se communia dividit cum æmulatione: Hæc autem sua communicat cum gratulatione. Item hoc requirunt jura, quę volunt, quòd quicquid acquirit re-

religiosus, quod ei debetur, vel aliô modô quôcumque òbvenit ei, totum cedat in jus communitatis. Item natura hoc monstrat in quibusdam animalibus viventibus in communi, ut sunt formicæ, quę quicquid elabòrant in granis colligendis, totum ponunt in comuuni. Item ad hoc faciendum confortat nos Chrys. in sermone dicens: Omne quod nostrum est, tunc nostrum magis erit, si sit nobis commune cum fratribus. Item dicit Amb. super Lucam: Volatilibus cœli id circò sine labore pabuli usus exùberat, quòd fructus ad communem escam speciali sibi quôdam nescium vendicare dominatu. Quod si sic est de victu, eâdem ratione est simile de vestitu: cùm de utrôque illorum similiter Evangelium loquatur. Ex quô patet, quòd ex hujusmodi communicatione sequitur etiam temporalis abundantia. Item dicit Seneca: In hôc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me res ulla delectabit, licèt sit eximia, & salutaris, quam mihi uni sciturus sum. Ideo si laudabilius videtur in philosophô rem quamcunque communicare, quàm sibi retinere, sicut scientiam, quantò magis in religiosô?

Cap. CXIX.

CIrca secundum notandum, quòd sunt quidam, qui dispensandô bona communia, non attendunt

dunt interdum indigentias fratrum; sed personas, dum cõferunt illis, qui non indigent, & indigentes relinquunt inanes. Contra illam dispensationẽ dicitur: Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Isti sunt, sicut hortulanus, qui terram aquosam rigat, & àridam dimittit. Quò contra dicitur Esa. 35. Et erit àrida in stagnum: & sitiens in fontes aquarum. Isti sunt, sicut mèdicus, qui valentibus confert medicìnam, & relinquit malè habentes, contra quod dicitur Ezech. 34. Quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum, consolidabo. Sunt etiam isti, sicut ille, qui super faciem pòneret vestem, quæ non indiget, & posteriora, quæ indigent, nuda dimitteret, contra quod dicitur 1. Cor. 12. Quæ putamus ignobiliora esse mẽbra corporis, his honorem abundantiorem circùndamus, non est illud opus misericordiæ, quæ miserias respicit: & ideo dicitur misericordia quasi miseris dans: & ideo in disceptatione de operibus misericordiæ non dicitur: Saturatus fui, & non dedistis mihi manducare: vestitus fui, & non operuistis me, & sic de alijs: Matth. 25. Item non est hoc officium charitatis, ipsius enim est curare ad necessitates fraternas. Unde 1. Joan. 3. Qui habúerit substantiam mundi, & vìderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eô: quòmodò charitas Dei manet in eô? Item non est istud fidelitatis: quòmodò enim esset fidelis dispensator hos-

hoſpitàlis, qui egenis neglectis, bona hoſpitàlis ipſius in ſuis familiaribus largè expenderet? Sic faciebat Judas, qui bona egenorum aſportabat, & expendebat in ſuos. Cùm ergò religio ſit hoſpitale Dei, quòmodò ab infidelitate poſſunt ſe excuſare, qui ſimilia faciùt in eà? Ber. Ubi nec neceſsitas, nec utilitas eſt, non fidelis eſt diſpenſatio.

Cap. CXX.

CIrca tertium notandum, quòd res collata dicitur cœlari tribus modis. Unô modô, cùm pònitur in aliquô locô occultô, animô occultandi: Qui autem ſic faciunt, ſunt ſicut corvus, qui ponit denarium, vel alias res interdum in locô occultô ad cœlandum. Aliô modô quandò quæritur res, & non propalatur: ſicut Rachèl fecit Gen. 31. Quæ ſcrutanti patri ſuo Labàn cœlavit idòla ſua. Aliô modô, quando tempore opportunô, ſeu debitô non oſtenditur: ſicut dicitur fur, non ſolùm qui rem furripuit; ſed etiam qui furtum non manifeſtat tempore opportunô. Ita non dicitur ſolùm cœlare rem receptam, qui ponit in occultô, & qui non prodit quærenti; ſed etiam qui non revèlat tempore ſcrutinij in religione, vel ſi morosè dètinet, & non oſtendat, cui eſt oſtendenda. Verùm, ſi quis religioſus rem collatam accipiat ſine licentiâ; ſed tamen propoſitô oſtendendi, & petendi licentiam ſi

nè

ne morâ: quàmvis non sit hoc sine culpâ, non est tamen dicendum propter hoc solum cœlare rem collatam, nisi aliquod de tribus prædictis interveniat.

¶ Porrò religiosus, qui rem collatam cœlat, justè dicitur fur: quia rem non suam; sed communitatis, & invitò Dominò, scilicet illò, ad quem pertinet dispensatio, cùm de ejus ratihabitione non præsumitur, pertractat occultè: quę tria constituere solent furtum proprie acceptum, & ideo est puniendus. ¶ Et sciendum, quòd triplici pœnâ puniendus est fur secundùm scripturam: Una est confusio, & hoc quò ad animam, cujus est verecundia: Eccl. 5. Super furem confusio: Alia est redditio rei furatæ: Exod. 22. Quod si furtò ablatum fuerit, restituet damnum Domino: Tertia punitio corporalis: Josuè 7. Non ero vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.

Cap. CXXI.

INdumenta vestra secundùm arbitrium præpositi laventur, sivè à vobis, sivè à fullonibus: nè interiores animæ sordes contrahat mundæ vestîs nimius appetitus.

¶ Hoc est septimum, & ultimum mandatum circa vestium necessitatem, scilicet de lotione earum, de quâ quidam sub specie sanctitatis possent nimis curare, ideo tradit mandatum præsens continens

tria

tria circa lotionem vestium. Unum est, quòd laventur, cùm dicit:(Indumenta vestra) Aliud à quô laventur, cùm dicit:(sivè à vobis, sivè à fullonibus.) Tertium quando laventur, cùm dicit: (secundùm arbitrium præpositi), & addit causam dicens: (nè interiores animæ sordes &c.)

¶ *Circa primum nota*, quòd non solùm spiritualis; sed etiã carnalis munditia placet Deo: Exo. 23. Ipsi lavent vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. Item homines quodàmmodò naturaliter horrent sordes in cohabitantibus: propter quod personarum acceptores paùperi introeũnti ad se in sordidô habitu dicunt illud Jaco. 2. Tu sta illìc. Item sicut nimius splendor in veste sapit vitium: ita, & sordes. Unde Seneca: Non splendeat toga, nec sordeat. Cùm ergò religiosi frequenter altare habeant eorum Dominô: & continuè cum alijs conversandô, & ad cavendum vitiosa, invigilare: curandum est eis de vestium munditiâ, & propter Deum, & propter semetipsos, nè vitium incurrant: propter quod benè dicitur eis:(Indumenta vestra lavent.) Sed quia sunt aliqui, qui dedignantur hoc facere in propriâ personâ: addit:(sivè à fullonibus) condescendendô infirmitati eorum. A vobis verô dicit: quia potiùs à fratribus est faciendâ semper, vel saltem frequenter. Et hoc tribus de causis. Primô propter vitandum infirmorum scandalum; interdum enim in vestibus maximè, quæ carni adhæ-

rent inveniuntur immunditiæ, etiam quæ accidunt sanctis in somnis, quasi res pudendæ sæcularibus, & maximè semper mulièribus. Religiosorum est enim tanquam perfectorum cavere etiam à licitis propter scandalum infirmorum. Secundò propter majus præmium: Meritum enim surgit ex ôpere propriô, non alienô: quia unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem: secundùm Apostolum. Tertiò propter humilitatis exemplum, ut sanctus Martinus etiam famulo serviebat. Hinc est etiam, quòd in religionibus approbatis, ipsimet lavant scutellas, pedes, capita: nec per extraneos permittunt ista fieri. Novi ego quendam, qui in sæculô magnę fuit auctoritatis, & vanitatis, qui factus frater, observatâ horâ, & acceptâ aquâ, ibat per càmeras mundans sedes deturpatas Quid autem mirum si hoc faciunt homines Deum timentes, cùm ipse filius Dei lavit pedes discipulorum? Non debent ergò aliqui dedignari in religione, si imponitur eis, ut lavent indumenta. Et si aliquando per fullones ista fiant: tamen per lotrices mulieres nunquam est faciendum.

Cap. CXXII.

Lavácrum etiam corpori, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur.

¶ Traditis mandatis circa vestium necessitatem, tra-

tradit mandatum circa necessitatem infirmitatum: Sunt autem quatuor, quibus interdum indigent infirmi: Unum est balneum, circa quod hic tradit mandatum, continuans lavacrum corporis cum lavacrô vestium: Aliud est medicina, circa quod tradit secundum mandatum ibi: (fiat sine murmure) Aliud est itineratio, quam oportet interdū ad balnea, vel ad alia loca subire, occasione infirmitatis, circa quod tradit mandatum ibi: (Nec eant ad balnea) Aliud est provisor, qui de eis curam gerit solicitam: circa quod tradit quartum mandatum ibi: (Ægrotantium cura &c.) ¶ Nota, quòd quidam religiosi nunquam utuntur balneis pro quâcumque necessitate. Tum, quia reputant hoc fœmineum, Exo. 20. de Pharaònis filiâ: Tum quia reputant nimis verecundum: cùm non possit fieri sine denudatione; pudicæ verò mentes sic erubescunt hujusmodi nuditatem, quòd non solùm coram alijs: sed nec etiam soli possunt eam sustinere: propter quod religiosi jacent vestiti: Tum quia reputant hoc pœnitentiæ posteritati Adę impositę contrarium: non est improbandum; sed venerandum: præcipuè, cùm Hiero. de illustribus viris, in laudem magnam beati Jacobi dicit: quòd nunquam balneis fuit usus. Verùm beatus Augustinus, sicut beatus Benedictus humanius agens, non prohibet balnea; sed concedit: tamen cùm multò temperamentò, quia non pro-

pter lasciviam: nec ut abstergantur sordes; sed propter infirmitatem. Ideo dicit: cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur) innuens, quòd non concedatur nisi pro solâ infirmitate, & quæ adeo sit gravis, quòd cogat: & usque ad petitionē infirmi, vel medici potest differri.

¶ *Quare medicinalia, & qualiter sint ministranda religiosis.*

Cap. CXXIII.

Fiat sine murmure de consiliis medicinæ, usquè medicus consulatur.

¶ Hoc est secundum mandatum penes necessitates infirmitatum, quod tradit circa medicinalia: quod continet tria: Mandat enim, quòd provideatur infirmis de medicinalibus, scilicèt quando ars medicinæ hoc cònsulit: ideo dicit:(Fiat de consiliō medicinæ) Item qualiter, ideo dicit:(sine murmure) Item quōmodò diversimodè circa diversos est habendum, & hoc est, quod dicit:(ita quod etiam si nolit &c.) ¶ Nota, quòd quidam religiosi ex magnō sanctitatis fervore non curant uti medicinalibus, reputantes carnalitatem, & imitari volentes beatam Agatham, quæ dixit: Medicinam carnalem nunquam corpori meo exhibui: sed non sunt ideo reprobandi, qui utuntur. Ezechias usus est medicinâ, scilicet Esa. Prophe. 38. cāp. Item Tobias de con-

consiliô angeli 10.ca. Item Eccl. 38. Altissimus creavit de terrâ medicinam. Sunt autem tria, quæ incitant ad subveniendum fratri in medicinalibus: Primum est natura compassionis: Si unum membrum patitur, compatiuntur ei cætera membra: Secundum communis utilitas, quæ impeditur durante infirmitate: Tertium mercèdis expectatio: Mat. 25. Infirmus fui, & visitastis me: quantò magis gratum habet, si prouideatur factô? ¶ Nota etiã, quòd infirmitas est occasio humanæ fragilitati facilè murmurandi de ipsâ infirmitate: &, cùm super infirmitatem àdditur defectus remediorum, facilius mùrmurat. Et ideo boni prælati est liberaliter providere infirmis, etiam si alia causa non esset, ut auferatur ab eis causa murmurãdi: Exemplô Moysi, qui rogavit Dominum, ut daret aliquam aquam miraculosè filijs Israël, ut vel sic cessarent à mùrmure: Num. 20. Item sunt aliquì prælati, qui & si interdũ hoc faciant: tamen faciunt cum difficultate, & tristitiâ, & quasi murmurandô, & sic multum diminuitur de meritô suô: quia hilarem datorem diligit Deus. Et ideo vir sanctus volens omne murmur excludere, dicit: (fiat sine mùrmure) scilicèt ægrotantium, ministrantium, & assistentium. ¶ Nota etiã, quod aliqui præ fervore sanctitatis contemnunt medicinalia: aliqui nimis curant: aliqui verò frequenter allegant se infirmos, primi sunt compellendi, cũ eis expedit: ideo dicit: (ita ut etiam si nolit &c.)

Secundi non sunt audiendi, cùm eis non expedit; ideo dicit: (Si autem velit &c.) Tertijs in parte est credendum de infirmitate, in parte non, scilicèt de medicinalibus; sed medicus est consulendus. Ideo dicit: (denique si latens est.) ¶ Nota etiam circa primos, quòd qui nimis volunt jejunare, & refugiunt recreationes, sivè medicinas, & hujusmodi, non est eis acquiescendum: Primò nè religiosus, qui propriæ voluntati renuntiavit, in eâ nutriatur, quia ex hôc solet confundi religio: Prover. 29. Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam, scilicèt religionem, in quâ quilibet debet esse puer sub virgâ disciplinæ. Secundò nè jumentum corporis sui, quod non solùm suo, sed communitatis servitio deputatum est, inutile reddatur: Psal. Fortitudinem meam ad te custodiam: Hiero. De rapinâ holocaustum offert, qui, vel ciborum nimiâ egestate, vel somni penuriâ corpus immoderatè affligit. Tertiò nè inducatur singularitas ad religionẽ, quæ ipsam devastat Psal. Singularis ferus depastus est eam. Quartò nè cura corporis, quæ tradita est alij, auferatur, cùm vult religiosus corpus suum regere secundùm voluntatem suam: Bern. Qui vestri curam semel nobis commisistis: quid rursus de vobis intromittitis? Quintò ratione superbiæ, quæ oriri solet ex his: ut patet in pharisæô, qui jejunavit bis in sabbathô, & reputavit se majorem publicanô: Ber. Quæ major superbia, quàm ut homo

mo toti congregationi judicium præferat, tanquã ipse solus spiritum Dei habeat? Sextò quia hujusmodi sacrificium minus acceptum est Deo: Ber. Si in die jejunij invenitur voluntas vestra, non tale jejunium elegit sponsus: nec sapit illi jejunium, quod non lilium obedientiæ; sed vitium propriæ voluntatis facit. Econversô, cùm prælati sint patres, medici, & rectores subditorum, non debent satisfacere eis in carnalibus, cùm non expediat: prohibitum est enim homini, nè curam carnis propriæ faciat in desiderijs. Et secundùm August. Plus debet diligere quilibet animam proximi, quàm carnem: Sed carnalia desideria sunt contra animam: igitur &c. Benè ergò dicit: quòd si velit aliqua medicinalia, & non expediunt, suę cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur, quod delectat, ut patet de pomô, quod Eva comèdit, de eduliô lentis Esaũ, de escâ piscis in hamô, de vinô splendente in vitrô. Nec etiam omni spiritui credendum est de infirmitate. Et ideo benè dicit (famulo Dei dicenti, quid sibi doleat.) Nam sunt quidam, qui ex his, quæ in eis videntur, apparent verì servì Dei. Sicut dicitur de Simplicianô, qui apparebat Augustino verus servus Dei, & lucebat in eô gratia divina. Signa servorum Dei sunt servire Deo die, ac nocte, voluntariè, humiliter, & devotè obedire prælato in his, quæ nõ sunt contra Deum, vel regulam: quærere bonum com-

mune, & non privatum, ędificare proximum verbô, & exemplô. Tali famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.

Cap. CXXIII.

NEc eant ad balnea, sivè quòcunque ire necesse fuerit, minus quã duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquó eũndi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit, ire debet.

¶ Hoc est tertium mandatum, quod tradit circa itinerantes, quod interdum requirunt aliquæ infirmitates, & hujus occasione ampliat mandatum ad omnem itinerationem, quâcunque necessitate fiat. Sunt autem hîc duo mandata. Primum est circa societatem in viâ habendam semper. Secundum est circa modum habendi socium, ibi: (Et ille) De primô multa sunt dicta circa hoc mandatum: (Quando proceditis.) ¶ Sed nunc quæritur, utrum prælatus possit dare licentiam eũndi solitarie? R. quòd ex causâ rationabili, licet hoc rarò, & non sine magnâ causâ faciendum. Nam decretalis Inno. dicit, quòd abbas nõ potest dispensare in votô paupertatis abdicatæ, sicut nec in votô continentiæ: quia sunt de substantiâ ordinis. Ex hôc habetur argumentum à contrariô sensu, quòd in his, quæ non sunt de substantiâ ordinis, potest dispensare, & tale est illud. ¶ Circa secundum nota, quòd frater itinerans non

debet

debet assumere propriâ voluntate socium; sed secundùm arbitrium præpositi. Primò propter bonum obedientiæ, ut in domò obedientiæ omnia secundùm obedientiam fiant. Secundò propter discretionem, quia prælatus, qui omnia nòscere debet, animas jumẽtorum suorum scit meliùs de hôc ordinare. Tertiò propter commune bonum, quia fortè assumptus erat in conventu pro communitate necessarius. Ad hoc docent nos exempla sanctorũ: Moyses descensurus in Ægyptum, assumpsit Aaròn sibi à Dominô datum: Exod. 3. Mariæ peregrinaturæ provisum est de Josèph, jubente Angelô: Mat. 2. & sic de alijs multis: prælatus verò, qui habet de sociô providere, cum multâ cautelâ debet hoc facere, Si enim itineraturus est minus religiosus, numquam debet ei associare nisi virum sanctum, ut cum eô proficiat in sanctitate, juxta illud: Cum sanctô sanctus eris: Si minus prudens, assignet prudentem, ut ille discat: Proverb. 13. Qui cum sapientibus grãditur, fit sapiens, si verò sit jùvenis, difficilè debet ei cõcedi, quòd eggrediatur, vel si oportet, assignetur ei grandævus: debili fortis detur: facili ad peccandum numquam est concedendum, quòd vadat cum aliô, vel alius cum eô. Item duo superbi non benè junguntur: quia unus nescit se alteri humiliare, & ideo de facili se conturbant: Proverb. 13. Inter superbos semper jurgia sunt. Nonne hæc tentatio invasit discipulos Domini, de quibus

bus dicitur, quòd inter se disputaverunt in viâ, quis eorum esset major? Quantum ergò timendum est alijs magis dispositis ad superbiam? ¶ Porrò ad hoc, quòd aliquis sit socius amàbilis, valere solent ista: Primò amor: Seneca: Si vis amari, ama. Secundò mansuetudo: Ecc. 3. Fili in mansuetudine opera tua fàcito, & super gloriam hominum diligèris. Tertiò affabilitas: Eccles. 21. Sapiens in verbis amàbilem se facit. Quartò supportatio fraternæ infirmitatis, quò ad infirmitates morum, & corporum. Ista ponit Bern.

Cap. CXXX.

POst hæc notandum, quòd, sicut sunt aliqui inepti ad societatem aliorum: ita sunt aliqui, qui laborant hôc vitiô, quòd vix potest inveniri socius, qui eis placeat. Isti sunt, qui quandoque refùtant alios, qui solent esse custòdes fratrum diligentes, & eorum defectus non tacère. Isti sunt similes infirmis, qui nolunt habere medicos, qui eorum infirmitatem videant, & remedium apponant, contra hos dicit Bern. ad Eugenium: Contubernàles tuos habeas, qui vitæ tuæ custòdes sint, & testes. Si autem hoc faciendum est Papę, quòmodò minores audent hoc renùere? Quandoque verò refùtant alios timore peccati: tìment enim fragilitati suæ, nè cum eis incurrant peccatum aliquod impatientiæ, vel iracundię, & hujusmodi. Sed ipsi debent confide-

fidere, quòd propter bonum obedientiæ Deus custodiret eos, nè intrarent in tentationem, si forte invàderet. Item quandoque refutant alios ratione majoritatis volentes magis præesse, quàm subesse sociô. Sed contra hoc est exemplum Christi, qui fugit, nè præficeretur in regem: Joan. 6. Subjectus tamen voluit esse parentibus: Lu. 2. hoc etiam idem voluit observari in discipulis: Mat. 22. Quicunque volùerit inter vos major fieri, erit minister vester. Item quandoquè ratione inflexibilitatis: sunt enim aliqui, qui ambulantes in suâ propriâ voluntate, & sensu, non possunt trahi ad aliorum voluntatem. Isti nolunt socios, nisi quos possunt ducere ad suam voluntatem. Sed contra hos est vitium propriæ voluntatis, quod valdè reprehensibile est in religiosô. Item quandoquè ratione delictorum: sunt enim proni aliqui ad culpas committendas: Sed sicut aliquando bonus Angelus deberet deserere peccatorem, quod non facit: sic boni viri non debent abhorrère societatem malorum; sed potiùs, sicut medici debent eis assistere in spe melioratiouis. Sene. Illos tecum admitte, quos meliores facere posses. Item quandoquè ratione religionis: sunt enim aliqui, qui viris valdè religiosis nolunt adjungi, similes illis, qui Sap. 2. dixerunt: Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius: & tales sunt stulti, quis enim indigens non vadat potiùs ad abundantes domos, quàm ad vacuas? Indi-

gens

gens fructibus non vadat potiùs ad arbores plenas, quàm ad steriles? Unde viris magnæ religionis debemus nos diligenter adjùngere, ut de plenitudine eorum accipiamus. Ex jam dictis tria eliciuntur, scilicet, quòd prælatus debet esse discretus in associando subditos, & quòd omnes debent se socios exhibere, & quòd nullus debet sibi assignatum socium refutare.

¶ *De diligentiâ circa infirmos.*

Cap. C XXVI.

AEgrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sivè aliquâ imbecillitate, etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipse de cellariô petat, quod cuiquè opus esse prospèxerit.

¶ Hoc est mandatum, quòd quartò tràditur circa necessitates infirmorũ, quod versatur circa specialem curam, quę est exhibenda eis: nam quando non assignatur specialis provisor infirmis, in multis negliguntur: quia communis provìsor non sufficit. Item, cùm non ministratur de communi infirmis competenter, datur occasio multis reservandi aliquid pro infirmitatis necessitate, quod sapit proprietatem, si fiat etiam sine periculô proprietatis de licentiâ. ¶ Porrò ad habendam magnam curam de infirmis fratribus, sicut hic tangitur, mul-

ta

ta movent fratres, & maximè prelatos. Primum est miseria: inter omnes enim miserias, ad quas solet se extèndere misericordia, nulla est adeo afflictiva. Item nulla facit ita impotentem hominem ad relevandam suam miseriam. Item nulla miseria est, quæ non faciliùs relevari possit. Præterea religiosus propter Christum reliquit sua, de quibus poterat subveniri in infirmitate, reliquit, & seipsũ, qui sibi pòterat, illis deficientibus, aliqua procurare, quod modò non potest sine alterius voluntate. Quanta ergó impietas esset, si illi, qui hoc pro Christô reliquit, Vicarius Christi, & servi Christi non adhiberent curam solicitam in suâ infirmitate? Christus enim exemplar nostrum non legitur tantam curam habuisse de aliquibus miserijs, sicut de infirmis: non enim legitur vestijsse nudos, recepisse hòspites, visitasse incarceratos: famèlicos legitur recreasse; sed rarò: de infirmis verò legitur curam diligentem habuisse, modò confortandô, dicens: cõfide fili, modò tangendô propriâ manu etiam lepro sum, modò erigendô, modò plenè sanandô. ¶ Item hoc est proprium officium prelati: ipsi enim, sicut boni pastores debent curam gerere de ove egrotante. Nè dicatur eis illud Ezech. 34. Quod infirmum erat, non consolidastis. Item sunt mèdici, cujus est magis curare de infirmis, quàm de sanis: Matth. 9. Non est opus medicus valentibus; sed malè habentibus. Item sunt matres; Sed heu quidam præ-

lati

lati suâ duritiâ implent illud Threno. 4. Manus mulierum miseri cordium coxêre filios suos: Quia dum debent esse misericordes ad subditos suos, duris operibus nimis vexant eos, quasi carnes in lebete. Non est hęc natura mulierum erga infirmos: immò ipsę sunt, quæ curam majorem habere solent de infirmis: Eccles. 36. Ubi non est mulier, ingemiscit æger.

¶ *De mutuô servitiô fratrum.*

Cap. CXXVII.

Sivè autem qui cellario, sivè qui vestibus, sivè qui cocicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.

¶ Sicut dictum est in initiô quarti capituli regulæ: Hîc incipit trâdere officiales circa servitium fraternarum necessitâtum. ¶ Et est notandũ, quòd officiales quandoquè offendere solent in modô serviendi, scilicet, quando servitium faciunt cum mûrmure, quandoquè in modô distribuendi res ad suũ officium pertinentes: circa primum trâditur hîc mandatum, circa secundum postea, quando dicitur: (Cõdices certâ horâ &c.) ¶ Circa mandatum præsens nota, quòd quædam sunt necessitates circa spiritualia, ut libri circa studium: Quædam circa temporalia, & hæc circa duo præcipuè, scilicet circa

vic-

victum, & vestitum: Et secundùm hæc, scilicèt tria, distinguit tria genera officialium, dicens: (sivè qui cellario) quò ad victum: (sivè qui vestibus) quò ad secundum, scilicèt vestitum: (sivè qui codicibus) quò ad studium: Et idem intelligendum est in alijs officialibus, scilicèt, quòd serviant fratribus suis, & hoc sine mùrmure faciant. Ex hôc mandatô eliciuntur tria: Primum est, quòd officiales sunt in monasteriô constituêdi circa diversa diversi, dicés: (sivè qui cellario, sivè qui vesti. &c.) Secundum, quòd fratres debent sibi invicem servire. Tertium, quòd sine mùrmure. Primum faciendum est à prælatis propter semetipsos, ut ipsi meliùs vacent spiritualibus, quæ magis ad eos pertinent, cùm circa necessitates proximorum alij pro eis occupantur. Exemplum autem sic faciendi reliquerunt Apostoli, qui constituerunt ministros, qui vacarent mensis, ut dicitur Act. 6. Considerâte fratres viros ex vobis boni testimonij, plenos spiritusanctô, & sapientiâ, quos costituamus super hoc opus, nos verò orationi, & ministerio verbi ministrantes èrimus: & inde laudabilem modum constituendi officiales, non enim subitò; sed cum deliberatione, & consiliô constituerunt eos. Considerate inquiunt, quasi deliberate, habete consilium. Item non cum consiliô extraneorum; sed suorum: unde dicunt: Fratres vos, qui estis, scilicet, fratres nostri. Item non constituerunt ad hoc sexum muliebrem,

sicut

ficut permittitur alicubi, quòd vetulæ cognatę ser viunt aliquibus, quod abhominabile debet esse apud religiosos: ideo dicunt: viros. Item non extraneos, sicut fit in quibusdam monasterijs, in quibus sæculares constituuntur: ideo dicunt: ex vobis. Item non quoscunque viros; sed boni testimonij: unde addunt: plenos spiritu sancto, & sapientiâ. Officiales enim propter alios debent esse famosi: quia habent occasiones multas peccandi, nisi sanctitas eos retrahat, & ideo debent esse sancti. Quia verò habent dispensare multa, quæ sine sapientiâ benè fieri non possunt: requiritur in eis sapientia. Item faciendum est hoc propter subditos, quia sic eis servitur sufficientius. Exemplum de Moyse, qui ad consilium Jetro divisit onus suum in plures, ut meliùs servire pòpulo sufficeret. Item faciendum est propter ipsius religionis exigentiam, in quâ omnia debent fieri ordinatè. Multum autem valet ad confusiones evitandas, quando diversi in diversis serviunt, & scit officium suum unusquisque, sicut fuit in curiâ Salomonis, de quâ scriptum est 3. Reg. 10. quòd regina Sabbà videns ordinem, scilicet in curia ejus, non habuit ultra spiritum. ¶ Item ad secundum debet movere exemplũ Angelorum, qui (ut ait Apostolus) omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi. Exemplum virginis Mariæ, quę, licèt puella tenera, & prægnans, ascendit in montana cum festinatione ad serviendum Eli-

Elisabeth: Luc. 1. Maximè autem exemplum Jesu Christi, qui, cùm in habitu regio non posset servire hominibus, accepit formam servi, ut in ipsâ nobis serviret. Egò autem, inquit, in mediô vestri sum: sicut qui ministrat Luc. 22. Nec debet apud religiosos esse consuetudo, quòd sæculares eis præsentialiter serviant, discalciandô, pedes lavandô, & similia facientes: Et hoc triplici de causâ, Primò quia hoc sapit sæcularitatem quandam: Secundò propter infirmitatem sæcularium, qui possent videre multa, quamvis licita apud viros sanctos, in quibus scandalizarentur, si assisterent eis in hujusmodi servitijs. Tertiò propter periculum infamiæ: lingua enim sæcularium multùm lùbrica est; & de facili apud extraneos deferrent âliqua, quæ vident, & augent frequenter. Et ideo sibi invicem servientes non debent recipere sæculares ad sua servitia: nisi fortè interdum à longè in coquinâ, sutoriâ, & in similibus, quæ in absentiâ eorum fiunt. Ad hoc facit exemplum Christi, & Apostolorum, qui nusquàm leguntur hujusmodi famulos habuisse.

¶ *Circa tertium verò* notandum, quòd quidam, licèt interdum serviant fratribus suis; tamen hoc faciunt cum mùrmure similes dæmonibus exeuntibus ad mandatum Domini; sed cum clamore. Item sunt sicut rota, quæ faciendô servitiũ, alios inquietat: Eccles. 32. Præcordia fatui, quasi rota carri. Et benè dicitur fatuus: quia, & opus fatui facit, &

mercede se privat. Item facit sicut cocus, qui in cibô, quem parat, ponit fel.

¶ DE STUDIO.

Cap. CXXVIII.

Codices certâ horâ singulis diebus petantur, extrahoram qui petierit, non accipiat.

¶ Sicut errant officiales serviendô cum murmure, ita errant interdum dispensandô indebitè. Et ideo hîc tradit mandatum circa secundum, in quô erratur dupliciter, aut quando datur, quod dari non debet: aut quando non datur, quod dari debet. Circa primum tràditur hîc mandatum in speciali cum materiâ circa libros, circa secundum tràditur ibi: (vestimenta verò, & calceamenta) Porrò intentio hujus mandati est, quia amore studij in libris, aliqui religiosi interdum dimittunt orationes, vel divinum officium, vel alia ad observantias regulares pertinentia, quod est reprehensibile, propter quod dicit: (Còdices certâ horâ singulis diebus petantur) Ex hôc mandatô eliciuntur quinquè, scilicèt, quòd libri procurentur, vel habeantur, quòd habiti diligenter custodiantur, quòd custoditi in usum ponantur, quòd religio propter studium non negligatur: quòd tales recipiendi sunt ad ordinem, qui ad studium habeant aptitudinem.

¶

¶ LIBRI PROCURENTUR.

Cap. CXXXI.

CIrca primum nota, quòd ſapientia cœleſtis eſt ſicut fons, qui de cœlô venit per canàle librorum: Eccleſ. 24. Ego quaſi aquæductus exivi de Paradisô: quaſi dicat, ad modum aquæductûs veni per ſcripturam librorum. Sed heu: ſunt aliqui religioſi, qui magnam ſolicitudinem ponunt, & magnas expenſas faciunt ad habendum aquæductum, per quem veniat fons aquę materialîs in domum ſuam, ad purgandum ſordes corporeas, ad irrigandum hortos, ad commoditates multas habendas per ſingulas officinas, & de conductu ſapientiæ cœleſtis, per quam ſordes peccatorum purgantur, corda ad omne bonum proferendum irrigatur, parum curant. Non ſic dicitur de Sàlomône, qui non ſolùm ſuper omnia temporalia; ſed ſuper ſalutem, & omnem pulchritudinem, ſeu ſpeciem corporis diligens, & æſtimans ſapientiam, ſicut dicitur Sap. 7. deprecatus eſt Dominum dicens: Mitte illam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit. Item auctoritates, quæ ſumuntur de verbis ſacris, ſunt quaſi arma, quibus, & defendimus nos, & impugnamus inimicum. Cùm religio ſit domus regis: ibi ſemper debet eſſe armatorium, in quô inveniantur hujuſmodi

modi arma. Constat etiam, quòd arma prædicatoris sunt auctoritates sũptę de libris, juxta illud: Gladius spiritûs, qui est verbum Dei. Item religio est quasi castrum obsessum à dœmonibus, ubi necessaria sunt duo, scilicèt: arma, & victus. Item dicit Magister in historijs: Et Vincentius in Speculô historiali: quòd Ptolomæus studiosus, & librorum cùpidus Demetrium bibliothècæ suæ præfecit, cùmquè inquisisset numerum librorum ab eô, respondit 20. millia adesse, hic non contentus libris gentilium, audiens in Judæâ libros esse legis, petivit septuagintaduo interpretes, scilicèt de unaquâque tribu sex, ut de hebræô in græcum transferrent: quod, ut faciliùs obtineret: 120. millia judęorum, qui in regnô suô erant servi, restituit libertati, dans pro capite Dominis eorum 120. drachmas argenti. Plato etiam fuit tantus amator librorum, quòd, sicut Hjero. ait, scribens mortuus est. Sed (proh dolor!) quidam religiosi plus curant de ædificijs corporalibus, quàm de libris, quibus ædificantur mores. Non fuit talis Augustinus, qui tot libros propriô labore composuit. Et sic voluit à professoribus suæ regulæ fieri, cùm velit eos studère quotidie certâ horâ, & ad hoc libros petere: quod esse non potest, nisi habeantur.

¶ DE CUSTODIA LIBRORUM.

Cap. CXXX.

CIrca ſecundum nota, quòd apud quoſdã, qui diligenter cuſtodiunt caſeos à muribus, poma, & pyra à putrefactionibus, veſtes à tineis: ita malè cuſtodiuntur libri ſacri, quòd modò per irreverentiam in eorum manibus viliter deturpantur: modò per negligentiam amittuntur: modò per incuriam deſtruuntur: quod eſt valdè reprehenſibile. Hujuſmodi enim libri ſunt res ſacræ. Quod ſic patet: dicit Magiſter in hiſtorijs, & Vincentius in Speculõ hiſtoriali, quòd, cũ Ptolomęus prędictus vellet dare ôperam, ut libri legis divinæ ſibi transferrentur: Demetrius librarius ſuus dixit: quòd hoc opus non pòterat fieri niſi per cultores Dei, dicens: quòd Tiopontius, cùm hiſtorijs ſuis, quas ſcribebat, voluiſſet eos insèrere, verſus eſt in amentiã per dies triginta, Theodoctus quoque pro eâdem causâ cæcus eſt factus. Ex quõ patet magna ſanctitas librorum legis divinæ, propter quam ſic punivit Deus eos, qui indignè tractaverunt. Item Deuter. 21. Moyſes pręcepit deuteronomiũ poni in arcâ cum mannà, & virgâ, rebus miraculoſis. Et beatus Franciſcus, quando inveniebat aliquam cèdulam in terrâ, in quâ erat ſcriptum nomen Jeſù,

elevabat illam cum magnâ reverentiâ, & ponebat in locô honestô. Certè iste thesaurus non est vilis; sed pretiosissimus: Sap. 7. Divitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparavi illi làpidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Cum maximâ ergò diligentiâ libri sunt custodiendi, in quibus talis, & tantus thesaurus continetur.

¶ DE USU LIBRORUM.

Cap. CXXXI.

CIrca tertium nota, quòd, licèt quidam habeant libros, & benè custoditos; tamen rarò, vel numquàm legunt in eis. Dicitur, quòd Rex Franciæ Ludovicus, cùm quidam religiosi ostenderent ei libros pulchèrrimos, dixit eis: Bonum esset, quòd essent magis deturpati: notans, quòd parum legerent in eis. Isti similes sunt avaro, qui habet multas divitias, de quibus nunquam cômedit. ¶ Legitur de beatô Gregô. quòd, quamquam quotidianô languore tabèsceret; tamen propter hoc non dimittebat, quin lègeret, vel scribèret vel dictàret. Vide Hjero. quantum se fatigavit in scripturis, ut in stratô suô jacens funiculô ad trabem appensô erigeretur. Augustus. Palatum febricitantis habet, cui mel

mel cœli insipidum est, & vocat mel cœli dulcedinem sacræ scripturæ. Item scripturæ sunt quasi speculum, in quô recognoscit quis semetipsum. Et ideo, sicut Dominæ magnæ quotidie semetipsas respiciunt in speculô: sic,& sancti in scripturis. Gre. Scriptura sacra oculis mentis, quasi speculũ quoddam oppònitur,& interior nostra facies in ipsâ videtur,& feda nostra,& pulchra nostra agnoscimus. Item sentimus quantum proficimus, & à profectu quantum distamus. Item in scripturis sacris sunt consolationes multæ, ad quas confugiunt viri sancti in tribulatione positi. Item quia anima non invenit plenitudinem in aliquâ re, delectatur varijs: Et ideo viri sancti utuntur varietate òperum spiritualium, quæ sunt cibus animæ, sicut carnales varietate ferculorum: Unde sanctus Augustinus supra dixit:(orationibus instate) & nunc dicit:(Còdices certâ horâ singulis diebus petantur.) Hjero. Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Item libri aliarum scientiarum, licèt illuminent intellectum;non tamen accẽdunt affectum; divini verò libri utrumquè faciunt secundùm Isido. Sic igitur patet, quòd lectio sacra valet ad fructuum productionem, ad cœlestis desiderij inflammationem, ad cavendum dæmonum insidias, ad sui cognitionem, ad commorandum cum Deô, ad animæ refectionem, ad salutaria remedia, ad consolationem in tribulatione, ad spiritualem delectationem, ad

carnalia desideria reprimenda. Hiero. Ama sacras litteras, & carnis delicias non amabis. Propter has igitur utilitates studendum est frequenter in libris à professoribus beati Augusti. certâ horâ.

¶ DE UTILITATE STUDII IN ordine prædicatorum.

Cap. CXXNII.

NOtandum verò, quòd, licèt omnibus religiosis expediat libenter legere, tamen fratribus prædicatoribus magis incumbit, & hoc propter utilitatem, quam assecutus est ordo eorum, & assequitur ex studiô. ¶ Prima est prærogativa quædam super alios ordines: Cùm enim omnis religio sit bona, & studium sacrum bonum sit: hoc illi additum facit magis bonum. Sicut Chèrubim, in quibus non solùm quiescit Deus; sed splendet (quia interpretatur plenitudo scientiæ) est super Thronos, in quibus quiescit: ita & ordo cum scientiâ præfertur illis, in quibus est sola sanctitas, quæ est locus Dei. Et hanc prærogativam confert scientia per studium: Proverb. 4. Accipe illam, scilicèt scientiam, & exaltabit te. ¶ Secunda bonarum personarum acquisitio: Multæ enim personæ numquàm venissent ad prædictum ordinem, nisi esset ibi studium, & multæ venientes tenues, factæ sunt per studium

dium valdè magnę. ¶ Tertia major devotio mundi: quia ad perſonas litteratas majorem devotionẽ ſolent habere, & exhibère eis honorem: Sap. 8. Habebo propter hanc, ſcilicèt ſcientiam, claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores. ¶ Quarta eſt fructus ad alios, qui major poteſt fieri per ſapientes, quàm per ſimplices, licèt ſanctos: Hiero. Sancta ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt: non ſic autem docta juſtitia: immò ad juſtitiam erudit plúrimos. ¶ Quinta eſt debitum ſuſtentationis, quod magis debetur ſeminanti ſpiritualia: quod fit per ſcientiam, quàm quieſcenti in domó: Apoſtolus: Si ſpiritualia vobis ſeminamus, non eſt magnum ſi carnalia veſtra metamus, & poſt: Ordinavit Dominus his, qui Evangelium annuntiant, de evangeliô vivere. ¶ Sexta eſt victoria tentationú: Plus enim valet ſapientia ad vincendum, quàm vires, & ideo multi ſuccumbunt in bellô diàboli in multis peccatorum generibus propter ſcientię defectum: Sap. 7. Sapientia vincit malitiam. ¶ Septima eſt informatio interioris hominis: Regulæ enim, & ſtatuta informant in religione exteriorem hominem in mòribus; ſed ſacræ ſcripturę interiorem: Sap. 8. Sobrietatem, & prudentiam doçet, & juſtitiam, & virtutem, quibus in vitâ nihil melius eſt hominibus. ¶ Octava eſt evitatio errorum, quos multi incurrunt: ut in ſimonijs, & alijs hujuſmodi: Pſal. Nóſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambu-

bulant. Hoc non àccidit scripturas scientibus: Psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. ¶ Nona est sustentatio infirmitatis, multi enim infirmi corruunt: quia non habent appodiamentum: Studium verò est ad sustentandum infirmitatem. Unde Plato: Litteras infirmo animo, sicut baculum infirmo, repertas constat. ¶ Decima fortificatio ad labores: Multi propter defectum cibi deficiunt in laboribus viarum; sed sacrum studium, per quod masticatur panis verbi Dei, corrò-borat: Psal. Panis cor hominis confirmet. ¶ Undecima occasio proficiendi in omni bonô: quantum enim homo prôficit in charitate, tantum proficit in omni bonô: Cognitio verò Dei, quę plus, & plus habetur per studium, facit proficere in ejus dilectione, quantum enim agnoscis, tantum diligis. ¶ Quis est, qui noverit statum prædicatorum, qui nesciat has utilitates proveniſſe? Ideo ordinis illius amatores solent pro studiô promovendô zelare non modicum.

¶ DE STUDIO PHILOSOPIÆ.

Cap. CXXXIII

CEd quid de libris philosopicis? respondeo, quòd quidam fratres omninò sunt inepti ad proficiendum in illis, quidam verò apti; sed non multum: quidam

dam verò habent aptitudinem magnam ad illa, & ſperatur magnus fructus circa divinam ſcripturā. Primis nullô modô permittendum eſt, ut ſtudeant in talibus. Secundis eſt concedendum aliquid; ſed rarò. Tertijs verò ſunt laxandæ habenæ circa ſtudium hujuſmodi propter multa utilia. Unum eſt fidei defenſio, ſicut hæretici, & pagani impugnāt fidem: ita & quidam per philoſophiam. Propter quod dicit Apoſtolus Col. 2. Videte, nè quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Sicut autem non poteſt ſe defendere à fallacijs, qui nihil novit de illis: ita nec à talibus philoſophantibus, qui nihil novit de philoſopiâ. Unde Julianus apòſtata contra Chriſtianos legem dedit: (ut legitur in eccleſiaſticâ hiſtoriâ) nè liberales artes audirent. Aliud eſt deſtructio errorum eorum: Apud homines enim ſunt errores multi, & veritates multæ, ſicut in ſerpente venenum, & theriàca. Et ſicut theriàca eſt efficaçior omnibus alijs contra venenum: ita & veritas contra errores eorum: quoniā veritates fidei ipſi non recipiunt. Inde eſt, quòd Auguſtinus in librô de civitate Dei oſtendit, quòd Plato, & Porphirius quædam dixerunt, per quæ error eorum de reſurrectione corporis cõvincitur. Plato dicit animas ſine corporibus nõ poſſe in æternum vivere. Porphirius dicit animam purgatiſſimam, cùm redibit ad patrem, nunquam ad hæc mundi mala redituram eſſe. Ponatur uterque verum

rum dicere, sèquitur, quòd redibit ad corpus; sed non miserum: quod dicit fides de resurrectione. Tertium est intelligentia scripturarum. Innumerabilia enim sunt in textu, in glosis, in originalibus sanctorum, quæ impossibile est intelligere sine aliquâ scientiâ philosophicâ: Et ideo spolijs ægyptiorum ditantur hebræi. Quartum est fidei corroboratio. Sunt enim multa apud eos ad fidei confirmationem multùm valentia. Quintum est acuitio ingenij ad sciendum sacram scripturam: ferrum enim ferrô acùitur. Sextum est ordinis honor: Multi enim religiosi contemnũtur, quia sunt ignari. Septimũ est philosophicæ scientiæ contemptus: multi enim, qui non noverunt ea, quę sunt apud philosophos, rèputant ea majora, quàm sint. Et postquàm ea noverunt, non sapiunt eis in comparatione ad theologiam. Propter ista ergô potest concedi studium philosophicum. Sed cavendum est, nè cuilibet concedatur: Sunt enim in illis libris quædam bona, & quædam mala: sicut in hortô herbæ quædam bonæ, quædam malę. Bonum est, quod dicit Aug. se legisse in libris Platonis: licèt non eisdem verbis: In principiô erat verbum, & verbum erat apud Deum: Malum est, quod legitur apud eos de revolutione circulari in annô magnô, & similia multa: & ideo non est tutum cuilibet lègere; nisi sciat discernere hoc ab illô: nè fortè colligat herbas malas pro bonis. Exemplum in Ecclesiasticâ

histo

hiſto. de Dionyſiô Epiſcopô, cui reprehenſo à fratribus, quòd legebat libros hæreticorum, apparuit viſio dicens: Lege omnia, quæcunque veniunt ad manus tuas: quia omnia probare, & diſcèrnere potes. Ex quô relinquitur, quòd his, qui neſciunt benè diſcernere, non eſt ſecurum mixta bonis, & malis lègere: nè fortè bonum cum malô còlligant. Ideo dicit Theòphilus: Lector Origenis ita bonũ carpat, nè ſpinam attingat.

¶ *CONTRA ILLOS, QVI NEGLIGVNT religionem propter ſtudium.*

Cap. CXXXIII.

CIrca quartum nota, quòd ſunt quidam, qui propter inordinatum ſuum amorem dimittunt interdum ea, quę ſunt religionis, modò in ſcribendô, modò in audiendô, modò in legendô, & in alijs hujuſmodi ad ſtudium pertinentibus multipliciter ſe occupandô, ſic adhærent ſtudio, quòd etiam obedientiam poſtponunt: ſimiles primis parentibus, qui inſtigatione diabolicâ propter appetitum ſcientiæ inobedientiam incurrerunt. Contra quos eſt illud celebre, & præclarum exemplum Marci monachi, qui ad vocem abbatis eum vocantis, in auditu auris obediens, reliquit imperfectam litteram, quam ſcribebat. Cùm igitur tota religio conſiſtat,

vel

vel in obedientiâ ad majores, qui sunt locô Dei, vel in sanctis affectionibus quò ad proprium animum, vel in fraternis obsequijs quò ad proximum, quæ omnia hujusmodi inordinatus amor studij impedit: patet, quoniam, qui hujusmodi sunt, religionem propter studium relinquunt, quod est multum reprehensibile. Nam scientia sine virtute multa mala committit occasionaliter. Multa enim sunt, quæ non sunt peccatum nescienti, quæ sunt peccatum scienti: cùm non facit ea, & scit facienda: Jaco. 4. Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi. Item àggravat peccata: Gregorius: Ubi majus est donum scientię, transgressor majori subjacet culpę. Item conservat in peccatô. Proprium est enim sapientum, illud, quod faciunt, licèt malum, per scientiam suam defendere. Item indùcit superbiam: Apostolus 1. Cor. 8. Scientia inflat. Item indignationem facit ad alios, quos dèspicit: Eccles. 1. In multâ sapientiâ multa indignatio. Item indùcit ad hæresim: non enim simplices; sed studiosi hæresim confixerunt: 1. ad Tim. 6. quam, scilicèt scientiam profitentes circa fidem excidèrunt. Item per abusum vèrtitur in malum: Bernar. Quidam scire volunt, ut sciant, & ambitiositas est, quidam autem ut sciantur, & vanitas est, quidam ut ditentur, & cupiditas est. Item scientia in futurô accusabit côram judice: Hujusmodi enim scientes portabunt litteras, quæ ostendent eos inexcusabiles de ignorantia

rantiâ : ſicut lex Moyſi accuſat judæos : Joan. 5. Et Moyſes, qui vos accuſat, ideſt lex Moyſi: unde ſequitur : De me enim ille ſcripſit. Item obligat ad rationem arctiorem reddendam, eó quòd plus datum eſt illis : & creſcentibus donis, rationes creſcunt donorum ſecundùm Grego. Item facit reum majoris pœnæ : Luc. 11. Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Item in præſenti decipit : multi enim ex ſcientiâ, quam habent, innitentes prudentiæ ſuæ, æſtimantes ſe ſapientes, ſtulti fiunt, & multas ſtultitias faciũt: Eſa. 47. Sapientia tua, & ſcientia tua hæc te decèpit. Item citò poteſt quis bonus fieri; ſed cum magnô labore ſcientia vix poteſt haberi: Eccleſ. 1. Qui addit ſcientiam, addit laborem. Item multi ex amore ſcientiæ ſeneſcunt in ſtudiô: & nihil boni inde faciunt in vitâ ſuâ: Pſal. Corrupti ſunt in ſtudijs ſuis. Ex prædictis patet, quòd non eſt aliquatenus religio, quæ eſt ad virtutem, propter ſtudium, quod eſt ad ſcientiam, negligenda. ¶ Notandum verò, quòd quædam ſunt reprehenſibilia circa ſtudium religioſorum, quædam circa libros eorum, quædam circa auditores, quædam circa lectores, quædam circa ſcriptorum factores, quędam circa diſputatores, quæ omnia annexa ſunt ſcientiæ, & èxpedit cognoſcere, ut caveantur: quia non poteſt vitari malum, niſi cognitum. Si autem ſcientia dimittenda eſt propter religionem, multò magis iſta, quæ

ſunt

sunt reprehensibilia circa scientiam.

¶ DE REPREHENSIBILIBVS circa studium.

Cap. CXXXV.

CIrca primum sciendum, quòd quidam interdum volunt scrutari per studium ea, quæ non per rationem naturalem, vel scripturam divinitus inspiratam sunt patefacta, quæ potiùs sunt admirãda, quàm investiganda secundùm illud Apostoli ad Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientię, & scientię Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Contra quos dicitur Eccles. 3. Altiora te nè quęsieris &c. Alij sunt, qui se occupant circa quædam reprehensibilia magis, quàm utilia. Contra quos Seneca dicit: Quid te torques, & màceras circa illam quæstionem, quam subtilius erat contempsisse, quam solvisse? Alij sunt, qui in nullâ re certâ student; sed sicut qui vadunt spatiandò per diversa loca: ita, & ipsi per diversos libros vagantur. Contra quos dicit Seneca: Vide nè lectio authorum multorum, & omnis generis voluminum aliquod vagum habeat, & instabile. Alij sunt, qui legendò, sic velociter transeunt omnia, quòd vix capiunt aliquid de sententiâ. Et ideo nunquàm proficiunt. Nam se-

cun-

cundùm Catonem: Legere, & non intelligere est negligere. Alij sunt, qui intelligunt; tamen non retinent, & ideo parum eis prodest, sicut cibus comestus, nec retentus in stomachô. Contra quod dicit Hiero. Divinæ scripturæ jugiter in mente volvantur. Alij sic illaqueantur dulcedine quâdam scientię, quòd omnia alia prætermittunt, licèt meliora. Alij, licèt crescant in scientiâ; tamen in opere parum, aut nihil. Contra quod dicitur Phil. 1. Hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientiâ, & in omni sensu, quia quantò major est sensus, & scientia in homine: tantò plus debet abundare in operibus charitatis. ¶ Exemplum: Quidam religiosus venit Parisios ad audiendam Theologiam, & primâ die, quâ ingressus est scholas, fuit lectio de illô mandatô: Diliges Dominum Deum tuũ ex totô corde tuô, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum, sicut te ipsum. Regressus ad hospitium fecit parari equos ad repatriandum. Cùm autem super hôc ad mirantes socij quærerent causam, quare tam citò recedere vellet? ait illis: Propòno cum Dei adjutoriô dare operam ad faciendam istam lectionem, & sufficit mihi tantum scire de Theologiâ omnibus diebus vitæ meæ. Unde bonorum est ex parvâ scientiâ multum facere, non ex multâ parum. Alij sunt, qui sic insipienter student, quòd nec finem alicui ponunt in studiô. Contra quos dicit Hiere.

18. Dirigite ſtudia veſtra, ſcilicet ad finem debitũ, quod eſt ad gloriam Dei, ſalutem propriam, ædificationem proximi.

¶ DE REPREHENSIBILIBVS circa libros.

Cap. CXXXVI.

CIrca ſecundum nota, quòd circa libros eſt reprehenſibilis nimia pretioſitas, & maximè in libris religioſorum, qui maximè debent prætendere paupertatem: Hiero. Vult còdices, non tam pulchros, quàm emendâtos. Item falſitas, quę multùm impedit profectum in ſcientiâ: Aug. de doctrinâ Chriſtianâ: Codicibus emendandis priùs debet invigilare ſolertia eorum, qui ſcripturas divinas noſſe deſiderant. Item multitudo: Sunt enim quidam, qui habent libros ſufficientes omnibus diebus vitę ſuę: & adhuc non ceſſant cumulare libros, & inutiliter conſevare: in quibus quandoquè nunquam legunt. Item nimia confidentia in libris: propter quam quidam nihil ſciunt, aut parum: quia nihil ponunt in corde, confidentes, quòd in libris ſuis inveniant omnia. Contra hos eſt verbum Pyrhagoræ dicentis: Cave, nè armarium doctius habeas, quàm pectus. Item reprehenſibilis eſt nimia affectio ad li-

libros, propter quod multi mala incurrunt: Ex hoc enim accidit, quòd, quando non habent, sunt molesti super hôc prælatis: cùm habêt, nolunt alijs mutuare: cùm ab alijs in aliô maculantur, graviter perturbantur: cùm auferuntur, ferunt impatienter. Horum occasione cum scriptoribus litigant: pro his acquirendis amicis, & familiaribus precibus importunis instant, & alia quædam committunt, quæ numquàm fierent, nisi in eorum excederent amore. Non tale reliquit nobis exemplum beatus Dominicus, qui adhuc sæcularis necessarios libros vèndidit, & indigentibus pretium distribuit.

¶ CIRCA AVDITORES.

Cap. CXXXVII.

CIrca tertium nota, quòd quædam sunt reprehensibilia circa modum auditorum: quædam circa negligentiam audiendi: quædam circa recusationem magistrorum aliquorum. ¶ Porrò circa modum auditorum sciendum est, quòd aliqui sunt, qui sic sunt tepidi circa lectiones, quòd propter modicum laborem retrahuntur, ut si longè oporteat ire eos, vel intemperiem aliquam sustinere, & hujusmodi. Contra hos pòterit surgere in judiciô regina Austri, quæ, licèt delicata, & tam nobilis, tamen venit à finibus terræ audire sapientiam Salò-

mônis: 3. Regum 10. Alij sunt, qui, licèt audiant lectiones; tamen rarò, quia discontinuant, & ideo non possunt proficere, quia lectiones sic dependent ab invicem una ex aliâ, quòd amissâ unâ, amittitur intellectus alterius, & ex unâ intelligitur alia frequenter: sicut dicit Augustinus, & Prover. 8. Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie. Alij continuè lectiones; tamen ita tardè veniunt, quòd magnam partem lectionis amittunt. Contra quos dicitur Jaco. 1. Sit omnis homo velox ad audiendum, Alij sunt assistentes; sed dormitant, vel corde vagantur, ita quòd non intelligunt. Contra quos dicitur in Evangeliô: Audite, & intelligite. Alij sic prolixitatem fastidiunt, quòd finem lectionum nequaquàm expectant. Contra hos est devotio Judæorum ad lectionem legis: Hester 9. Esdras à primâ luce usquè ad vesperam legebat coram viris, & mulièribus, & dederunt sensum ad legem. Alij de dubijs nunquàm interrogant. Quô contra dicitur de Christô: Audiente illos, & interrogante. Quod constat eum fecisse, ut nos doceret interrogare. Alij sunt, qui de auditis nihil rètinent corde, nec rèpetunt, nec cònferunt, nec scribunt. Contra hos dicitur: Audi Israël præcepta Domini, & ea in corde tuô, quasi in libro scribe. ¶ Sciendum iterum, quòd aliqui dimittunt studium propter causas, quæ sunt ex parte Magistrorum. Aliqui enim aliquos fugiunt propter malam vitam, quod non expedit.

Et

Etsi enim mala faciant, mala tamen non audent dicere: Aug. Audiuntur utiliter, qui utiliter non agunt. Aliqui propter insufficientiam; sed nonne nô est pauperis famelici reccurrere ad reliquias, quæ dantur in domô divitis? Alij propter contemptum personæ, cùm est juvenis, vel aliter contemptibilis. Contra hos dicit Sàlomon: Sapientiam discendam a formicâ Prover. 6. Quantò persona contemptibilis: tantò tua humilitas, & major, & pretiosior. Exemplum in vitis patrum: Quidam frater jejunavit per septem hebdomadas rogans Deum, ut revelaret ei quoddam verbum de scripturis obscurum, quod, cùm non fuisset ei revelatum, posuit se in viâ, ut iret ad quendam fratrem, ut quæreret ab eô sermonem illum. Et ecce obviavit ei Angelus dicens: Septem hebdômadę, quas jejunasti, non meruerunt, quod petebas, nunc autem, quia humiliatus es, ut pergeres ad fratrem, missus sum indicare tibi sermonem; &, indicatô sermone, recessit.

¶ CIRCA DOCTORES.

Cap. CXXXVIII.

CIrca quartum nota, quòd circa doctores, quò ad actus eorum, est reprehensibilis inordinatus appetitus Magisterij. Ascensus enim ad Magisterium obligat doctorem ad multa, de quibus opor-

oportebit reddere rationem : Jac. 2. Nolite plures fieri magistri, fratres mei, scientes, quòd majus judicium sumitis. Item refutatio officij est pertinax in eô, qui habet sufficientiam: oportebit enim eum reddere rationem de talentô abscôditô: Greg. Secretum quietis diligunt, secessum contemplationis petunt, de quibus si districtè judicentur, proculdubiô tenentur quantis, venientes ad publicum prodesse potuerunt. Item nimia intermissio lectionum, quæ multùm nocet cordi humano, cùm enim sit aridum, quotidie rigandum est: Luc. 19. Erat quotidie docens in templô. Item circa ea, quæ docent, reprehensibilis est dubietas. Non enim sola erronea, & falsa cavenda sunt in doctrinâ; sed etiam dubia secundùm Aug. dicentem: Tene certum, & dimitte incertum : Apostolus ad Tit. 2. Tu autem lòquere, quæ decent sanam doctrinam. Sana doctrina dicitur, quæ non potest esse occasio alicujus morbi. Item inutilitas. Et ideo dimissis curiosis, vacandum est utilibus. Item improportionabilitas. Nam secundùm Greg. secundùm capacitatem auditorum formandus est sermo doctorum, exemplô Pauli, qui parvulis dabat lac; inter perfectos verò loquebatur sapientiam. Item circa modum est reprehensibile, cùm quis non sententiam sanctorum sèquitur; sed suam in exponendô voluntatem : Hjero. ad Paulinum: Vitiosissimum genus docendi est depravare scripturas, & ad voluntatem

suam

ſuam trahere renitentem. Item involutio verborum: prudentis enim doctrina facilis eſt. Unde dicitur Job 38. Quis eſt iſte involvens ſententias? Itē immoderantia: Sunt enim aliqui nimis prolixi: aliqui nimis breves. Contra quod Hiero. Nimia prolixitas ònerat ſenſum legentium: Et immoderata brevitas præſcindit ſtudioſorum deſiderium. Item iterum aliqui ſunt nimis tardi in pronuntiandò: alii qui nimis velòces. Poſtremò reprehenſibile eſt in doctore ſuper omnia morū defectus, propter quod dicit Apoſtolus: Qui alium doces, teipſum non doces. Tantò enim turpiores appàrent deformitates morum ſuorum, quantò lumen ſcientiæ eggrediens de ore ſuò ea de viciniori manifeſtat.

¶ CIRCA DISPVTATIONEM.

Cap. CXXXIX.

DImiſſò quintò membrò diviſionis ſuperiùs factæ: circa ſextum nota, quòd triplex eſt diſputatio, ſcilicèt: Scholaſtica, Eccleſiaſtica, & Extraordinaria. Scholaſtica eſt, quæ in ſcholis magiſtrorum fit ad indagationem veritatis. Circa hanc diſputationem multa interdum àccidunt reprehenſibilia. Unum eſt nimia audacia: quia ſcilicèt aliqui minus ſufficientes aperiunt os ſuum. Aliud eſt nimia taciturnitas ex nimiâ puſillanimi-

rate, vel nescio quâ humilitate, vel pigritiâ providendi, vel timore alicujus confusionis, sivè alijs de causis, aliqui nunquam oppònunt, vel respondent in scholis. Et tamen est tempus loquendi, & tempus tacendi: Hjero. Disciplina Pytagoricorum est per quinquennium tacere. Tertium est ostentatio, allegandô aliquos ignotos Philosophos. Quartum appetìtus vincendi: Sunt enim aliqui, qui ad modum puerilem plus intendunt vincere disputandô, quàm veritatem reperire. Quintum est pertinacia, quæ est, quando aliquis, postquam incepit adhærere alicui sententiæ, sivè vera, sive falsa sit, nunquàm avelli potest ab eâ. Sextum est perturbatio, quæ appàret in modô loquendi, & in gestibus inordinatis: quæ specialiter vitare debet religiosus. Septimum multitudo verborum, præcipuè cùm invanum proferuntur. Octavum nimia inquisitio rei, cùm plenè non possit veritas sciri de multis in præsenti. Item sunt aliqui, qui videntes aliquos disputare, statim se immiscent, sicut canes, qui videntes alios canes rixantes, statim juvant unum, quod est stultitiæ signum: Prover. 18. Labia justi non miscent se rixis, contra quos prudentis est hoc cautè declinare: ad Titum 3. Contentiones devita. Item sunt alij, qui non solùm immiscent se; sed totam disputationem alijs auferentes, sibi assùmunt, Prover. 26. Sicut qui apprehendit auribus canem: sic qui transit impatiens, & commiscètur rixis alterius.

rius. Hęc enim natura eſt canîs apprehenſi per aurem, quòd ſi rixatur cũ alijs, ſtatim dimittit alias rixas, & inſurgit in apprendentem ſuam aurem, & rèmanet tota rixa inter eos ſolos. Item quidam adeò ſe clamosè habent in diſputandô, quòd non videntur eſſe de diſcipulis illius, de quô ſcriptum eſt Mat. 12. Non contendet, neque clamabit, neque audietur in plateis vox ejus. Item ſunt aliqui, qui inutiles ſuſcitant diſputationes, ut de lanâ caprinâ, & hujuſmodi. Item quidam de non pertinentibus ad ſe, ut de guerris prìncipum. Unde rex Franciæ quibuſdam monachis dixit: Miſeri monachi estis legere pſalmum veſtrum, quid habetis vos intromittere de negotijs, quæ ſunt inter nos reges? Erat enim guerra inter regem Angliæ, & Franciæ, de quâ illi diſputabant. Sunt etiam aliqui malitioſi, qui intendunt hominem cãpere in ſermone, vel confundere oſtendendô ignorantiam ejus, vel ad irreligioſitatem ipſum provocandô. Et ideo valdè cavendum eſt de talibus: Prover. 24. Non cõtendas cum homine pèſſimô.

¶ DE CAUTELA CIRCA RECIPIENDOS.

Cap. CXL.

REstat prosequi de quintô notabili, quod deducitur ex istô mandatô: (Codices) Nam recipiendos convenit esse tales, quòd ea, quę sunt in codicibus, intelligant competenter, cùm in eis quotidie legere dicantur secundùm illud mandatum. Sciendum igitur, quòd regulariter cavendum est, nè personæ minus sufficientes recipiantur in ordine prædicatorum. Cùm enim fit contrariū, fit interdum, quòd hujusmodi personæ graves tentationes incurrunt, cùm vident se non posse facere, quod socij sui faciunt, sivè in prędicandô, sivè in consulendô, & similibus, propter quod prohibitum fuit in lege Deuter. 22. Nè aretur in bove, & asinô: quia asinus non potest facere propter debilitatem, quod facit bos. Et ideo in tali societate gravarentur. Item sequitur ex hôc periculum non mòdicum animarum, cùm oportet interdum tales expòni ex quâdam necessitate ad ea, quæ alij faciunt circa animarum salutem: Et ideo cùm sint cœci, & cœcos ducunt, ambo in foveam cadũt. Item sequitur òrdinis contemptus. Sicut enim propter personas venerabiles ordo veneratur: ita propter

pter contemptibiles contemnitur. Item multi magni viri propter hoc resiliunt à propositô veniendi ad ordinem. Item sèquitur ruina ordinis subtractis lapidibus grâdibus : sicut dicitur de domô supra arenã fundatâ Mat. 7. ¶ Sed sciendũ, quòd plus, & minus oportet hoc observare pro tempore, & locô: quia, sicut in fundatione Ecclesiæ Dominus dedit viros magnos, scilicet Apostolos: ita in fundatione ordinis à principiô solet inspirare viris magnis, ut ad eorum fundationem intrent hujusmodi homines, quales post lapsum temporis non ingrediuntur : Et ideo nisi reciperentur minus sufficientes, nulli reciperentur pro locô: quia aliquæ sunt regiones, quæ non abundant in personis multùm sufficientibus : & ideo oportet in illis minus sufficientes recipere, & postea enutrire diligenter : Nã & in fundatione humàni generis Deus primos parentes fecit perfectos ætate, & scientiâ : Sed postmodum oportebat, quòd ipsi, & successores eorum laborarent circa filios ad producendum eos ad perfectum. Sic etiam fecit Christus in principiô Ecclesiæ dans magnos viros, quos ipsemet perfecit scientiâ, & virtutibus; sed pòstmodum oportuit, quòd Ecclesia magnam curam appòneret ad habendum similes successores : sicut etiam faciunt ædificantes. Non enim expectant semper, quòd apportentur eis lapides expoliti, & ligna levigata; sed hujusmodi elaborant, ut faciant apta operi suo.

¶

¶ DE NECESSARIJS SINE MORA ministrandis.

Cap. CXXXXI.

VEstimenta verò, & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodiâ sunt, quæ poscuntur.

¶ Ex hôc mandatô tria eliciuntur: Primum est, quòd ministri cavere debent, nè prótrahant moram in eis, quæ tradenda sunt. Propter quod dicit: (dare non differant.) Secundum est, quòd hoc restringendum est ad necessaria tantùm, quia aliâ nec peti debent, nec tradi: Et ideo dicit: (quando indigentibus fuerint necessaria.) Tertium est quoddam notabile circa horum custodiam: cùm dicit: (sub quorum custodiâ sunt, quæ poscuntur.) Circa primum nota, quòd ad officiales tria pertinent, ut faciant benè sua officia. Primum est, ut ea faciant diligenter, propter quod dictum est supra: (Omnia autem opera vestra in unum fiant majori studiô, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis faceretis propria.) Aliud est, quòd serviant sine mùrmure: Et ideo iterum dictum est supra: (sine mùrmure serviant fratribus suis.) Aliud est, quòd tradant tradenda. ¶ Nota circa primum principale,

cipale, quòd non debet Dei servus esse morosus in tradendis necessarijs fratribus, & hoc propter fratrem, nè eum affligat, propter se ipsum, nè servitij sui gratiam amittat: nè apud Deum minus meritum habeat: quia secundùm Greg. Cor Deus, non substantiam pensat, nec perpendit quid in ejus sacrificiô, sed ex quantô proferatur. Et Prov. 3. Nè dicas amico tuo: vade, & revertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.

¶ DE SUPERFLUITATE cavenda.

Cap. CXLII.

CIrca secundum notandum, quòd, licèt circa omnia cavenda sit superfluitas viris religiosis; tamen magis circa vestimenta, & calceamenta. Narravit Magister Jordanus, me audiente, quòd, cùm duo religiosi familiares valdè in Deô condixissent, ut, qui priùs moreretur, rediret ad alterum, & diceret ei de statu suô: Contigit autem unum præmortuum redire ad alterum: Videbatur autem viventi, quòd ille mortuus in claritate magnâ esset à cingulô supra, & inferiùs in magnâ obscuritate: Et, cùm quæreret à defunctô, quid hoc esset: quia credebatur continens fuisse: Non est inquit propter hoc, quia virginitatem servavi per Dei gratiam;

tiam: Sed aliâ die, quando fuerunt mihi datæ càligę novę, trădidi oblivioni rèddere vèteres, & ideo punior in tibijs: Sed obsecro, ut vadas ad lectum meum, & invenies eas in tali locô, & redde eas. Et sic disparuit.

¶ DE CUSTODIA VESTIUM.

Cap. CXLIII.

CIrca tertium nota, quòd aliquis locus speciaLiter debet haberi ad vestium custodiam deputatus. Et hujus est triplex ratio: Prima est, nè vestes dimissę pereant: Si enim hoc cavendum est in fragmentis panis secundùm verbum Domini Joan. 6. multò magis in his, quæ meliùs valent. Secunda est, nè singularem solicitudinem, quam Dominus ìnhibet circa vestimenta Mat. 6. quilibet cogatur habere de suis, cùm eas dimittit, cùm sit communis custodia. Tertia, nè ab extraneis lectiones fratrum visitantibus videantur multa in multis locis, quæ oculos eorum offendant: cùm secundùm regulam cavendum sit, nè aliquid in fratribus videatur, quod offendat intùitum aliorum.

¶

¶ *Quintum capitulum Regulæ.*

¶ DE LITIBVS CAVENDIS.

Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: nè ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est.

¶ Hîc incipit quintum capitulum, in quô de his àgitur, quæ pertinent ad religionem, inquantum est status fraternitatis. Porrò ad religionem, inquantum est status hujusmodi, pertinet fraterna dilectio. Ut autem hæc semper vigeat inter religiosos modô debitô, cavendum est eis ab illis, quî eam perturbant. Item laborandum est eis, ut turbata reparetur. ¶ Item Sciendum est eis qualis esse debet. Et ideo in hôc capitulô ponit mandata circa hæc tria. Primum hîc. Secundum ibi: (quicumque autem.) Tertium ibi: (Non autem carnalis.) Porrò turbatio dilectionis fraternę solent esse lites: Et ideo circa istas pònitur hîc mandatum, & còntinet duo. Unum est de cavendis lítibus, propter quod dicit: (lites aut nullas habeatis) Aliud est de terminandis, ibi: (aut quàm celerrimè finiatis.

*** *** *** ***

Cap.

Cap. CXLIV.

CIrca primum nota, quòd litigare non est res, quę deceat viros: Sen. Litigare muliebre est. Item ribaldorum est commorantium in tabernis: Prover. 23. Cui rixe? nonnè his, qui morantur in vinô, & student calicibus epotandis? Item dœmoniacum est: Aug. Nihil est similius actibus dœmonum, quã, cùm litigare non erubescunt. ¶ Legitur in vitis pat. quòd dictum fuit Sancto Machario, qui fuit excellentissimę vitæ, quòd nondum venisset ad mensuram duarum mulierũ, quæ erant in civitate: Et cùm venisset illuc, & requisivisset de vitâ earũ, invenit, quòd erant uxores duorum fratrum, & quindecim annis insimul commoratæ fuissent, & numquam litigassent inter se. ¶ Sciendum, quòd tria solent esse occasio litium. Primum est rerum proprietas, quia unus dicit, hoc est meum, & alter meum: Sen. Quietissimè viverent homines, si tollerentur ista duo pronomina: meum, & tuum. Aliud est carnalis necessitas: ut, cùm non providetur alicui, sicut caro sua requirit: Jaco. 4. Unde lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Tertium est superbia: Prover. 13. Inter superbos semper jurgia sunt. Quàm longè debent ergò esse lites à religiosis, qui nihil possunt habere proprium, qui debent esse ex totô se-

cun-

cundùm carnem mortificati, & ſummè humiles ſpiritu? Unde Apoſtolus: Servum Dei non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes. ¶ Porrò ad cavendum lites ſunt multa remedia. Primum refrenatio interioris cõmotionis per ſilentium: Cùm enim, qui dimittit aquã, caput ſit jurgiorum: ſicut dicitur Prover. 17. Econtrariô qui cõtinet hujuſmodi impetum, cauſa eſt quietis, & pacis. Et ideo benè dicitur Eccleſ. 28. Nè ſtruas ligna in ignem linguati: Quod fit, cùm habentur cum cô verba litigioſa. Tertium eſt devitatio verborum habentium materiam litigioſam: 2. Tim. 2. Stultas, & ſine diſciplinâ quæſtiones devita, ſciens, quòd generant lites. Quartum eſt cavere ab illis, quę ſunt occaſio litis, ut jactantia: Prover. 28. Qui ſe jactat, & dilatat, jurgia excitat. Item deriſio: Prover. 22. Ejice deriſorem, & exibit cum cô jurgium. Item iracundia: Eccleſ. 28. Homo iracundus intendit litem. Item perverſitas: Prover. 26. Homo perverſus ſuſcitat lites.

Cap. C XLV.

CIrca ſecundum nota, quòd, quando lis orta non citò terminatur, ſumit magnum damnũ, ſicut de igne, quãdo accenſus non citò extinguitur. Et ideo beatus Auguſt: circa terminationem duo ponit, videlicèt: quòd terminetur non ſolùm citò;

sed celerrimè. Et causam subjungit dicens: (Ne ira crescat in odium.) Quantum autem malū sequatur ex irâ crescente in odium, ostendit per duo, quę ex hôc sequuntur, scilicet: Excitatio animæ in judicandô: Propter quòd dicit(& trabem faciat de festucâ) Aliud est homicidium ejusdem: ideò addit (& animam faciat homicidam) Quod probat per illud 1. Joan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Porrò ad terminandum litem exortam multa sunt, quibus solent uti viri sancti. Unum est, quòd recedunt cautè de locô, in quô est lis. Exemplum de quôdam Philosophô, cui, cùm quidam malediceret, dixit: Ut tu linguæ tuæ, ita & ego aurium mearum Dominus sum. Aliud est, quòd cogunt se ad silentium ponentes custodiam ori suo, dum consistit adversus eos litigator: Prover. 26. Qui impònit stulto silentium, iras mitigat. Aliud est, quòd reprimit impatientiam suam: ita ut nec verbô, nec signô, nec factô videatur moveri: Prover. 15. Qui patiens est, mitigat rixas suscitatas. Aliud est dulcis responsio: Prover 15. Responsio mollis frangit iram, sermo durus sùscitat furorem. Aliud est, quia cedunt causæ litis. Exemplum de Abrahàm, qui recessit à Loth. Aliud est, quia se humiliant erga injuriantem, petentes veniam ab eô. ¶ Et nota, quòd nisi citò terminentur lites, in corde sequitur odium, quod excœcat animam: in ore malum verbum, quod offendit proximum: in opere percussiô,

quæ

QUicunquè ergò convitiô, vel maledictô, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quàm citiùs curare, quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

¶ Postquàm tradidit mandatum circà turbationem charitatis fraternæ: hîc tradit mandatum circa reparationem dilectionis turbatæ. Circa hoc autem prosequitur duo. Primò enim dicit, quid sit ad hoc faciendum. Secundò ponit diversitates eorum, qui circa hoc malè se habent secundùm plus, & minus, ibi: (melior est autem) Porrò turbatio dilectionis fraternæ solet accidere quandoque ex culpâ unius solùm, quandoque ex culpâ duorum. Et ideo circa reparationem ejus tradit mandatum in utrôque casu. Circa primum hîc. Circa secundum ibi: (Si autem invicem se læserint.) Porrò ad reparationem charitatis inter offendentẽ, & offensum sunt duo necessaria, scilicèt: satisfactio ex parte offendentis, & remissio ex parte offensi.

¶ *DE SATISFACTIONE.*

Cap. CXLVI.

CIrca primum nota, quòd convitium, prout propriè accipitur, dicitur exprobratio alicujus

jus vilis conditionis, quæ potest esse sine peccatō, sicut aliquis vocatur filius spurius, & similia. Sic convitiatus est Saül filio suo Jònathę 1. Reg. 22. Fili mulieris ultrò capientis virum. Maledictum est imprecatio alicujus mali alterius: sicut faciebat Golias David 1. Reg. 17. Maledixit philistęus David in dijs suis. Objectio verò criminis est impositio alicujus facti culpabilis: sicut àccidit coram Salomòne de duabus mulièribus 3. Reg. 3. Vix autem invenìtur aliquod genus verborum, per quod litigantes se lædant, quod redùci non possit ad aliquod istorum. ¶ Et nota, quòd valdè gravis est plaga linguę: Vix enim invenìtur aliquis adeo armatus patientiâ, qui non saucietur a linguâ. Exemplum de Job: qui non fuit motus ad damna rerum, vel corporis, & tamen videtur motus fuisse ad linguam uxoris, dicens ei: Quasi una de stultis mulièribus locuta es. Quilibet autem tenetur ad satisfactionem læsō. Apostolus Eph. 4. Sol non òccidat super iracundiam vestram. Exemplum in vitis patrum: Abbas Agathòn solebat dicere: Numquàm dormivi in lite, nec litem habentē mecum dormire permisi, quantum ad virtutem meam pertinet, nisi in pace priùs revèrterer cum eō. Triplex autem potest esse hujusmodi satisfactio: Una est per verba, cùm quis petit veniam ab offensō. Sic faciebat August. scribens Hieron. & dicens: Obsecro te per mansuetudinem Jesu Christi, si læsi te, ignosce mihi:

hi : Alia est per còrporis humilitatem: Sic fecit Semeï David, cui maledixerat 2. Reg. 19. Prostratus coram eô dixit ad eum: Nè rèputes mihi ad iniquitatem : nequè memineris injuriam servi tui. Alia est per obsequia, sicut Jacòb voluit muneribus placare fratrem suum Esaü. Apostolus Ro. 12. Si esurierit inimicus tuus , ciba illum: Si sitit, potum da illi, quasi diceret, per hoc placabis eum, & redibit amicitia. ¶ Utrum offendens teneatur ad reconciliandum fratrem statim , antequàm accedat ad offerendum aliquid Domino in altari , cùm hoc videatur Dominus mandare Mat. 5.? Respondetur: si est absens sufficit offendenti propositum satisfaciendi sine morâ, cùm pòterit, sicut in restitutionibus, nec oportet in hôc casu, quòd vadat pèdibus ; sed sufficit animô secundùm Augustinũ. Si verò est præsens, aut offensa est levis, ita quòd non crèditur offensus graviter turbatus, potest differri satisfactio usquè ad tempus moderatum, si verò gravis, debet sine morâ satisfieri. ¶ Quæritur : Si aliquis posuit alij culpam, & læsus non vult accipere satisfactionem à lædente, nisi dicat se mentitum fuisse , nunquid tenetur ad hoc lædẽs ? Respondetur : Si offendens scit se dixisse verum : nullô modô debet dicere contrarium , nec hoc debet ab eô requiri : Si autem scit, vel credit se dixisse falsum , vel dubium, secundùm quod est in suâ conscientiâ, sic restituere tenetur : potest tamen adjicere aliqua alleviantia

culpam ſuam, videlicèt: quòd ex animi perturbatione hoc dixit, vel quòd ita audierat, vel credebat eſſe; licet modò reputet falſum. Ad hoc autem, quòd dicat ſe mentitum fuiſſe, non tenetur, quia per hoc revelaret ſecretum mentis ſuę, & peccatum ſuum, quod ſibi multum noceret, & alijs non prodeſſet, quia ita reſtauratur alij fama per hoc, quòd recognoſcit ſe falſum dixiſſe, ſicut ſi diceret ſe mentitum fuiſſe.

¶ DE REMISSIONE INJVRIÆ

Cap. CXLVII.

CIrca ſecundum nota, quòd quidam inveniuntur, qui ita diſcordes ſunt ad remittendum injuriam, quòd vix, vel numquam poſſunt duci ad remittendum: Iſti verè non ſunt viri Chriſtiani, qui inunguntur ad habendum cor molle ad pietatem; ſed ſunt ſicut judæi ſine unctione, duri ad vindictam, volentes oculum pro oculô, dentem pro dente. Immò ſunt ſicut Holofernes, de quô dicitur, quòd ferocitatem animi ejus mitigare non pòterant. Immò, quod pejus eſt, ſicut diabolus, de quô dicit Gregorius, quòd nullô poteſt placari ob ſequiô. Contra hos eſt, quod dicitur de Cæſare, quòd nullius ſolebat oblivíſci, niſi injuriarum. Unde Seneca: Remedium injuriarum eſt oblivio.

Scri-

Scriptum est etiam apud naturales, quòd leo parcit prostratis. Item sanctorum est non solùm remittere; sed etiã bene facere inimicis, ut dicitur Matth. 5. Item Christus oravit pro crucifigentibus dicens: Pater ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt. ¶ Præterea qui non remittit proximo, nec Deus remittet peccata sua: Matth. 6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Immò, quod pejus est, dimissa repetit, ut patet in Evangeliô de servô nequi Mat. 18. Immò, quod magis timendum est, cum gravi pœnâ extorsit, eum tradens tortoribus. Ideo dicitur Ecc. 3. Cor durum, scilicèt ad remittendum, malè habebit in novissimô: quia scilicèt non inveniet remissionem. Sed sunt aliqui, qui discutientes culpas offendentium, multam prætendunt difficultatẽ, modò quia gravis est offensa, modò quia multæ sunt, modò quia multotiens commissæ, & remissæ. Non sic facit dominus, qui & magna dimittit. Joël. 2. Et prestabilis super malitiâ: Malitia enim sonat culpam gravem. Et multa etiam dimittit. Esa. 55. Multus est ad ignoscendum. Item multotiens: Matthei 18. Non dico tibi Petre septies; sed usquè septuagies septies.

Si autem invicem sè læserint, invicem sibi debita relaxare debent propter orationes vestras, quas utiquè quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

¶ Traditô mandatô circa reparationem charitatis fraternæ turbatæ ex culpâ alterius, ponit hîc mandatum circa idem, cùm turbatio procedit ex culpâ utriusque. Continet autem hoc mandatum tria. Primò substantiam mandati. Secundò causam. Tertiò causam causæ. Secunda ibi: propter orationes vestras) Tertia ibi: (quas utique) ¶ Circa primum sciendum, quòd aliter se habent ad invicem mali, aliter boni. Mali enim malè se habent corde per invidiam: Gal. 6. Invicem invidentes, ore per mutuam corrosionem, opere per injurias: quandoque etiam malè judicandô, vel mentiendô, vel mutuò se defraudandô. Econversô boni benè ad invicem se habere debent, & hoc multis modis: debent enim sensum suum alijs conformare, de seipsis solicitam curam gerere, tamquàm ejusdem corporis membra, de alterô meliora sentire, onera mutuò patienter portare, benevolentiam sibi mutuò exhibere, honôre invicem prævenire, propter Deum se sibi subjicere, ad bonum se invitare, diligi ab alijs desiderare, mutuas offensas liberaliter relaxare.

¶ *IMPEDIMENTA ORATIONIS.*

Cap. CXLVIII.

CIrca secundum nota, quòd tria sunt præcipuè, quæ impediunt orationis effectum. Primum est

est peccati gravis conscientia: Qui enim cum tali peccato, de quo non pœnitet, accedit ad orandum, quomodo à Domino obtinebit aliquid, cùm illud ante oculos deferat, quo summè eum offendit? Psal. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Secundum est immisericordia: Prover. 2. Qui obturat aurem suam ad vocem pauperis, clamabit ipse, & non exaudietur. Tertium est crudelitas in alterum: Esa. 1. Cùm multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.

¶ QUÆ SUNT SERVANDA IN *oratione.*

Cap. CXLIX.

Circa tertium nota, quòd viri spirituales debent in orationibus specialiter habere tria, scilicet: mentis intentionem: Apostolus: Orabo spiritu. Et ad hoc induxit Augustinus superiùs, cùm dixit: (Cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod proferetur in ore.) Item frequentia assiduitatis: Apostolus: Orationi instantes. Et ad hoc induxit superiùs, cùm dixit: (orationibus instate) Item munditia sanctitatis exemplo Job dicentis: Cùm haberem mundas ad Deum preces: Sanctum enim idem est, quod mundum.

MElior est autem, qui, quanquàm irâ sæpè tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se feciſſe agnoscit injuriam: quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animô petit, ſine causâ est in monasteriô, etiam si inde non projiciatur.

¶ Tràditis mandatis circa reparationem turbatæ dilectionis, hîc subjungit diversitates eorum, qui circa hoc se habẽt diversimodè, ut ex hôc appareat, qui circa hoc sunt culpabiles plus, vel minus. Sunt autem tres differentiæ horum, sicut patet ex litterâ. Quidam enim facilè irascuntur, & citò veniam petunt: & hi sunt sicut aqua, quæ citò càlefit, & citò frigescit, & hoc est minus malum. Quidam tardiùs irascuntur, & inclinantur tardiùs ad veniam petendam: hi sunt sicut ferrum ignitum, quod tardiùs càlefit, & tardiùs frigescit, & hoc est pejus. Quidam autem sunt, qui nunquàm volunt petere veniam, & hi sunt sicut lapis Abestòn, qui accensus semel, numquàm extinguitur, sicut dicit Aug. de civitate Dei, & hoc est pessimum. Propter quod dicit de istis, quòd (ſine causâ sunt in monasteriô.)

¶ DE VENIA PETENDA.

Cap. CL.

CIrca primos nota, quòd non dicuntur meliores propter iræ frequentiam, cùm, secundùm Jaco. Omnis homo debeat esse tardus ad iracundiã; sed propter celerem satisfactionem (quia ira turbat oculum rationis) & iratus, ut frequenter, quod malum est, putat justum. Prædicti verò citò cognoscunt culpam suam: Et ideo eorum ira non videtur multùm gravis: quia non multùm obscurat eorum judicium. Item signum est bonæ naturæ, cùm citò se purgat à nocivo, ut bona complexio à superveniente infirmitate. Ita bonæ conscientiæ est, cùm sentit se læsam esse, statim compescere. Unde super illo verbo Psal. Irascimini, & nolite peccare, dicit glo. Justitia est irã celeri pœnitudine mitigare. Item sicut dicit decretalis: Delicta tantò graviora sunt, quantò diutiùs tenent obligatam animã infœlicé. Injuria verò, quam non sequitur celer satisfactio, diutiùs tenet animam. Et ideo melior est, qui post offensam, licèt frequentem, citò satisfacit, quàm qui tardiùs. Tres ergò sunt cautæ, quare talis est melior, videlicèt: quia citò culpam cognoscit, & citò se purgat ab illâ, & injuriam in alium commissam non prolongat. Benè igitur dicit Apostolus: Sol

non

non occidat super iracundiam vestram.

CIrca secundos nota, quòd ille, qui tardat veniam pètere post offensam commissam, charitatem fraternam, quam turbavit, differt reparare: satisfactionem suę saluti necessariam pròtrahit facere, iram Dei cõtra se exortã occasione commissi in suum servum contemnit placare: Undè talis videtur laborare vitiô accidiæ, quia tarditas ad bonum pertinet ad accidiam. Similiter vitiô irę, quæ nondum videtur abeô sedata: Simillter vitiô superbię, ex superbiâ enim procedit, quòd lædẽs læso satisfacere dedignatur, est ergò triplex funiculus in ejus collô, quô trahitur à dœmonibus ad infernum. Dirumpamus (ait Psal.) vincula eorum.

CIrca tertios nota, quòd tribus de causis solet contingere, quòd aliquis non petit veniam à læsô. Una est cordis cæcitas: Ira enim obscurat animam, & non recognoscit quis interdum se culpam habere, ubi habet, & quia non cognoscit culpam, non petit veniam: istud autem multùm elongat à salute: quia, cùm, secundùm Senecam, initium salutis sit cognitio peccati, econtrariô elongatio est à salute hoc initium non habere. Alia est simulata justitia: cùm quis dicit: non expedit illi, ut ego me sibi humiliem: quia inde esset superbior, & similia. Si autem hæc ratio bona esset, tunc non debuit se Christ-

Christus humiliasse: quia ejus humilitas multis fuit in ruinam. Tertia est superba duritia cordis, quod habebit malè in novissimô die: Deus enim populum humilem salvum faciet, & oculos superborum humiliabit. Benè ergò sanctus Aug. dicit, quòd (talis sine causâ est in monasteriô) cũ salutem ejus, propter quàm sunt monasteria, impediat. Nam sicut non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ita non dimittitur, nisi satisfaciat lęso. Dicitur in vitis patrum, quòd dixit quidã senex: Quia si quis dicat alicui, ignosce mihi humilians se, combúrit dœmonum tentationes.

PRoinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestrô, non pigeat ex ipsô ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

¶ Tràditis mandatis ad cavendum perturbationem dilectionis fraternę, & ad reparandam eandẽ dilectionem, ponit hîc exhortationem ad utrumq; quæ sèquitur ex primis. Et propter hoc dicit: (proinde) Primò ponit principale: deinde quoddam incidens circa illud, ibi: (quando autem necessitas &c.) Principale verò mandatum cõtinet duo: Primò exhortationem ad cavendam dictam perturbationem, cùm dicit: (proinde vobis) Est enim sensus, idest à verbis durioribus infirmitatis humanæ

vitio

vitio providentes (cavete.) Secundò reparationem turbationis, ibi: (quę si emissa.)

CIrca primum nota, quòd est duplex duritia, scilicèt: in Deum, & in proximum. Prima est triplex, scilicèt: cordis, contra quod dicit Psal. Si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: Quædam verborũ: Judicium primô: Arguet impios de duris verbis, quæ locuti sunt contra eum: Alia verò òperum: Jo. 8. Tulerunt lapides, per quos intelliguntur opera dura, ut jàcerent in eum. Secunda etiam triplex, quędam in corde per incompassionem in necessitatibus fraternis: Bern. Cor durum est, quod nec compassione movetur: & ideo justum est, ut malè habeat in novissimô, sicut dicitur Eccl. 3. Ut non inveniat apud Deum misericordiã: sicut nec proximus invènit apud eum: Prover. 28. Qui verò mentis est duræ, corruet in malum, scilicet in fine. Alia est in verbis: Gene. 42. Quasi ad alienos durius loquebatur eis. Alia est in operibus: Exo. 1. Ad amaritudinem ducebãt vitam eorum operibus duris. Et, licèt cordis, & operum duritia sit valdè reprehensibilis; tamen frequens verborum duritia plus nocet: nam gènerat summam perturbationem, indùcit grandem rebellionem, sùbtrahit amicos. In hujus signum dixit Dominus ad Esaü: Cave, ne loquàris contra Jacòb quicquàm duriùs. Si ergó cavendum est Esaü viro malo, & in fratrem,

qui

qui multùm in eum deliquisse videbatur, quantò magis cavendum est viro sancto, nè dure loquatur fratri suo in Christô? Et ideo bene dicit: (vobis à verbis durioribus parcite.)

¶ DE MALIS, ET BONIS *linguæ.*

Cap. CLI.

CIrca secundum nota: quòd os quantum ad locutionem, cùm sit organum speciale rationis, ex quô solô procedunt bona, & mala, est super omnia membra humana habile ad bonum, & malum. Hinc est, quòd lingua dicitur habere manus, scilicet: sinistram, quò ad mala, quæ facit, quæ ducunt ad mortem, dextram verò ad bona, quæ facit quæ ad vitam ducunt: Prover. 18. Mors, & vita in manibus linguæ. Hinc est etiam, quòd Dominus dicit Mat. 12. Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Et Jaco. 3. Ex ipsô ore procedit maledictio, & benedictio: Eccles. 37. Ex corde quatuor partes oriuntur, bonum, & malum, mors, & vita: & damnatrix illorum est assidua lingua. ¶ Deinde notandum, quòd, sicut lingua dicitur universitas iniquitatis Jacobi 3. Ita, & abundatia bonorum eggreditur ab ore, quæ sunt confessio fidei, confessio peccatorum, oratio, correctio peccatorum,

rum, ædificatio proximi, consolatio ejusdem, laudatio Dei, gratiarum actio, honoratiò. De his Proverb. 12. De fructu oris sui unusquisquè replebitur bonis suis.

QUando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit, etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis: nè apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.

¶ Quoniam præcedenti mandatò, in quò dictum est, quòd, si emissa fuerint dura verba ex ore, tòdem ore petatur venia, posset credi, quòd hoc in omni casu esset faciendum: ponit incidentaliter casum, in quò est exceptio, scilicèt in prælatò, & subditò. Determinat autem duo circa hoc: Primò de modò se habendi in hôc casu prælati ad subditos: Secundò de modò se habendi ad Deum, ibi: (Sed tamen petenda est venia.)

¶ *Circa primum nota*, quòd posset contingere, quòd prælatus in duris verbis posset excèdere erga subditum non causâ regiminis; sed aliâ de causâ malâ, ut odij, invidiæ, & hujusmodi. Item causâ regiminis posset excedere in cîsdem eâsibus, in quibus non concurrit necessitas disciplinæ, ut in quibusdam minimis, quæ non sunt alicujus necessitatis,

ris. Item posset excedere in casu, in quô non compellerètur ad hoc: ut, cùm aliquibus aliàs simplicibus verbis exhibèrent se subditi corrigibiles: in his autem casibus reprehensibile est prælato duris verbis uti ad subditos. Et ideo dicit: (in moribus coërcendis) Contra primum: Et: (necessitas disciplinæ,) contra secundum: Et: (cõpellit) contra tertiũ, ostendens in quô casu sit hoc tolerabile. Item in hôc, quod dicit: (non à vobis exigitur) non negat, quin possit fieri, & ab hôc excusatur prælatus. Item subdit causam hujus, cùm dicit: (Nè apud eos.) Tria autem tanguntur in hôc casu, scilicèt: circunstantia casûs, cùm dicit: (Quando autem.) Excusatio ab humiliatione sequente, cùm dicit: (Si etiam ipsi vos Et causa hujus, cùm dicitur: (Nè apud eos, quos oportet.)

¶ *PRÆLATI POSSVNT DVRÈ loqui. Cap. CLII.*

EX primô patet reprehensio quorumdam, qui putant, quòd prælatus numquàm debeat durè loqui subditis; sed semper mansuetè. Sicut enim propter duros làpides inventi sunt malei duriores: sic quorumdam duritia requirit, ut causâ disciplinę duris verbis corrigantur: Apostolus: Increpa illos durè. Hujusmodi exemplum reliquerunt nobis Patriarchæ. Quid enim durius nisi quod dixit

Noë Gen. 9. Maledictus Chanaàm puer? Item Gen. 49. dixit Jacòb ad Rubèn: Non crescas. Et ad Symeonem, & Levì: In consilium eorum non veniat anima mea: maledictus furor eorum. Helì cum posteritate suâ reprobatus est à sacerdotij sui dignitate: quia non durè; sed molliter correxit filios suos: & ideo duros durè convenit reprobare: Esa. 48. Ad populum Jacòb: Scio, quia durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua æñea est. Et Hjeremìas 30. ad pòpulum: Propter multitudinem iniquitatum tuarum dura facta sunt peccata tua. Item Act. 5. Petrus: cur tentàvit Sathànas cor tuum mentìri te spirituisancto? Paulus ad Gal. 5. O insensàti Gàlathæ, quis vos fascinavit? & similia. Stephanus etiam Act. 7. ad Judęos: Durâ cervice, & incircuncisi cordibus vos semper spirituisancto resistitis, sicut, & patres vestri. Item Moyses legislator, licèt esset mansuetissimus omnium hominum, qui erant super terram, tamen durè locutus est judàico pòpolo dicens: Scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam: Deut. 31. Et Dominus judæis: Vos ex patre diabolô estis. Benè ergò dicit vir sanctus: (quando necessitas disciplinæ dicere vos dura verba compellit) quia hoc aliquando sine dubiô contingit.

* * * \

Cap. CXIII.

CIrcà secundum nota, quòd, licèt causâ disciplinæ liceat prælato in dura verba prorùmpere; non tamen sic excedendò tenetur se humiliare usq; ad petendam veniam: non enim omnis humilitas est virtus, est enim quędam humilitas necessitatis. Psal. Propter injustitias suas humiliati sunt. Et hæc nec est bona, nec mala, nisi propter usum, vel abusum. Alia est adulatoria, ut, cùm quis alicujus beneficiò indiget, hũ niliat se varijs modis: Eccl. 29. Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam. Alia est falsa, ut hypocritarum, ut efficaciùs possint nocère: Eccles. 19. Est qui nèquiter se humiliat: & interiora ejus plena sunt dolò: Quæ etiam potest dici malitiosa, sicut vulpes, quæ se humiliat ad terram applicans ventrem, ut meliùs capiat gallinam non se observantem ab eâ. Alia est stulta, ut, cùm quis ex simplicitate sustinet non sustinenda: Eccles. 13. Noli esse hùmilis in sapientiâ tuâ, nè humiliatus in stultitiâ seducàris. Alia est nimia, ut, cùm quis se humiliat ultra, quàm deceat statum suum: Eccl. 19. Est justus, qui se summittit nimium à multâ humilitate, & sic facit prælatus, qui propter excessum in durò modò loquendi petit veniam à subditò, quod, quia non est necessitatis, benè dicitur: (non à vobis

exigitur.) ¶ Dubitatur, cùm hoc posit fieri, & non fieri, quid sit melius? Potest dici, quòd secundùm diversas conditiones eorum, à quibus pètitur venia, & sic secundùm abstinentiam potest hoc judicari. Si enim tales magis ex hôc in bonum proficiunt, pòterit fieri; si autem inde abutuntur ad superbiam, ut, cùm quis putat ex hôc se minus reum, vel prælatum magis culpabilem, vel fit audacior ad culpas, & similia: melius est non fieri. Neq; enim Dominus judæis scandalizatis ex ejus dictis, vel factis lègitur unquàm satisfeciſſe: & hoc quia sciebat, quòd non proficerent ex hôc: quamvis discipulis interdum simili causâ satisfecerit.

¶DE REGIMINIS AUCTORITATE conservandâ. Cap. CLIV.

CIrca tertium nota, quòd Rector Universitatis non solùm habet summam prudentiam, per quam gubernat omnia, & summam bonitatem, per quam omnia disponit; sed etiam summam potentiam, cùm in suô regimine non possit resisti illi. Istâ potentiam communicavit Angelis, corporibus cœlestibus, & hominibus. Verùm auctoritas prælati enervatur quãdoquè ex causis extrinsecis, quandoquè per indiscretas distributiones, ut, cùm per constitutiones humanas indiscretè restringuntur prælati,

lati, quandoquè per ſtultas exemptiones, ut, cùm aliqui eximuntur ſine causâ multùm rationabili à poteſtate ſui prælati, quãdoq; per nimiam ſubjectæ multitudinis libertatem, ut, cùm ſubjectis conceditur libertas nimia in prælatorum ſuorum limitatione, in eorũ poteſtate reprimendâ. Sunt enim multi, qui nimìs mali inveniuntur more puerili, qui libenter frangunt virgas eos diſciplinantes, & excutiunt à ſe magiſtrum hoc facientem. Ab intrìnſecis verò quandoquè per culpam propriam, ut, cũ quis ſuô malô vitam ſuam auctèntícam màculat, & contemptibilem reddit: quandoquè per defectum facti auctèntici, ut, cùm quis non invenítur talis in factô, qualis in verbô: quia non facit factum aliquod ſuę conveniens dignitati: quàmvis habeat verba magna: quandoq; ex indiſcretâ ad ſubjectos humilitate, ut in præſenti capitulô: hæc enim omnia infringunt rectoris auctoritatem: Cùm ergò omni regimini annexa debeat eſſe auctoritas, & ex minoratione ejus multa mala ſequantur, & per humiliationem nimiam ad ſubditos enervetur: benè dicit vir ſanctus: (Non à vobis exigitur, ut a vobis ſubditis veniam poſtuletis: nè apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimiùm ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas) quæ, ſcilicèt, annexa ſemper debet eſſe regimini, & illæſam èxpedit conſervari.

Cap. CLV.

SEd tamen petenda est venia ab omnium dominô, qui novit, eos, quos plus justô fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.

¶ Traditô mandatô de modô se habendi ad subditos in excessu durorum verborum casu, ponit hîc mandatum de modô se habendi ad Deum in eôdem casu. Dicit autem duo: Unum de petitione veniæ à Deô in hôc casu: Aliud de confidentiâ obtinendi, ubi dicit: (Qui novit.) ¶ Sed quæritur circa primũ: Utrum talis peccet in proximum? Si dicatur, quòd sic, tunc tenetur ei de injuriâ, & per consequens de satisfactione: Si non: tùnc non videtur in aliquô peccasse: quia aliquod genus peccati non commisit: quare ergô petet veniam à Deô? ℟. Potest esse, quòd talis excèdit in modô correctionis, & tamen non peccat in proximum: quia ille dignus est fortè tantâ, vel majori correctione: quamvis còrrigens eam indebitô modô exerceat. Praterea si deliquit in proximum; tamen non tenetur ei ad satisfactionem veniæ, si ex hôc læditur bonum commune, scilicèt auctoritas. Item si etiam potest fieri talis satisfactio sine lęsione prædictâ; tamen non tenetur tantũ subdito suo, qui est quasi res sua, quantùm alieno. Sicut nec servo suo quis tantùm tenetur.

¶

¶ CASUS, IN QVIBVS EST VENIA petenda à Dominô.

Cap. CLVI.

ET notandum, quòd sunt quædam, super quæ viri sancti solent petere veniã à dominô, quã vis hominum communitas hoc non faciat. Petunt enim veniam ab occultis, quæ videlicèt formìdant se habere, quàmvis nesciant: Psal. Ab occultis meis munda me Domine, item ab aliens, quę contrahuntur ex cohabitatione cum malis eis adulandô, vel eos non corrigendô, vel in aliquô malô participandô: Psal. Et ab alienis parce servo tuo. Item à peccatis pluribus: Psal. Delicta juventùtis meæ nè memineris. Item à peccatis omissionis, quę multi non rèputant peccata. Unde ecclesia: Mandatis tuis non obedìvimus; sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundùm multitudinem misericordiæ tuę. Item à peccatis ignoranter commissis: Psal. & ignorantias meas nè memineris.

¶ DE MODO DILECTIONIS INter fratres. Cap. CLVII.

NOn autem carnalis; sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

¶ In hôc capitu ô quintô, quod est de dilectione fraternâ, tradit mandatum ultimum circa dilectionis modum, dicens tria, scilicèt: Inter quos debeat esse, quia (inter vos) Et qualis non debeat esse, quia (non carnalis) Et qualis debeat esse, quia spũalis.

¶ *Circa primum nota*, quód ad hoc, ut esset magna dilectio inter suos, Christus super hôc dedit speciale mandatum dicens Jo. 13. Hoc est præceptũ meũ, ut diligatis invicem. Item speciale dedit de hôc exemplum dicens: Sicut dilexi vos. Item specialem super hôc reliquit executionem, ut patet in Epistolis Joannis. Quod, licèt sit inter omnes servandum; tamen inter religiosos ejusdem professionis magis debet vigere hujusmodi dilectio. Similitudo enim est causa dilectionis: Eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile. Item membrum quodlibet alicujus còrporis naturaliter diligit ejusdem còrporis membra: Apostolus 1. Cor. 12. Si quid patitur unũ membrum, compatiuntur omnia membra, quod est propter mutuam dilectionem naturalem. Item inter Christi discipulos non debet esse invidia, vel discordia; sed dilectio mutua: Jo. 13. In hôc cognoscẽt omnes, quòd mei estis discipuli, si dilectionem habuerìtis ad invicem. Cùm ergò religiosi sint professionis ejusdem, & simillimi sint in omnibus, & ejusdem còrporis membra, & Christi speciales discipuli, quanta debet esse dilectio inter eos? Præterea, si secundùm legem Christi debemus inimicos dili-

diligere, similiter etiam extrancos, similiter etiam malos: Mat. 5. quantò magis fratres, qui, ut amici, & domestici, & viri sancti, debent intimè diligi?

Cap. CLVIII.

CIrca secundum nota, quòd carnalis dilectio dici potest unô modô, quâ diligit quis ad carnalia: sicut diligit mundus, quos ad ea diligit, quæ mundi sunt: Aliô modô dìligitur quis dilectione originatâ à carne: sicut dìligunt propinqui carnales, & compatriòtæ. Non ita dilexit Christus suos, quos docuit temporalia contèmnere; sed in finem (inquit Jo. 13.) Dilexit eos, idest ad bona spiritualia, quæ sunt finis, ad quem debêt omnes tendere. Item non propter carnales gratias; sed propter spirituales diligit. Unde Joannem, quia virgo, & quasi innocens fuit, specialiter dicitur dilexisse Jo. 19. Item non ex naturali propinquitate solùm, quia sic magis Angelos dilexisset, quos tamen nusquàm apprehendit; sed ex spirituali radicè charitatis: propter, inquit, charitatem, quâ dilexi vos. Et quia non vult hujusmodi dilectiones carnales esse in nobis: ideo Jo. 13. dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: hoc est: non sicut mũdus, qui diligit ad bona temporalia: non sicut mali, qui diligunt ad carnalia: non sicut propinqui, qui solùm diligunt dilectione ex carne nascente; sed sicut ego. ¶

¶ DE TURPI DILECTIONE.

Cap. CLIX.

CIrca tertium nota, quòd est quędam turpis dilectio hominum ad invicem, quæ òritur ex vitiò concupiscentię carnalis, & hæc est mala, nec unquam debet esse, nec etiam debet nominari inter servos Dei. Alia est naturalis, quę òritur ex naturâ carnis secundùm illud: Quis unquam carnem suam odiò habuit? & hęc, cùm sit naturalis, non est bona, vel mala meritoriè, nisi per excessum, vel diminutionem: & hæc solùm non debet etiam esse inter eos. Tertia est, quæ òritur ex virtute: Apostolus 2. Timo. 1. Dedit nobis spiritum virtùtis, & dilectionis: & hæc debet esse inter eos. ¶ Porrò duæ primę possunt dici carnales, quia à vitiò carnis, vel à naturâ oriuntur. Hæc autem spiritualis, quę òritur ex charitate, quæ per speciem diffúnditur in cordibus. Hęc dilectio differt ab alijs in multis, quę sunt ad ejus laudem. Est enim quędam dilectio, quæ versatur quandoquè circa inhonesta aliqua, contra quá Valerius màximus narrat, quòd, cùm quidam rogaretur ab amicô suô, quòd faceret quoddam, & rogatus attendens, quòd illud esset inhonestum, respondit, quòd hoc non faceret, eò quòd esset inhonestum: Et rogans, cùm diceret, quid

quid prodeſt mihi amicitia tua, ſi non feceris aliquid inhoneſtum pro me? rogatus reſpondit, & tua quid mihi prodeſt, ſi pro eâ facerem inhoneſtũ? Inde eſt, quòd Tullius dicit: Hæc eſt lex in amicitiâ, ut nihil turpe rogèmus, nequè rogati faciamus. ¶ Item eſt dilectio, quæ in ſolâ apparentiâ conſiſtit: Eccleſ. 17. Eſt amicus ſolò nomine: Contra quod ad Rom. 12. Dilectio ſine ſimulatione. Et talis non eſt dilectio charitatis: Apoſtolus 2. Cor 2. In charitate non fictâ, quę, ſcilicèt neſcit fictionem. Item eſt alia dilectio verboſa: Job 16. Verbòſi amici mei. Pſal. Dilexerunt eum in ore ſuò, & linguâ ſuâ mentìti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eô. Non talis eſt dilectio charitatis: immò ex intimis cordis: Apoſtolus 1. Timo. 1. Finis autem præcepti eſt charitas, de corde purô, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. Item ſunt, qui diligere ſe dicunt; ſed nunquàm oſtendunt hoc in effectu, contra quos dìcitur de quôdam philoſ. quòd dixerit: Tantum diligo inimicum, qui nihil mali mihi fecit, ſicut, & amicum, qui nihil boni mihi fecit. Talis dilectio charitas non eſt, quæ ſecundùm Greg. numquàm eſt otioſa. Item ſunt aliqui, qui, & ſi aliquìd faciunt pro dilectô; tamen non magna, contra quos de charitate dicit Grego. Operatur magna, ſi eſt. Et Joannes in Epiſtolâ: In hôc cognòſcimus charitatem Dei, quia ille animam ſuã poſuit pro nobis, & nos debemus animas pro fratri-

tribus pònere. Item sunt alij, qui non diligunt nisi diligentes se priùs. Dilectio verò charitatis sine meritis præcedentibus exhibetur: Joannes in Epistolâ 1. Jo. 4. In hôc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum; sed ipse prior nos dilexit. Item sunt alij, qui diligunt propter spem dilectionis humanæ, & dilectio hujusmodi reciproca negotiatio dici potest: Hjero. Ista, quam tu describis, negotiatio est, non amicitia. Dilectio verò charitatis utilitatem respicit dilecti, etiam si tribuatur malum pro bonô, & odium pro dilectione. Fœlix igitur dilectio, & omni laude dignissima, quæ nihil habet inhonestatis, vel fictionis, quæ non in verbis solùm; sed in corde, nec in corde solùm; sed in ôpere consistit, quæ magna agit, & sine meritis præcedentibus, & sine spe retributionis humanę. ¶ Sciendum, quòd beatus Joannes, cui fuit specialis cura de dilectione fraternâ inter homines habendâ, ponit sex utilitates hujusmodi dilectionis. Prima est certitudo de resurrectione spirituali. Unde dicit: Nos scimus, quoniam sumus translati de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Secunda est illuminatio mentis: sicut enim recedente fumô rémanet claritas in domô, ita recedente turbatione à fratre, quæ mentem obscùrat, rémanet claritas, quæ clarè facit videre, & judicare de rebus. Ideò dicit: Qui diligit fratrem suum, in luce manet. Tertia est evitatio scàndali passivi; sicut enim ma-

ter

ter ex dilectione, quam habet ad filium, sustinet omnia, quæ facit ei, licèt gravia: Ita, & dilectio fraterna omnia sustinet: Eôdem modô qui diligit fratrem suum, scandalum in eô non est. Quarta est divinę dilectionis indicium. Joannes in canonicâ: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quòmodò potest diligere? Glo. Frater tuus imago Dei est: Si non diligis imaginem, nec eum, cujus est imago, diligis. Quinta habitatio divina: Sicut enim ubi sunt turbationes, & odia, habitat diabolus ibi: ècontra ubi dilectio sancta, ibi Deus: 1. Jo. 4. Si diligimus invicem: Deus in nobis manet. Sexta est filiatio Dei. Per peccatum enim fiunt homines filij diaboli; sed per hanc filij Dei: 1. Joan. 4. Omnis, qui diligit fratrem suum, ex Deô natus est.

¶ *Sextum capitulum regulæ.*

¶ *DE OBEDIENTIA.*

PRæposito tanquam patri obediatur, multò magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

¶ Hoc est capitulum sextum regulę, quod est de pertinentibus ad statum subjectionis, quod facit obedientia. Et ideo circa hoc tradit hoc unicum pertinens ad obedientiam, & non plura, quia satis

in

in hôc continentur in genere ea, quæ pertinent ad debitam obedientiam.

¶ *Ad quod notandum*, quòd duplex est obedientia bona, quædam est sufficiens; sed imperfecta, & est illa, quâ quis obèdit solùm in his, ad quæ tenetur: alia est abundans, & perfecta, cùm quis obèdit in aliquibus bonis, licèt non teneatur ex debitô. ¶ Porrò circa istam perfectam obedientiam, quia nemo ad eam ex aliquâ règulâ arctatur, non tradit Augustinus aliquod mandatum; sed circa primam, ad quam omnes regulares arctãtur ex professione. Determinat autem quatuor in isto mandatô ad istam obedientiam pertinentia, scilicet: cui debeatur, & cùm debeatur pluribus, quô ordine debeatur eïsdem, & qualis debeat esse, cùm rèdditur, & in quibus sit reddenda.

Cap. CLX.

SCiendum enim, quòd, licèt quidam viri sancti ex perfectione obedientiæ inveniantur obedire non solùm majoribus; sed etiam paribus, immò etiam inferioribus interdum: cùm secundùm beati Benedicti regulam, obedientiæ bonum non solũ abbàti exhibendum est ab omnibus; sed quòd etiã fratres sibi invicem obediant: Tamen nullus religiosus quantæcunque perfectionis tenetur obedire nisi majoribus suis, secundùm illud Hebræ. 13.

Obe-

Obedìte præpositis vestris, ideſt illis, qui vobis præferuntur. Et ideo determinans, quibus ſit obediendum in religione, dicit Auguſtinus:(præpoſito, & presbytero.) ¶ Item nota, quòd inter prælatos, eſt quidam prælatus, qui habet plenitudinẽ poteſtatis quò ad omnes, & quò ad omnia, ſcilicet Papa, & huic quilibet religioſus, & regularis plus tenetur obedire, quàm cuilibet prælato eccleſiaſtico: Alij verò ſunt prelati, qui habent particularem poteſtatem, & quò ad ſubditos, & quò ad juriſdictionem; ſed iſtis tenentur non omnes; ſed ſolùm ſubditi ſui: & non niſi ad ea, quę pertinent ad juriſdictionem. Item inter iſtos ſunt, qui habent eoſdem ſubditos; ſed juriſdictiones diſtinctas in quibuſdam, ſicut abbas non exemptus, & Epiſcopus, quorum utriuſque ſunt monachi: & iſti in quibuſdam plus tenentur uni, quàm alteri, & ècontrariò. Nam in his, quę pertinent ad diſciplinam eccleſiaſticam, plus tenetur monachus Epiſcopo, quàm abbati: In his verò, quæ pertinent ad ſuam religionem, cujus règimen habet abbas, tenetur plus abbati. Alij ſunt, qui habent juriſdictiones non diſtinctas; tamen ſecundùm plus, & minus, ut prior clauſtralis, & abbas: & hic plus tenetur ſubditus obedire ſuperiori. Et, cùm Eccleſia Auguſtini eſſet ita ordinata, quòd Epiſcopus tenebat ibi locum abbatis, præpoſitus locum prioris, ut dictum eſt ſupra, cùmq; adhuc idem ſervetur in aliquibus Eccle-

clesijs: Ideo volens ostèndere, quò ordine obediendum sit in hôc casu majoribus, dicit præpositò obediendum; sed multò magis presbytero, idest Episcopo. Alioquin, quòmodò diceret ipsum presbyterum, vel præpositum curam habere ipsorum fratrum?

¶ DE MULTIPLICI OBEDIENTIÂ.

Cap. CLXI.

NOtandum etiam, quòd quædam est obedientia servilis juxta illud: Servi obedite per omnia Dominis carnalibus: ad Col. 3. Alia est filialis ibidem: Filij obedite parentibus per omnia. ¶ Porrò servilis obedientia, quam timor indùcit, quod facit, facit invitè: Filialis verò, quàm amor inducit, quod facit, facit libenter. Illa cum múrmure, ista simpliciter sine querelâ, & discussione: Illa cum tristitiâ, ista hilàriter: Illa pigrè, ista velociter: Illa fictè, ista viriliter: Illa superbè rèputans se multa fecisse, ista humiliter rèputans se servum inutilem: Illa citò quiescit, ista infatigabiliter labòrat usq; ad mortem. Et isti septem gradus obedientiæ sunt secundùm Bern. Et ideo volens Augu. determinare, qualis debet esse obedientia, dicit, tanquàm patri, non Domino, ut sit obedientia filialis,

lialis, ſicut decet filios Eccleſię, non ſervilis, ſicut fuit ſub lege: Grego. Obedientia non ſervili metu; ſed charitatis affectu ſervanda eſt. Hęc autem tantò laudabilior eſt, quantò laudabiliores ex ſe elicit circunſtantias, ſicut dictum eſt.

¶ QUANDO NON OPORTET *obedire.*

Cap. CLXII.

NOta inſuper, quòd, licèt obediendum ſit pręlatis regulariter; tamen multi ſunt caſus, in quibus non tenentur ſubditi eis obedire. Primus eſt, quando præcipit cõtra Deum: quia magis oportet obedire Deo, quàm hominibus: Act. 5. Secundus, quando major ſecundùm diſtinctionem prædictam præcipit contrarium: Tertius, quando eximitur quis ab eô, qui poteſt, à poteſtate pręlati ſui: Quartus, quando pręcìpitur aliquid in derogationem juriſdictionis majoris prælati: ut ſi pręciperet minor prælatus, quòd majori viſitanti non diceret aliquid de revelandis in viſitatione. Quintus, quando nullô modô poteſt fieri, quod præcipitur. Nemo enim poteſt ad impoſsibile obligari, extra de regul. jur. lib. 6. Sextus, ſi aliquid mandatur, per quod ejiciatur de obedientiâ promiſsâ, ut ſi præciperet prælatus ſubdito ſuo, quòd intraret alium ordinem.

Septimus, cùm præcipitur aliquid, quod est supra, vel infra, vel contra professionem factam: cùm nemo teneatur ultra, quàm alij tenentur, nisi ad id, quod promisit: Octavus secundùm quosdam, cùm præcipitur aliquid impertinens ad professionē, ut si præciperet abbas monacho, quòd totâ die respiceret aves, præcipuè si hoc faceret sine causâ rationabili: nam si hoc faceret causâ probandi obedientiam, vel ad exercendū patientiam, vel aliâ causâ annexâ professioni, esset secus.

¶ *DE COMMENDATIONE OBEDIENTIÆ.*

Cap. CLXIII.

DEinde notandum, quòd inter omnes virtutes religioni necessarias, & de præcipuis est obedientia perfecta. Hæc enim est, quæ religioso dat pacem: qui enim minus est obediens, habet turbationes frequentes: quia non est promptus ad multa, quæ sibi imponuntur, ad quæ, si esset promptus haberet pacem: Proverb. 13. Qui timet præceptum, in pace versabitur. Item hæc est, quæ acquirit homini gratiam majorum suorum. Exemplum de abbate Silvanô, qui, cùm quæreretur à quibusdam cur discipulum Marcum plus alijs diligeret, duxit eos per cellas fratrum, & vocans unum, hic non stetit

tim venit, similiter & multi fecerunt: cùm autem venisset ad cellam Marci, & vocasset eum, ipse scribebat, &, relictâ litterâ imperfectâ, statim venit ad eum, quô viso dixit abbas eis: ecce quare diligo eum. Et illi: verè plus diligendus est à te: quia Deus plus diligit eum. Item hæc est, quæ totam congregationem, quam inobedientia perturbat, pacificat: 1. Mach. 4. Siluit terra omnibus diebus Simònis, qui interpretatur obediens. Item hominem ùtilem facit suæ congregationi: bonus enim obediens est, sicut asina, quæ erat in Hierusalèm communis, quâ quilibet pòterat accipere ad quoscunque usus. Item facit hominẽ nobilissimè triumphare de hoste fortissimô, scilicèt animô suô, cui, qui dominatur, melior est secundùm Salomonem expugnatore urbiũ: Prover. 21. Vir obediens loquètur victorias. Greg. Dum alienæ voci humiliter obedimus, nosmetipsos in corde superamus. Item facit Deo sacrificiũ acceptissimum: 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quàm victimæ: quia secundùm Grego. Per obedientiam propria voluntas mactatur: 7. Moralium. Item facit preces apud Deum efficaces: Gregorius: Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris, & hoc justum est: qui enim hujusmodi præpositos audit, Deum audit, & tales ille exaudit. Item summè ditat meritis: quia lucratur circa omnia òpera sua. Item custòdit à periculis peccatorum: Exequens enim obedientiam

est negotiator regis cœlestîs, cujus mandatum exèquitur, & ideo securior est, quàm, qui in propriò scilicèt mercatur. Item ad majorem perducit gloriam: unde in vitis patrum vidit quidam quatuor ordines sanctorum in cœlô, infirmantium, gratias agentium, infirmis ministrantium, in solitudine degentium, & sub obedientiâ viventium, & hic erat super omnes, cujus ratio dicta est: quia alij quod faciunt, faciunt secundùm voluntatem suam; hi autem proprias voluntates abdicantes, quod faciunt, faciunt secundùm voluntatem patris spiritualîs, quod est majus. Et ideo ducit ad gloriam majorem. Multùm ergò custodienda est obedientia, quæ tanta bona facit: Ber. Mementote fratres: Christus nè pèrderet obedientiam, pèrdidit vitam: sic etiam nobis cavendum est, nè obedientiæ bonum perdamus.

¶ *Septimum, & ultimum capitulum Regulæ.*

UT ergò cuncta ista serventur, & si quid minus servatum fuerit, non negligenter prætereatur; sed ut emendandum, corrigendumquè curetur; ad præpositum præcipuè pertinebit, ut ad presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, rèferat, quod modum, vel vires ejus excedit.

Tràditis mandatis, quia parum hæc prodessent, nisi

nisi diligenter observarentur, agit in hôc capitulô septimô, & ultimô de diligentiâ observandi ea. Sunt autem tria, quæ multùm ad hoc valent. Primum est conditio prælatorum, de quô agit hîc. Secundum est paterna oratio, de quô ibi:(donet Dominus) Tertium jugis mandatorum memoria, de quô ibi:(ut autem vos.)¶ Porrò ad hoc, quòd prælati mandata faciant observari, requiruntur duo. ex parte ipsorum, videlicèt cura, & conditio bona ipsorum: & ideo primò tradit hîc mandatum circa istam curam: Secundò ostendit qualis debet esse prælatus, ut ei meliùs obediatur, ibi: (ipse verò, qui vobis &c.)

¶ *DE CURA DEBITA CIRCA SERVANdam religionem.*

Cap. CLXIV.

NOtandum, quòd sunt quidam, ad quos pertinet hujusmodi cura de regulâ observandâ, qui ponunt interdum curam, quòd habeatur regula benè scripta, in quâ possint benè lègere fratres: Item quòd frequenter audiatur; sed quia hoc non sufficit ad salutē sine observantiâ, juxta illud Apoc. 1. Beatus, qui legit, & qui audit verba prophetiæ hujus, & servat ea, quæ in eâ scripta sunt: Ideo vir sanctus jussit, ut hujusmodi prælatus, cui incumbit

de ſubditorum ſalùte, habeat curam non ſolùm de ſcribendâ regulâ, & frequentiùs legendâ; ſed, & obſervandâ, dicens:(ut ergò cuncta iſta ſerventur.) ¶Item interdum contingit, quòd aliqui habent curam majorem circa obſervantiam admonitionum, conſuetudinum, ac conſtitutionum quarumdam, quæ additę ſunt ſuper regulam, quàm de mandatis ipſius regulæ. Iſti ſunt ſimiles phariſæis, quibus exprobrandô dicit Dominus: Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Magna ſtultitia eſt curare minus de ſtabilitate fundamẽti, quàm eorum, quę ſuper ædificantur: quia illô deficiente, neceſſe eſt illa corrùere, & non èconverſô: Et ideo dicit: ut ſerventur iſta mandata regulæ, de quibus eſt ſpecialiter curandum. Item ſunt aliqui conventus, in quibus, & ſi multa mandata obſervantur, tamen aliqua dimittuntur, & ideo tales fiunt omnium rei: Jaco. 2. Qui totam legem obſervaverit, offendat autem in unô, factus eſt omniũ reus. Et ideo eſt cura habenda, ut tota regula obſervetur, ideo dicit:(cuncta) Item contingit interdum, quòd prelati tranſgreſsiones aliquas non còrrigant, aut ex puſillanimitate cordis, aut ex humilitate ſuperſtitiosâ, aut diffidentiâ proficiendi, aut ex ignorantiâ, quia neſciunt culpas fratrum, nec appònunt curas ad ſciendum, aut propter pacem propriam, quam nolunt turbare, aut propter verecundiam, quia ſic in quibuſdam manifeſtè excè-

dunt,

dunt, quòd sine verecundiâ alios corrigere non possunt, aut propter delicti conscientiam: conscientia enim mala, & si nesciatur; tamen timidiorem reddit hominē ad alios corrigendum: aut propter timorem odij, quia timet incurrere indignationem in corrigendô: aut propter prælationis amorem, quam timet amittere, subditos contra se provocandô: aut defectum zeli, aut ex negligentiâ, quę multùm est inconveniens statui prælationis. Unde Ber. Inter abusiones claustri hanc ponit, scilicet: Prælatus negligens. Et ideo virsanctus dat speciale mandatum de istâ cavēdâ circa transgressiones, dicens; (non negligenter prętereatur) Bern. in regulâ dicit: Non dissimulet abbas peccata; sed mox ut oriri cœperint, ea rādicitus āmputet memor de filiô Helì sacerdotis. Item sunt aliqui, qui in corrigendô curam apponunt, ut puniantur præterita; sed non ut caveantur futura: aut non multùm curant de præteritis puniendis; sed utrumquè debet esse in verâ correctione, scilicèt ut caveantur futura, & puniantur præterita. Ideo dicit: (non negligenter prætereatur; sed ut emendandum) quò ad futura (corrigendumquè) quò ad præterita (curetur.) Item sunt aliqui, qui, quando inveniunt aliqua difficilia ad corrigendum, quasi desperantes solent dimittere; sed boni prælati est hoc ad majores deferre. Unde Exodi 18. dixit Jetro Moysi: Quicquid majus fuerit, referant ad te, & ipsi tantùmodò minora

jùdicent. ¶ Dicitur de quôdam bonô ſacerdote, quòd, quando habebat aliquos in parochiâ ſuâ, quos corrigere non pòterat, ponebat nomina eorũ in cedulâ, & dèferens illa ad Epiſcopum, dicebat ei: Domine iſtos, quos commiſiſtis mihi inter alios, reſigno, & relinquo, faciatis de eis, quicquid placet: quia ego eos corrigere non poſſum, & ſupra vires meas eſt eorum correctio. Et ideo dicit vir ſanctus: (ad præpoſitum præcipuè pertinebit) ita ſcilicèt: (ut ad presbyterum, cujus eſt apud vos major auctoritas,) referat, (quod vires,) quò ad poſſe (vel modum,) quò ad ſcire, (ejus excedit.)

IPſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante; ſed charitate ſerviente fœlicem.

Dictô qnòd ad prælatum pertinet cura de regulâ obſervandâ, quia meliùs hoc poteſt perficere, ſi bonas habùerit conditiones, determinat conditiones, quę debent eſſe circa prælatum. Et primò circa charitatem: Secundò circa honorem ibi: (honòre coram vobis.) Tertiò circa timorem ibi: (timore coram Deô.) Quartò circa officij executionẽ ibi: (circa omnes ſeipſum bonorum operum.) Quintò circa diſciplinas ibi (diſciplinam libẽs habeat.) Sextò circa animi interiora ibi: (Et quamvis utrũque.) Et, licèt circa plura extendantur conditiones bonæ prælatorum; tamen iſta prędlegit Auguſtinus tan-

tanquàm valdè neceſſaria in religioſis prælatis.

¶ DE MODIS CIRCA PRÆLATIONEM.

Cap. CLXV.

CIrca primum igitur, quod continetur in iſtô mãdatô, nota, quòd viri religioſi, qui àppetunt præeſſe ambitioſi, & non prodeſſe, primò ſolent appètere prælationes: 2. Reg. 1. Adonias elevabatur dicens: Ego regnabo. Econverſô viri ſancti fugiunt exemplô Domini Joannis 6. Item iſti adeptis prælationibus ſe fœlices reputant; viri ſpirituales èconverſô: Job 6. Ecce gigantes gemũt ſub aquis. Gregorius: Illis pòpulis quiſquè mente ſuppònitur, quibus dignitate poſtponitur: Unde ſancti, quia onus ſentiunt, quantuncunquè digni ſunt ſcientiâ, vel virtute, in prælationibus ſciunt non ſe fœlices; ſed miſeros reputantes, gemunt. Unde cùm legeretur beati Auguſtini regula in quôdam conventu, & lector illud legendô: Unde & vos non ſolùm veſtri; ſed etiam ipſius, errandô ſubjùngeret: miſerrimi: & corrector emendàret: miſeremini: Prior dixit correctori: Frater dimitte eum dicere: miſerrimi. O quantúm ſenſit iſtam miſeriam Moyſes, qui Numeri 11. dixit Domino: Cur afflixiſti ſervum tuum: quare non invenio gratiam coram

te,

te, & cur imposuisti pondus universi pòpuli hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hùc populum: quia gravis est mihi. Sin aliter videtur tibi, ôbsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, nè tantis afficiar malis. Quid autem mirum, si fœlices hæc sentiunt spirituali illuminatione, cùm quidam viri hoc idem viderunt per rationem? Cùm enim cuidam gentili oblata esset vestis imperialis cum coronâ, respiciens vestem ait: O pannum magis nobilem, quàm fœlicem! quâ si quis attendat quantis solicitudinibus, periculis, & miseriis sit refertus, nec jacentem in luvô tòlleret. Item illi, assecutâ prælatione, abuntur eâ in superbiâ dominandi; isti verò utuntur eâ in humilem famulatum, juxta illud Matth. 21. Principes gẽtium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: Non ita erit inter vos; sed quicumq; volùerit inter vos primus esse, erit servus vester: unde Augustinus: Locus superior, & si administretur, ut decet; tamen indecenter appètitur. ¶ Nota tamen, quòd sunt tria, quæ solent indùcere aliquos ad recipiendum prælationem interdum. Unum est divina vocatio: rèputant enim aliqui præcipuè in ecclesijs, quando canonicè eliguntur, quòd sit à Dominô: & ideo non rèputant se malè facere: Juxta illud Hebr. 5. Nemo assumit sibi honorem; sed qui vocatus est à Deô, tanquàm Aarôn: Secundum est charitas proximòrum, & hoc est melius: Aug.

Aug. Otium ſanctum quęrit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſsitas charitatis. Aliud eſt obedientia, & hoc eſt melius. Hinc eſt, quòd de multis lègitur, quòd, & ſi prælationes fugerunt, tamen finaliter obedientes receperunt; ſed quia tales in prælationibus nondebent ſibi complà cère, nec uti in ſuperbiam dominādi, ſicut ambitioſi, dicit: (ille, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante; ſed charitate ſerviente fœlicē.)

¶ DE CHARITATIVO SERVITIO *Prælati ad ſubditos.*

Cap. CLXVI.

ET nota, quòd ſupremus prælatus vocat ſe ſervum ſervorum Dei juxta illud Apoſtoli: Nos autem ſervos veſtros propter Chriſtum. Item angeli ſerviunt hominibus: Hebr. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſtreriū miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalùtis. Item ipſe filius Dei formam ſervi accipiens ſervivit hominibus: Mat. 21. Ego autē in mediô veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat. Et ideo, cùm tot, & tanti ſerviant hominibus, non eſt indecens, immò valdè conveniens, & ſalutare, ut quilibet prælatus ſe ſervum exhibeat ſubditorum. Sunt autem multa, in quibus boni prælati ſubditis ſerviunt. Interdum in temporali-

bus, illa ad eorum ſervitia procurandô, juxta illud Apoſtoli : Non enim debent theſaurizare filij parentibus; ſed parentes filijs. Interdum in corporalibus exemplô Domini Joan. 13. Exemplum dedi vobis, ſcilicèt de pedibus lavandis, ut vos ita faciatis. Item in ſpiritualibus in multis, quæ ſolent magna ſervitia ab hominibus reputari. Magnum ſervitium rèputat mater filio exhibere, cùm portat eũ, & hoc faciunt boni prælati: Numeri 11. Nunquid ego concèpi omnem multitudinem hanc, aut genui, ut dicas mihi: porta eos in ſinu tuô, ſicut ſolet portare nutrix infântulum? Item bonum ſervitium èxhibet alij, qui miniſtrat ſpiritualia ad paſcendum eum: Sic faciunt boni prælati: 2. Petri 5. Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro ego conſenior, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini. Item magnum ſervitium èxhibet civitati, qui pro eâ cuſtodiendâ vìgilat tèmpore hoſtìli, & ipſi ſunt vìgiles, qui cuſtodiunt civitatem: Cantic. 3. Item magnum ſervitium èxibet regi, qui pro eô cuſtodiendô vigilat, cùm ipſe dormit: & ipſi hoc faciunt pro animabus. Ipſi enim, præpoſiti ſcilicèt pervigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus veſtris: Hebræ. ult. Item magnum ſervitium èxhibet alij, qui pro eô defendendô pugnat contra hoſtes. Et ipſi ſic faciunt: Canti. 3. Lèctulum Salomonis, ſcilicèt Eccleſiam, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, qui ſunt omnes tenentes gladios, & ad bella

bella doctissimi, quod expònitur de prælatis. Item magnum èxhibent servitium hominibus, qui eos ducunt per ìnvia, & ipsi sic faciunt: Psal. Deduxisti sicut oves populum tuũ in manu Moysi, & Aaròn: Item magnum èxhibent servitium alij, qui ipsum intinctum sordibus lavant, & ipsi sic faciunt: Job 1. Sanctificabat filios suos, quod pertinet ad prælatũ. Beati prælati, qui in his, & similibus serviunt subditis suis per charitatem. Si enim, quod fit cuilibet de minimis à quôcunquè, Christus rèputat sibi factum, & daturus est talibus in fine regnum: quantò magis prælatis, qui propter ipsum in hôc supra alios se humiliant? Sicut ergò superbia dominandi ducit prælatos ad inferos: ita humilitas serviendi ducit eos ad sùperos: Et ideo benè dicit: (existimet se charitate serviente fœlicem)

¶ *DE HONORE AD PRÆLATOS.*

Cap. CLXVII.

Honore coram vobis prælatus sit vobis.

¶ In hôc mandatô tanguntur duo. Bona conditio prælati, & quòd à subditis habeatur in reverentiâ, & honore, & hoc justum est: Malach. 1. Si ego pater, ubi honor meus? ¶ Et notandum, quòd quidam minus interdum honòrant prælatum propter aliqua ejus vitia: Gen. 9. Cùm vidisset

set Cham verenda patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis, &c. Alij interdum propter simplicitatem, quam quidam, & si vitijs careant, habent: Job 12. deridetur justi simplicitas: O quot propter hoc prælatos suos contenunt! contra quod dicitur Eccles. 3. Et si defecerit sensu, veniam da, & nè spernas eum in tuâ virtute. Alij interdum propter notitiam familiarem, sicut dicitur de virô ruràli, qui minus veneratus est crucifixum Ecclesiæ suæ, quia factus est de nuce hortûs sui: Mat. 12. Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ. ¶ Porrò ex hujusmodi irreverentiâ sequuntur tria mala. Unum est maledictio: Deuter. 27. Maledictus, qui non honòrat patrem. Secundum est propria confusio: Eccles. 3. Dèdecus est filij pater sine honòre. Tertium est contumelia Dei: hujusmodi enim irreverentiam suam rèputat Deus: Lu. 11. Qui vos spernit, me spernit: ut ergò ista mala vitentur, honorandus est semper prælatus: ad hoc autem faciendum àdmonet sacra scriptura Eccles. 11. In mediô fratrum rector illorum in honòre. Item hortatur natùra apium, quæ regem suum eggredientẽ de alveàri suô comitantur, & ei faciunt cellam singularem. Item monet ratio: honor enim exhibitus prælato, exhibetur Deo, quia ipse dicit Luc. 12. Qui vos audit, me audit. Et ideo, cùm homo teneatur Deum honorare, debet prælatum honorare, in corde eum diligendô, in sermone reverenter ei lo-

loquendô, reverenter eum audiendô, in opere prô-ptè obediendô, devotè serviendô; reverenter assistendô.

¶ DE TIMORE IN QUO DEBET esse prælatus.

Cap. CLXVIII.

Timore coram Deô substratus sit pedibus vestris.

¶ Hîc ponit mandatum circa tertiam bonam conditionẽ prælati: & est sensus: Quamvis vobis præponatur honore; tamen timore debet vobis supponi. ¶ Et nota, quòd, licèt omnis homo semper debeat esse pàvidus; tamẽ prælatis est magis timendũ, quàm subditis: ipsi enim habent rèddere rationem non solùm de se; sed etiam de subditis: Heb. ultim. ipsi enim pervìgilant, quasi reddituri rationem pro animabus vestris. Cùm autem animę sint res pretiosæ, & valdè dilectę Deo, & valdè facilè pereant: quantum debet timere, qui sic eas àccipit in custodiâ, quòd de eis reddit rus est rationem? Ideo Augustinus timens dicebat: Quid faciam, cùm à me exigetur ratio tot animarum, quæ pendent à collô meô? Ideo ipsi sunt quasi principes exercitûs: ideo ipsis victis, facilè totus exercitus dissipatur: 1. Mac. 9. Cècidit Judas, & rèliqui fugerunt: Et ideo dæmones

monens acriùs eos impugnant: 1. Regũ 13. Totum pondus prælij versum est in Saül. Si autem ovis naturaliter timet suum hostem, quantò magis homo? 1. Reg. 28. Videt Saül castra Philistijm, & timuit, & expavit cor ejus nimis. Item sicut de patre impiô conqueruntur filij: ita de multis prælatis Job 31. Ita me cavi, quòd terra mea non habet adversum me querelam: Quod exponit Greg. de prælatis, & subditis. Item Augustin. de prælatô: Quantò in locô superiori, tantò in periculô majori versatur. Si ergò in majori periculô, igitur timor debet esse major. Item signum est divini amoris, cùm quis non expònitur occapationibus prælationis: Gre. Misericors Deus, quos tenerè diligit, ab occupationibus exterioribus abscondit. Nam & pater familias ad eum laborem servos mittit, à quô filios suspendit. Signum verò divinæ iracundiæ est occupatio in prælatione: Augustin. In nullô magis mihi Deum iratum sentio, sicut in hôc: cùm essem indignus poni ad remum, positus sum ad gubernàculum. Item inter septem Episcopos Asiæ, qui propter sui excellentiam vocati sunt Angeli, multi reperti sunt, contra quos Dominus aliqua habuit, licèt pauca. Quid ergò faciunt prælati, qui longè sunt à statu Angeli? Item Sapientiæ 6. Judicium durissimum in his, qui præsunt fiet: Propter hæc omnia dicit vir sanctus (Timore coram Deô.)

¶ DE PERTINENTIBUS AD Prælatum. Cap. CLXIX.

Circa omnes seipsum bonorum òperum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillànimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.

¶ Hîc dat mandatum circa quartã boni prælati conditionem, quæ pèrtinet ad officij executionem: licèt autem secundùm prædicta, plurima pertineant ad prælati officium, tamen August. hîc tangit quinquè, quæ sunt tracta ab Apostolô. ¶ Et nota, quòd inter omnia, quæ sunt magis necessaria prælato, est bonum exemplum: sine hôc enim carent efficaciâ, quæcunquè facit. Secundum est malorum correctio: quid enim prodest ei benefàcere, si mala sustinèret? Tertium est afflictorum consolatio, non enim solùm contra vitia debet adhibere remediũ; sed, & contra desolationes. Quartum est compassionis exhibitio per effectum: quid enim prodest verbis consolàri, si ubi requìrit infirmitas mentis, vel côrporis, non exhibeatur opus compassionis? Quintum est patientia: cũm enim in his, quæ habent àgere, multa gravia oriantur in subditis, parum est omnia bona facere, si desit patientia in gravamínibus, quæ inferuntur à subditis.

¶ DE PRÆLATORUM BONO exemplô. Cap. CLXX.

CIrca primum nota, quòd prælato non ſufficit ſolùm docere more Scribarum, & Phariſæorum, qui dicunt, & non faciunt; ſed debent exemplô Chriſti facere, & docere: ita ſummè pèrtinet ad eum facere: Gre. in paſtorali: Sit rector operatione præcipuus, ut rectè viam ſubditis benè viven dô denuntiet, & grex, qui paſtòris vocem, moremqpè sèquitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur: qui enim loci ſui exìgitur neceſsitate ſumma docere, hâc eâdem neceſsitate compèllitur ſumma monſtrare. Propter hoc benè dicit: (òperum) quaſi dicat: Non ſit contentus verbis bonis ad ſubditos; ſed potiùs invitàtor bonis òperum exemplis: Sicut & Benedictus in regulâ loquens de abbàte dicit: Omnia bona, & ſancta factis ampliùs, quàm verbis oſtendat. Item non ſùfficit ei facere bona occulta, niſi & faciat manifeſta. Unde Matth. 5. dicitur primitivis prælatis: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra: & ideo dicit: (exemplum.) Item non ſufficit ei cavere à malô exemplô, niſi det & bonum: unde in Evangeliô de eiſdem dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti: quod pertinet ad declinationem à malô, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, quod pertinet

tinet ad oſtenſionem boni exempli, & ideo dicit (bonorum.) Item non ſufficit ei dare exemplum in unô bonô, niſi det & in omnibus, & non ſolùm aliquibus; ſed omnibus: ideo dicit: (circa omnes.) ¶ Notandum etiam, quòd, licet omnes debeant dare exemplùm juxta illud Romano. 14. Providentes bona, non tantùm coram Deo; ſed etiam coram omnibus hominibus: tamen prælati ad hoc magis tenentur: unde ad hoc facit ſpecialem exhortationem Paulus Timòtheo Epiſcopo dicens: Exemplũ eſto fidelium in verbô, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate: hujus autem ſunt multæ rationes. Prælatus enim eſt in altô ſtatu, & ideo non poteſt abſcondi, ſicut civitas ſupra montem pô ſita: & ideo, ſi aliquid eſt turpe in eô, quantò à pluribus videtur, tantò fit deriſio major in eô. Sicut ergò, qui aſcendit per ſcalam, ſolicitus eſt veſtes ſuas reſtringere, & aptare, nè aliquid turpe in eô videatur, ita curandum eſt prælato, eò quòd in altô pòſitus ſpectaculum eſt multorum, ut nihil inhoneſtum appareat in eô; ſed potiùs omnis decor, honeſtas, & pulchritudo. Item prælatus eſt ſicut exemplar, à quô alij libri tranſcribuntur: & ideo, ſicut omnes libri ſcripti ad malũ exemplar ſunt corrupti: ita exemplum prælati, niſi ſit bonum, eſt cauſa corruptionis in omnibus ſubjectis: & ita, ſicut magna cura ponenda eſt circa primum exemplar librorum, quòd ſit multùm bonum; ſic eſt de prælatô.

latô. Item prælatus eſt, ſicut ductor gregis ſecundùm illud Pſal. Deduxiſti, ſicut oves, populum tuũ in manu Moyſi, & Aaròn. Et ideo, ſi vadit per viã malòrum òperum, ſequitur eum populus per eandem: Gre. Unde fit, ut, cùm paſtor per abrùpta grãditur, per præcipitium grex ſequatur. Et ideo dicit idem Greg. Scire debent prælati, quoniam tot mortibus digni ſunt, quot exempla perditionis ad ſubditos tranſmittunt. Idem Grego. Non debet hominum habere ducatum, qui neſcit homines, benè vivendô, præire. Item prælati ſunt miniſtri Dei: & ideo, ſicut fâmuli regis incèdũt pulchriùs, quàm cæteri populàres: ita, & ipſi debent pulchriorem virtùtum converſationem oſtèndere. Item prælati ſunt, ſicut ſignum poſitum ad ſagittas obloquentiũ de eis facilè: Et ideo expedit, ut circa hoc remedium appònant, hoc non poteſt aliter benè fieri, niſi per bonum exemplum: 2. Pet. 2. Hæc eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Item prælati ſunt, ſicut còrpora ſuperiora, quæ lùcida ſunt, & illùminant terram: ita ipſi ſubditos. Item opus exempli efficaciam præſtat verbo: quia ſecundũ Greg. plus exempla, quàm verba movent: Cum ergò prælati ſit docere, debet exemplum àddere, ut vox ſua vocem habeat virtùtis: Gregorius: Auctoritas verbi pèrditur, cùm vox òpere non juvatur. Item prælatus habet officium médici, & ideo coram infir-

firmis non debet aliquam infirmitatem portare, nè dicatur ei illud Evangelij : Mèdice cura teipsum. Quâ præsumptione alios medèri pròperat, qui in facie vulnus portat ? Nè ergò ejus officium contènatur, debet coram alijs omnimodam sui ostèndere sanctitatem. Item filiorum est imitari patrem secundùm illud Joannis 5. Quęcunquè pater facit, hæc & filius similiter facit : & ideo cavendum est prælato, nè sit de illis, de quibus dicitur Matth. 23. Secundũ opera eorũ nolìte facere ; sed potiùs cũ Apostolô dicere : Imitatores mei estòte.

¶ *DE CORRECTIONE, QUÆVIgère debet in prælatis. Cap. CLXXI.*

CIrca secundum nota, quòd quidam sunt prælati circa correctiones subditorum negligentes, contra quos dìcitur in Psal. Corripiet me justus in misericordiâ, & increpabit me. Sicut enim Domini terrarum, qui justi sunt, exercent justitiâ contra delinquentes, ita ad prælatum justum pèrtinet corrìgere : nec hoc est malitia ; sed misericordia. Item pręlati negligentes assimilantur secundùm Isidorum dormienti, de cujus manu cadit bàculus pastoralis. Et pictores pingunt talem quasi accubantem in cathedrâ super cùbitum, somnô gravatum, & cadentem de manu ejus baculum pastoralem, & benè sic assimilantur. Ex dormitione enim negli-

gentiæ verbum correctionis amittunt: & ideò ad evigilandum dicitur eis in perſonâ ſummi prælati: Simon dormis? Item ſunt, ſicut Poteſtates, qui ante ſe ferri faciunt gladium, & tamen ſine cauſâ: quia ſunt ita inertes, quòd nunquàm eô utuntur, contra quos dicitur: Si malum feceris, time Poteſtatem, non enim ſine cauſâ gladium portat. Item ſunt, ſicut imago Beati Nicolai mortua tenens baculum in manu, quô nunquàm útitur. De tali dicitur Zach. 11. Paſtor, & idòlum. Præterea iſti ſunt, qui numquàm ſcire volunt culpas ſubditorum, immò & gravant, cúm eos ad corrigendum incitant, omnia diſſimulare volentes: contra quos dicit Benedictus in regulâ: Non diſſimulet abbas peccata delinquentium; ſed mox ut oriri cœperint, radicitus ea, ut prevalet, âmputet. Iſti ſunt, qui numquàm utuntur iraſcibili potentiâ ad bonum, non iraſcentes contra delicta; ſed omnia cum quâdam ſtultâ patientiâ, quaſi inſenſibiles, ſuſtinentes: contra quos dicit Bernardus: Non iraſci, ubi iraſcendum, eſt peccatum. Iſti ſunt, qui in excuſationẽ ignavię ſuæ dicere ſolent: quòd ſubditi magis regendi ſunt benignitate, quàm ſeveritate: magis âmore, quàm timore: quod, licèt interdum habeat veritatem; tamen nõ ſemper. Unde Auguſtinus ad Bonifacium: Quidam dixit, pudòre, & libertate liberos retinèrę fãctius eſſe credo, quàm metu: hoc quidem verum eſt; ſed, ſicut meliores ſunt, quos dirigit

rigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor. Et Isid. Qui blandè castigatur, & non corrigitur, acriùs necesse est, ut arguatur: cum dolore enim abscindenda sunt, quæ cũ lenitate sanari non possunt. Et nota, quòd negligentiam corrigendi multa mala sequuntur. Quorum quoddam redundat in prælatum, aliud in delinquentem, aliud in universitatem. Sunt autem mala tria, quę redundant in prælatum. Primum est confusio: sicut est enim honor patris bonos habere filios, ita redit in confusionem malitia eorum: Eccles. 22. Confusio est patris de filiô indisciplinatô. Secundum est culpa: Transeunt enim in prælatum culpę subditorum, quos non còrrigit. Exemplum in medicô, qui reus est mortis infirmi susceptî sub curâ, nisi faciat, quod in se est de infirmô curandô. ¶ Aliud exemplum de pedagogô, cui culpa attribuitur, si puer suæ instructioni cõmissus indisciplinatus ex suâ negligentiâ inveniatur. Aliud exemplum ponit Benedictus in regulâ, de pastore, dicens: Sciat abbas culpę pastoris incùmbere, quicquid paterfamilias in ovibus minus utilitatis pòterit invenire. Tertiũ est pœna temporalis; Punientur enim non solùm in futurô; sed ẽt in præsenti prælati negligentes pro culpis subditorum. Unde iratus Dominus dixit ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solẽ in patibulis. Vide exemplum de Heli sacerdote. ¶ Sunt iterum alia tria mala, quæ redundant in damnum

mnum delinquentis. Primum est excæcatio : credit enim delinquens interdum, cùm non corrigitur, illud, quod fecit, non esse malum, vel non esse tantum malum, ut est. Ideo dicit Greg. in pastorali : Nonnulla vehementer increpanda sunt, ut, dum culpa ab actore non cognoscitur, quanti ponderis sit, ab increpantis ore sentiatur : & ideo benè dicitur Proverb. 29. Virga, & correctio tribuit sapientiam. Secundum est delicti multiplicatio : delictum enim, quod non corrigitur, faciliùs multiplicatur: Bernar. Impunitas est insolentiæ mater, radix impudicitiæ, trangressionum nutrix: Eccles. 8. Quia citò non profertur contra malos sententia, idcircò absq; timore ullo filij hominum perpetrant mala. Tertium est finalis perditio : quia enim non corriguntur, & ideo faciliùs delicta continuantur, finaliter pereunt. Sicut patet de Adoniâ dicente : Ego regnabo, quem pater non corripuit, & finaliter est interfectus. ¶ Sunt, & alia tria mala, quæ redundant ad damnum universitatis. Primum est infectio: sicut enim morbida ovis, nisi sanetur, inficit gregem: ità peccatum incorrectum. Secundum difficultas corrigendi. Tertium rebellio ad omne bonum : Delictum enim incorrectum non solùm inficit alios; sed etiam inhabiles reddit ad omne bonũ.

¶

¶ DE INQUIETIS. Cap. CLXXII.

NOtandum est, qui sint, quos vocat inquietos, & de causis hujus inquietudinis, & de reprehensionibus circa tales, & quare specialiter dicantur corrigendi. Inquieti secundùm Glo. 1. Thes. 5. dicũtur curiosi, sivè girovagi: ex quô elicitur, quòd inquieti propriè dici possunt, qui curiositate exagitati secum consistere non possunt; sed modò intus, modò extra, modò in portâ cum extraneis, modò in locutoriô cum fratribus, modò in hospitiô, modò in infirmitoriô, modò in hortô, modò in coquinâ, & sic de alijs locis. Dixit quidam tali derisoriè: Tu es sicut Deus, qui ubiq; invenìris. ¶ Porrò hujusmodi homines sunt, sicut musca animal inquietum, quæ modò super unum rèsidens, modò super alium omnes molestat: Sic, & isti discurrendô modò illum scandalizant, modò cum illô litigant, modò illum derident, modò illum còncitant, & similia, contra hos Apostolus dicit: Rogamus fratres, ut detis operam, ut quieti sitis. Sunt iterũ sicut pullus equus habẽs sub caudâ spinã, qui ubiq; discurrens nusquam potest quiescere. ¶ Circa causas hujusmodi inquietudinis nota, quòd possunt esse tres. Una levitas cordis, sicut àccidit in solivagis, qui ex levitate hujusmodi discurrunt ubiq; secun-

ſecundùm impetum cordis. Alia eſt intrinſeca: ſicut accidit in paupere, qui, cùm deficiunt ei bona ſua, cògitur diſcurrere hùc, & illùc, ut inveniat in quô reficiatur. Alia eſt ægritudo animę: Sicut enim ægritudo corporalis non ſinit hominem quieſcere, ſic etiam animæ. ¶ Nota, in vitis patrum frater quidam interrogavit abbatem Antonium dicens: Quid cuſtodiens placebo Domino? Reſpondit ille: Quòcunque vadis, habe Deum præ oculis, & in omnibus, quæ agis, àdhibe teſtimonium ſcripturarum divinarum, & in quôcumq; ſederis, non citò movearis: hæc tria cuſtodies, & ſalvus eris. Unde Hieronymus: Monachum ſe eſſe non loquendô, & diſcurrendô; ſed tacendô, & ſedendô quiſq; nôverit. ¶ Nota etiam, quòd propter tria aliquod vitium eſt magis corrigendum. Primò quando eſt manifeſtum. Secundò quando alios turbat. Tertiò quando ex diſſimulatione levius, aut nullum reputatur: & ideo, cùm omnia iſta concurrant in vitiô inquietudinis, dicitur ſpecialiter corrigendum.

¶ *DE CONSOLATIONE PRÆLATI.*
Cap. CLXXIII.

CIrca tertium notandum, quòd quidam ſunt prælati tantam auſteritatem prętendentes in verbis, in vultu, & in factis, quòd turbati fratres

in

in infirmitatibus, vel tentationibus, vel alijs angustijs, nunquam inveniunt apud eos aliquam consolationem. Isti, licèt sint vicarij Christi, qui dicitur unctus; tamen ei contrarij magis utuntur cauterio, quàm unguento. Isti, licèt in custodiâ receperint sauciatum; tamen non noverunt vulneribus ejus appònere, nisi solum vinum. Isti sunt medici; sed non noverunt conficere unctiones suavitatis. Isti habent in arcâ virgam correctionis, & tabulam præceptorum; sed non mannà dulcedinis. Isti sunt, qui in locô mellis ministrant absinthium. Isti filijs petentibus panem, ovum, vel piscem consolationis dant lapidem, vel serpentem, vel scorpionem austeritatis: Thren. 4. Filia populi mei crudelis, quasi strùthio in desertô. ¶ Sciendum autẽ, quod ex defectu hujus consolationis multa mala solent accidere in subditis. Interdum enim propter hoc ducunt vitam in amaritudine, interdũ dimittunt bona consueta, interdum facit vacilare circa statum suum mutandum, interdum facit deficere in labòre: propter quod Dominus dedit mannà laborantibus in desertô, nè deficerent. Et ideo dicit Apostolus: Omnia possum in eô, qui me confortat: Interdum facit càdere in desperationem. Item facit gravia concipere contra prælatum. Quia ergò tot mala sequuntur ex defectu consolationis, multùm pèrtinet ad prælatum subditorum consolationibus òperam dare. Possunt autem ad hoc ipsum multa inci-

tare

tare, & primò exempla, & inter ista, exemplũ Dei, qui secundùm Apostolum consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, & est Deus totius consolationis. Exemplum angeli Zach. 1. Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur verba bona, & consolatoria. Exemplum bonorum virorum. Job, cùm sederet, quasi rex, circunstante exercitu, erat tamen mærentium consolator: Job 29. Item Tobias quotidie pergebat per cognationem suam, & consolabatur. Paulus absens mittebat Timotheum discipulum suum, ut consolaretur corda discipulorum. Secundò incitare potest officium prælati, cujus est exercere circa subditos officium matris. Unde Bernard. ad prelatos: Discite matres subditorum vos esse, non dominos. Matris autem est de filiorum consolatione esse solicitam. Tertiò facta mundana. David misit servos ad regem filiorum Amòn, ut consolarentur eum super patris interitu. Tres amici venerunt singuli de locis suis, ut pariter consolarentur Job: Job 11. Legitur, quòd multi Judei venerunt ad Mariam, & Martham, ut consolarentur eas de fratre suô. Si isti tam soliciti fuerunt de consolatione desolatorum, quorum curam non habebant: quanta crudelitas est, si ille, qui habet curam alicujus desolati, & eum coram se videt quotidiè, non habet curam de consolandô ipsum? Benè ergô dicit Augustinus prælato, ut consoletur; sed quos? pusillànimes.

¶ DE

¶ DE PUSILANIMITATE. Cap. CLXXIIII.

CIrca quod nota, qui vocantur pusillànimes, & quare specialiter dicantur consolandi, & de his, quæ possunt valere ad consolationem. Pusillanìmitas dici potest timor immoderatus ex animi parvitate procedens. ¶ Porrò ista pusillanìmitas facit interdum æstimare de re, quæ non est peccatum, quòd sit peccatum: sicut àccidit in multis religiosis præcipuè de novô conversis, qui in multis æstimant peccatum, ubi non est: sicut dives timidus, quando videt paùperem, æstimat furem, quando videt divites, æstimat prædònes, & cùm sit pax, insidias suspicatur: Psal. Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Interdum verò facit timere, quæ non sunt timenda, licèt habeant effigiem timendam, ut adversitates, & verba hominum, & hujusmodi: sicut pùeri timent larvas: Bernar. Timêt, quæ non oportet. Interdum rètrahit ab aggressione futuri labòris: ardua inchoata facit dimìttere ex diffidentiâ consummationis. ¶ Circa consolationem istorum notandum, quòd confortatio pusillànimũ est opus magnæ pietatis, cedit in bonũ commune, confortat contra malitiam dœmonũ, & ideo specialiter sunt confortandi. Ad quorum consolationem multa possunt valère. Unum est verbum di-

divinum. Ipse enim Deus est, qui dicit Luc. 12. Nolite timere pusillus grex. Si magna est consolatio existenti in periculô maris, vel infirmitatis, vel belli, quando dicit sapiens gubernator navigantibus, sapiens medicus infirmantibus, sapiens dux pugnantibus, nôlite timere, quanta debet esse consolatio illis, quibus tantus, & tam sapiens dicit: Nolite timere? Aliud est spes de divinô auxiliô: Sperare enim potest omnis serviens, quòd non dèserit eum, quem suô sanguine redemit: Nam ipse per Esa. dicit: Noli timere, quia ego redemi te. Si autem spes omnis est consolatoria, juxtu illud: Spe gaudentes, quantò magis talis spes? Aliud est promissio hujus auxilij, quod magis est, quàm spes. Unde Esa. 41. Servus meus es tu, elegi te, & nô abjeci te, nè timeas, quoniam ego tecum sum. Si obsessis est magna consolatio, quando aliquis potens mandat eis, quòd cum eis erit, & juvabit eos: quantò major debet esse consolatio illis, quibus dicit Dô minus se non futurum, sed adesse? Aliud est societas magna, & bona. Quis est enim adeo timidus, quem bona societas non confortet? Speratur enim, quòd servientes Deo non solùm habent secum in societate angelos, immô, & bonos viros. Aliud est contrariorum prostratio. Quicquid enim est in mundô terribile, sivè peccatum, sivè diabolus, sivè prospera, sivè adversa, & hujusmodi, totum victú est à Dominô, Et ideo dicit Joan. 16. Confidite, ego

vici

vici mundum: Sicut ergò minus timet, qui, debellatò hoste, pugnaturus est: Ita postquam devictus est mundus, magna consolatio fiduciæ potest oriri in cordibus omnium, qui habent cum ipsò pugnare. Aliud est beneficium gratię. Gratia enim est sicut gladius, quò sufficienter potest se homo defendere, propter quod dicit Dominus Apostolo: Sufficit tibi gratia mea, scilicet ad defendendum te. Aliud est remunerationis consolatio: Gregor. Quicquid intolerabile pusillanimitas affert, hoc leve, & facile spes remunerationis ostendit: Luc. 12. Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro vobis dare regnum.

¶ DE MODO SÈ HABENDI Prælati ad infirmos. Cap. CLXXV.

CIrca quartum notandum, quòd multiplex est infirmitas: Quædam est corporalis ægritudinis: Luc. 4. Omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesùm, & ipse singulis manus impònens curabat eos: hujus autem exemplò, tales infirmi suscipiendi sunt à prælatò in viscèribus compassionis ad medicinalia pro salute. Unde Augustinus supra: Fiat sine mùrmure de consiliò medicinæ: ita ut, etiam si nolit, jubente præpositò, faciat, quod faciendum est pro salute. Alia est corporaliter: Matth. 26. Caro autem infirma, idest debilis

debilis. Sic infirmi sunt, qui habent complexionem debilem. Et tales suscipiendi sunt piè dispensativè ad aliquas spirituales recreationes. Unde supra: (Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, operimentorum, vestimentorum vè datur, quod alijs fortioribus, & ideo fœlicioribus non datur, non debet alijs molestum esse.) Alia est infirmitas concupiscentiæ carnalis: ex quâ contingit, quòd aliquis interdum pàtitur lùbricum turpe, vel frequens, licèt occultum: tales suscipiendi sunt cum omni benignitate in forô confessionis. Alia est infirmitas morum, sivè vitiorum: Bernar. An non mali mores sunt mali humores? mali autem humores sunt morbi causa. Tali autèm infirmitate labòrant homines iracundi, impatientes, impetuosi, inobedientes, tales suscipiendi sunt inter brachia patientiæ, ut sint materia ad merendum. Alia est infirmitas vacillationis, de quâ Sapien. 3. Figura infirmiter posita à ventô circummovebitur. Hujusmodi autè sunt, qui non sunt firmi in statu suô, & tales suscipiendi sunt solicitè ad confirmandum: Apocal. 4. Esto vigilans, & confirma reliqua, quæ moritura erant. Alia est infirmitas dubitationis. Et hæc est duplex: quædam circa credenda: Apostolus: Infirmum in fide assúmite: quædam circa agenda, de quâ Apostolus: Conscientia ipsorum, cùm sit infirma, pollùitur: Hujusmodi autem infirmitate laboro-

borant, qui, vel tentantur in fide, vel pusillanimitate conscientiæ in agendis vacillant, tales suscipiendi sunt in spiritu mansuetudinis ad instruendum: Apostolus: Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, illos scilicet, qui præoccupantur in aliquô delictô: tales autem hujusmodi infirmi, qui non ex malitiâ, sed ex ignorantiâ cadunt interdum, sunt sicut cœcus in viâ. Alia est infirmitas perfectionis, tales autem sunt novitij, & alij, qui non ascenderunt ad perfectionem in Christô, & isti sunt charitativè suscipiendi, tanquàm parvuli: Apostolus: Tanquam parvulis in Christô lac potum dedi vobis, non escam. Sed sunt aliqui prælati (quod cum dolore referendum est) qui infirmis non viscera pietatis, sed potiùs crudelitatis ostendunt, non condescendentes eorum infirmitatibus: non sunt isti sicut beatus Nicolaus, qui super afflictos pia gestabat viscera: non sicut Job, cum quô ab infantiâ crevit miseratio: non sicut Paulus, qui dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Isti sunt medici animarum; sed non eis est cura de male habentibus: Isti sunt illi pastores maledicti, de quibus loquitur Ezechiel dicens: Veh pastoribus Israël. Et post: Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod confractum, non alligastis: quod ægrotum, non sanastis, & quod abjectum, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis. Item de spiritusanctô legitur Ro: 8. quòd àdjuvat infirmi-

tatem nostram. De Paulô iterum legitur Actuum 20. quòd ipse laborabat manibus propriis, ut haberet, unde susciperet infirmos, & sic faciendum exemplô suô monstraret. Natura iterum docuit omnia volatilia, & animalia, quòd majorem curam habent de fœtibus adhuc debilibus, quàm quando sunt fortes. Contrarij ergò sunt spiritui sancto, Paulo, naturæ prælati ad infirmos crudeles. Item prælatus potiùs sumitur ad onus, quàm ad honorem: & ideo illos subditos, qui propter infirmitatem mentis, vel corporis, sunt onerosi, non debet projicere sed potiùs humeros ad portandum supponere.

¶ *DE PATIENTIA PRÆLATI ad subditos. Cap. CLXXVI.*

Circa quintum nota, quòd tria sunt, quæ solent dare occasionem impatientiæ. Unum est magnitudo status. Faciliùs enim solent irasci viri magni, qui non habent supra se reprimentem, quàm juniores: Prover. 28. Secundùm ligna silvæ, sic exardescet ignis, & secùndùm virtutem hominis, idest potentiam, sic iracundia erit. Aliud est gravamen, sicut est in infirmô. Exemplum de Job, qui, quasi gravatus infirmitate, videtur multa quasi impatiens dixisse amicis consolari eum volentibus. Aliud est multitudo negotiorum: hæc enim sunt muscæ pungentes, & ideo quantò plura sunt, tantò magis mo-

lest-

leſtant. Iſta autem tria ſunt in prælatô, & ideo multas habet occaſiones impatientiæ. Verùm impatientia prælati multum eſt periculoſa, ad ipſum enim propter règimen cuncta pertinet facere ſapienter. Impatientia verò perturbat ſapientiam: Prover. 3. Impatiens operatur ſtultitiam: qui verò patiens eſt, multâ guvernatur ſapientiâ. Ad ipſum iterum pertinet juſtè judicare, juſtè corrigere, & juſtè omnia facere. Impatientia verò perversè, & injuſtè omnia facit: Jac. 1. Ira viri juſtitiam Dei non operatur. Item impatiens eſt quaſi furioſus: furia verò magis periculoſa eſt in ſolutô, quàm in ligatô: Prælatus verò eſt quaſi ſolutus: quia non eſt ligatus per obedientiam, ſicut ſubditus. Et ideo ſua impatientia totam domum perturbat, ſicut furioſus ſolutus. Contra quam dicitur Eccleſ. 4. Noli eſſe ſicut leo in domô tuâ, evertens ſubjectos tuos, & òpprimens eos. Patet ex his, quàm periculoſa eſt impatientia prælati, cùm perturbet ejus ſapientiam, & pervertat ejus juſtitiam, & faciat abùti potentiâ. ¶ Notandum autem, quòd, ſicut prælatus habet alios portare: ita & ipſe indiget portari à ſubditis: nihil autem eſt, quod faciat eum magis importabilem, quã impatientia: Prover. 18. Epiſcopum ad iraſcendum facilem, quis pòterit ſuſtinere? Nec mirum, quia ſicut dicitur Eôdem 27. Grave eſt ſaxum, & arena oneroſa; ſed ira ſtulti utrôquè gravior. Item debet eſſe talis, ad quem debent omnes reccurrere; impa-

tienti verò vix audet aliquis appropinquare: sicut scriptum est de Nabàl 1. Reg. 25. Ipse est filius Beliàl, ita quòd nemo possit ei loqui. Item prælatus est quasi signum ad sagittam, contra quem aliquis oblòquitur, alius murmurat, alius judicat, alius insipientem dicit, alius in tali defectu, alius in delictò tali, & ita, nisi sit patiens, semper erit turbatus, & nunquàm tranquillus, quod valdè est contrarium statui prælationis. Sicut enim Deus, qui omnia regit, in summâ est tranquillitate: ita prælatus in tranquillitate debet omnia dispònere, & non turbari aliorum turbinibus. Unde de David 2. Reg. 14. dicitur: Sicut Angelus Domini, sic, & dominus meus rex: ut nec benedictione, nec maledictione moveatur. Benè ergó datur prælato mandatum de patientiâ habèdâ ad omnes: quia, & occasiones multas habet impatientiæ: & periculosa est valdè impatientia ejus, & necessaria est ei patiètia propter multa. Ideo dicit August. (Patiens sit ad omnes) ut patet ex dictis.

Disciplinam libens habeat, metuendus impònat.

¶ In hôc quintô mandatô circa bonas conditiones prelati determinatur quòmodò se debeat habere circa disciplinam. ¶ Et notandum, quòd disciplina tripliciter accipitur. Quandoquè dicitur correctio: Prover. 23. Noli subtràhere à pûerô disci-

pli-

plinam, quandoquè dicitur religiosa morum tenorio. Hugo de sanctâ victo. Disciplina est membrorum omnium motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu, & actione: quandoquè dicitur opus pœnitentiale, ut sunt abstinentia, vigiliæ, & hujusmodi: Heb. 12. Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij; sed mœroris, & hôc modô accipitur hîc.

¶ DE RELIGIOSIS, IN QUIBUS PERIJT VITÆ AUSTÉRITAS.

Cap. CLXXXVII.

ET notandum est, quòd in quibusdam religionibus, ita perijt austeritas, quòd nec apud majores, nec apud minores servatur: in alijs religionibus, & si servatur à minoribus; non tamen apud majores: Apud quosdam verò servant majores; sed non minores, quia ad hoc non compelluntur: Ber. ecce pàrcitas reputatur avaritia, sobrietas austèritas creditur, silentium tristitia reputatur: èconversô remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquàcitas affabilitas, cachinnatio jocunditas, mollities vestimentorum honestas, lecti superfluus cultus munditia. De prælatis idem dicit: Vides quosdam de majoribus lautiùs comèdere, sapidiùs bibere, indui pulchriùs, cubare molliùs, loquì licentiùs

tiùs, orare rariùs : hęc enim est abusio in totâ ecclesiâ, ut, sicut sunt homines in statu sublimati, sic & magis velint vivere delicatè. Non sunt isti prælati secundùm ordinem Apostolorum, de quibus dicit Apostolus : Usque in hanc horam esurimus, & nudi sumus ; sed secundùm ordinem scribarum, & pharisæorum, qui impònunt ònera gravia, & importabilia in hùmeros hominum ; digitô autem suô nolunt ea movère. Davìd autem rex sitiens noluit bibere aquam, quam tres fortes cum periculô vitæ asportaverunt ei ; sed libavit eam Domino dicens : Propitius sit mihi Dominus, nè faciam hanc rem : num sanguinem istorum hominum, & animarum periculum bibam? 2. Reg. 13. Multi autem de statu humili transeùntes ad qualemcunque statum altiorem faciùt sibi magnas delicias assiduè de his, quę pauperes fratres cum multô labore còrporis, & angustiâ cordis conquirunt. Legitur in historiâ Tripartitâ, quòd, cùm Theodosius imperator esset in quâdam expeditione, in quâ exercitus laborabat siti : Quidam videns eum æstuantem siti, obtúlerit ei potum limpidissimum confectum ex aromatibus, aquâ frigidâ super fusâ, qui vinces animum suum noluit bibere ; sed offerenti reddidit ut alij, cui veller, offerret: & hoc fecit, ut corda aliorum intuentium propter hoc animarentur ad tollerantiam sitîs. Simile lègitur de Alexandrô magnô. Mira res! homines sæcularîs dignitatis àbstinent, ut

ut suô exemplô alios ànîment, & prælati ecclesiastici, immô religiosi non curant; sed subditi eorum durum victum ducentes, exemplô suorum excessûũ in cibis, & pòtibus scandalizantur. Moyses, & Aaròn principes populi eôdem cibô, & potu usi sunt, quô populi in desertô: 1. Cor. 10. Omnes eandem escam spiritualem, idest, spiritualia significâtẽ, manducaverunt, & cũndem potum. Et quidam prælati, vel officiales religiosorum non dignantur comèdere, vel bibere, sicut conventus? ¶ Legitur de sanctô Germanô Episcopô, qui fuit nobilissimus ante episcopatum, & delicijs dèditus valdè, postquàm factus fuit Episcopus, usquè ad terminum vitę suæ, scilicèt annos 30. corpus sic afflixit, quòd numquàm comèdit panem frumenti, nec vinum bibit, nisi in die Nativitatis, & Paschæ, nec oleum, nec sal pro sapòre comèdit, & cineres in refectione prælibabat, & nullam hubuit vestem præter cilicĩũ, & cucullam: lectulus ejus cineres, & quotidianâ impressione duratos, suppositô tantùm unô saccô, cum cilicĩô continebat: numquàm vestimentum, vel calceamenta extrahebat. Quid dicent ad hoc homines rusticani, qui promòti ad modicas dignitates in religione, nil volũt austeritatis sustinere in vitâ; sed semper singulares in cibis, & potibus, & lectisternijs, & vestibus, cõmunibus numquàm sunt contenti? Rechabitæ propter præceptum Jonadàb patris sui àbstinent à vinô perpetuè: sicut dicitur.

Hjere. 35. Et quidam prælati, qui debent esse filij Dei per imitationem, nolunt abstinère à superfluis delicijs. Denique pastor dicitur à pascendô non se, sed gregem, juxta illud 1. Pet. 5. Pàscite, qui in vobis est, gregem Dei. Isti verò non curant de pascendô grege conventûs; sed solum de se: & ideo maledicti à Dominô dicuntur: Ezech. 33. Veh pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges pascuntur à pastoribus? Ex his patet, quàm reprehensibile sit, cùm apud majores in religione vitæ austeritas non invenitur.

¶ *CONTRA PRÆLATOS MOLLES ad subditos.* *Cap.* CLXXVIII.

DE tertiô nota, quòd sunt quidam prælati, qui, licèt vivant disciplinatè; tamen ex quôdam defectu, vel pusillanimitate, vel timore sunt ita molles ad subditos, quòd, quasi numquam pro excessibus duram pœnitentiam, vel aliquam duram obedientiam, vel necessitatem observandi austeritatem ordinis impònunt eis. Propter quod apud eorum subditos perijt hujusmodi disciplina. Tales prælati sunt sicut formidines positæ in agris ad timorem avium, vel bestiarum, quæ tenent arcum extentum, & nunquàm percutiunt: Barùch ultim. Sicut formidines sunt in cucumerariô. Sunt iterum sicut reges non habentes bàculum, nisi arundineum: sicut deri-

derisivè factuum est Christo, contra quos dicitur in Psal. Reges eos in virgâ ferreâ. Sunt etiam sicut burgenses civitatum, qui filios suos expònunt voluptatibus, & delicijs omnibus, & non tenent eos sub aliquâ virgâ, & ideo finaliter confundunt se, & parentes, contra quos ad Ephe. 6. dicitur: Educate filios vestros, in disciplinâ, & correctione Domini. Non reliquit hujusmodi mollitiei exemplum Christus, qui flagellò usus est ad verberandum delinquentes in templò: Non Apostolus, qui fornicatorem sathànæ tràdidit: Non Petrus, ad cujus imprecationem proprietarij morte subitaneâ perierunt: Non est sapientis medici semper uti lenibus, quia plus prosunt interdum corpori ad salutem aspera, & cum dolore abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Apostolus: Peccantem coram omnibus còrripe, ut cœteri timorem habeant. Ergò boni prælati est argùere viriliter, ut ab omnibus alijs timeatur. Et ideo benè dicit vir sanctus: (disciplinam metuendus impònat) idest ita strenuè impònat, ut timeatur. Patet ex jam dictis, quàm reprehensibile sit, cùm in religione perijt disciplina, sivè austeritas, vel apud omnes, vel apud majores solùm, vel apud minores solùm: & ideo, ut apud omnes vigeat, dicit vir sanctus prælato: (disciplinam libens habeat, metuendus impo-

nat.)

ET, *quamvis utrumquè sit necessarium; tamen plus à vobis amari àppetat, quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Unde & vos magìs obediendò non solùm vestri; sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quantò in locò superiori, tantò in periculò majori versatur.*

¶ In hôc sextô locô pònitur mandatum circa bonas conditiones prælati, quantùm ad animi interiora. Sunt autem hæ duæ, scilicèt: actiones, & cogitationes, circa quarum utrumq; tradit mandatum, circa primum, cùm dicit: (& quamvis &c.) circa secundum, cùm dicit: (semper cogitans.)

¶ *Circa primum notandum*, quòd, licèt ad prælatum pertineat, & timere, & amari; tamen secundum est melius. Et ideo, cùm dixisset in præcedenti mandatô: (metuendus imponat) subdit, quòd, quamvis utrumq; sit necessarium; appetendum est tamen plus secundum.

¶ *NECESSARIUM EST PRÆLATO, quòd timeatur. Cap. CLXXIX.*

SCiendum ergò, quòd secundùm quòd hîc dicitur, necessarium est prælato, quòd timeatur, & hoc propter subditorum utilitatem. Multi enim illorum sunt, qui frequenter magìs timòre inducun-

cuntur ad bonum: Aguſt. Sicut meliores ſunt, quos amor dirigit: ita plures ſunt, quos timor corrigit. Item propter ſtatûs ſui exigentiam: indecens enim, & inconveniens eſt, quòd aliquis præſit aliquibus, & non timeatur ab eis: & ideo Dominus, qui dedit homini dominium ſuper animalia, immiſit cũ hôc timorem ſuper ea: Gene. 9. Terror veſter, & tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ. Item propter Dei honorem: non enim eſt ad honorem regis; ſed ad confuſionem, cùm ejus bàculus non timetur. Et ideo dicitur Lucæ 10. prælatis: Qui vos ſpernit, me ſpernit. ¶ Porrò hujuſmodi exemplum, videlicèt, quòd prælati timeantur, habetur in naturâ. Inter animalia omnia illud, quod magis timetur ab omnibus animalibus, eſt illud, quod natura fecit ſuper alia, videlicèt Leo. Item habetur exemplum in poteſtatibus ſæcularibus: Romano. 13. Si malum feceris, time poteſtatem: non enim ſine causâ gladium portat. Item habetur in principibus Apoſtolorum: Nam dicit Paulus: In virgâ veniam ad vos, aut in charitate, & ſpiritu manſuetudinis. Petrus verò, occiſis proprietatarijs; incuſsit timorẽ omnibus: Actuum 5. Factus eſt timor magnus in univerſâ eccleſiâ. Sunt autem tria, quæ valent ad hoc, ut prælatus timeatur: Primum eſt morum gravitas: ſicut enim, quando conformat ſe quotidianis levitatibus, multotiens fit ex hôc contemptibilis prælatus: ſic gravitas faciteum haberi in timore venerabi-

rabili, propter hoc dicitur de Job 20. Videbant me juvenes, & abscondebant se. Secundum est auctoritas: sunt enim quidam, qui nunquàm pròdeunt ad aliquod opus virile ex auctoritate, quam habet, & ideo dicit Apostolus ad Timòtheum: Argue cum omni imperiô: nemo te contemnat, quasi dicat: In hôc fac imperiosè, nè vertàris in contemptum. Tertium est rigor justitiæ, cùm videlicèt talis est, quòd nõ creditur, quòd aliquô modô à justitiâ flectatur; & ideo de Herode dicitur Marci 6. Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum.

¶ *PRÆLATO EST MAGIS curandum de amore subditorum, quàm timore. Cap. CLXXX.*

NOtandum, quòd, licèt necessarium sit prælato, quòd timeatur; tamen magis est ei curandum de amore subditorum, & hoc multis de causis, quarum aliæ sunt ex parte subditorum, aliæ ex parte prælati, quod sic patet. Illud, quod imponitur amãti, licèt difficile sit; tamẽ fit facilius, quàm quod imponitur timenti: nihil enim amanti difficile fit. Itẽ quod fit à tali, quòd fit hilariter, & non cum tristitiâ, sicut quod fit ex timore, acceptum est Deo. Unde Apostolus: Non ex tristitiâ, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Item timentis est fugere; diligentis verò adhærere. Et ideo ubi-

timentes fugiunt, interdum ipsi adhærent prælato infatigabiliter, sicut Lucas Paulo secundùm Hiero. Et ideò secundum Apostolum charitas dicitur vinculum perfectionis. Item prælati in multis indigẽt portari à subditis: hoc autem facit amor: August. Tantum quisq; portat, quantum amat. Item indigent juvari in multis, hoc autem dilectio facit: Amici est juvare amicum, & pro adjutoriô solet unus ad alium recurrere. Item frequenter à subditis molestantur; sed dilectio non novit hoc facere, quia dilectio proximi malum non operatur. Quantum ergô debent prælati appètere, ut a subditis diligantur, cũ subditos hoc faciat faciliùs obedire, & acceptabiliùs Deo servire, & fortiùs eis in bonô adhęrere, & ipsos prælatos faciat portari indefectibus, & eos juvare in negotijs, & ad eos se habere quietiùs? Ideo non solùm August. sed & Bernar. dicit ad prælatos: Studète magis amari, quàm timeri. Et Isidor. Talem te redde subditis, ut magis ameris, quàm timearis. Quis ergò dubiter, quin hoc à Spiritu sanctô sit, in quô tres tanti doctores unô ore concordant? ¶ Sed notãdum, quòd ad hoc, ut prælatus diligatur à subditô, cavendum est à superbiâ, quæ non diligi facit; sed odiosum reddit: Eccles. 5. Odibilis est coram Deô, & hominibus superbia. Item à duritiâ, quę riddidit Roboan odiosum populo. Et ideo dicitur ècontrariô in Ecclesiasticô: In mansuetudine òpera tua pèrfice, & super gloriam hominum

dili-

diligeris. Item à singularitate, cùm enim conformat se alijs prælatus, & est in illis quasi unus ex illis, ex hôc acquirit sibi aliorum amorem: Eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile.

¶ DE REDDENDA RATIONE à Prælatô. Cap. CLXXXI.

REstat videre post hujusmodi appetitum pertinentem ad affectum, de cogitationibus prælati pertinentibus ad intellectum, inter omnes autem cogitationes pertinentes ad statum ejus hoc est de magis necessarijs, ut non ad horam; sed semper cogitet de ratione reddendâ Deo pro subditis: propter quod dicit: (semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem.) Nam quandoq; ; exigitur ratio de rebus parum valentibus: Prælati verò habent reddere rationē de rebus pretiosis, scilicet animabus: Heb. ult. Ipsi pervigilant, quasi reddituri rationem pro animabus vestris. Item Dominus requirit rationem de numerô: Hjere. 30. Adhuc transibunt greges ad manum minantis. Et quia prælatus debet habere curam solicitam de custodiâ omnium exemplô Salvatoris, qui dicit Joan. 13. Quos dedisti mihi, ego custodivi, & non perijt ex eis, nisi filius perditionis. Item de fructu, Benedictus in regulâ: Sciat abbas culpę pastoris incumbere, quic-

quid

quid in ovibus paterfamilias minus utilitatis poterit invenire. Et ideo debet prælatus dare operam diligentem circa subditos, ut debitum fructum reddãt exemplô illius boni pastoris, qui dicit Gen. 31. Oves tuæ, & capræ tuæ steriles non fuerunt. Ex his apparet, quòd judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet: Durum, quia de singulis animabus commissis oportebit rationem reddere: Durius, quia anima pro animâ punietur: Durissimum, quia pro solâ negligentiâ hoc incurrere possunt: veh multis prælatis, qui hoc non cogitant! Et ideo dicit vir sanctus: Semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Attendendum verò est, quòd, cùm anima prælati sit in majori periculô, quàm animæ subditorum, ideo propter eos multùm tenentur compati animabus eorum, & dare operam, nè propter eos ipsas perdant: hoc autem faciunt, cùm bene obediunt, & ideo incidenter subdit: (Unde & vos magis obediendô, non solùm vestri; sed etiã ipsius miseremini, qui inter vos quantò in locô superiori, tantò in periculô majori versatur.)

DOnet Dominus, ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bonô Christi odore de bonâ vestrâ conversatione fragrantes: non sicut servi sub lege; sed sicut liberi sub gratiâ constituti.

¶Hoc est secundum, quod facit ad regulæ obser-

van

vantiam, scilicèt paterna oratio. Nam boni doctoris est non solùm studere sapientiæ, ut sciat, quid doceat, & non solùm docere verbô, vel scriptô, ut instruat; sed, & dare operam, ut observetur, quod dicit, ut proficiat. Quia verò non est seminantis, nec terræ seminatę fructum producere; sed Dei solius, ideo recurrit bonus doctor super hôc ad orationem. Inde est, quòd doctor egregius in fine doctrinę in Epistolis semper orat dicens: Gratia Domini nostri Jesû-Christi, cum omnibus vobis, qui scilicèt moneat, & juvet ad faciendum, quod docui. Eôdem modô orat August. dicens: (Donet Dominus, ut observetis hæc omnia) Quasi dicat: Quid prodest me in istis studuisse, & vobis ita tradidisse, nisi observetis? Ideo rogo Dominum, ut ille, qui solus potest, donet, ut hęc observetis.

¶ *CONTRA RELIGIOSOS, QUI non observant ordinem suum.*

Cap. CLXXXII.

NOtandum autem primò, quòd sunt quidam religiosi, qui tràdita sibi a Deô mandata parvipendunt, eò quòd passim transgredientes ordinem dissipant. Similes illi, cui dicitur Hjere. 2. A sæculô confregisti jugum meum, rupisti vincula, & dixisti: non serviam. Isti sunt sicut Rhinòceros, quod animal

animal secundùm Grego. in moralibus adeo est indòmitum, quòd si ligetur, mòritur, vel vinculum dissolvit. ¶ Sciendum autem, quòd multa sunt, quæ valent ad hoc, quòd religiosi observent ordinem suum. Unum est exemplum priorum. Legitur Hjerem. 35. quòd Rechabitæ propter mandatum patris sui Jonadàb nunquam bibunt vinum: Pharisæi,& Judæi propter traditiones seniorum,nisi crebrò manus lavent, non manducant. Legem Persarum,& Medorum nullus audet violare. Quantò ergò magis religiosi Christiani servare debent mandata Sancta Sanctorum patrum suorum ? Et nisi faciant,timendum est eis, nè illi contra eos surgant in judiciô, & condemnent eos. ¶ Aliud est promissionis obligatio facta per professionem, qui enim promittit, & non reddit, ipse sibi laqueum mortis parat. Unde Benedictus in regulâ: Qui aliquando aliter fecerit, à Deô se damnandum sciat, quem irrìdet. ¶ Tertium est apparentia exterior : Quid enim prodest nomen, vel habitus religionis, ubi desunt opera religionis ? Ambrosius: Quod sumus professione, actione potiùs,quàm nomine demonstremus, ut actio respondeat nomini, & nomen respondeat actioni. ¶ Quartum est successio sanctorum: Viri enim religiosi tanquam filij succedunt in hæreditatem sanctorum: & ideo, si verè sunt filij, & non adulteri,debent eos imitari in operibus. Unde Dominus dicit Judæis: Si filij Abrahę estis,

opera Abrahę facite. Eâdem ratione : Si filij Augustini, Benedicti, Dominici, Franciſci eſtis, opera eorum, quæ fecerunt, & facienda tradiderunt, facite. ¶ Quintum eſt conditio cohabitationis: nã ſecundùm leges eorum, cum quibus habitamus, debemus vivere. ¶ Sextum multitudo inconvenientium. Nam Eccleſ. 5. dicitur, quòd diſplicet Deo ſtulta, & infidelis promiſsio. Item dicitur Eccle. 36. Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſsio. Cùm ergò obſervantię regulares ſint quaſi ſepes, ſequitur ex eòrum diſsipatione direptio omnium bonorũ ſpiritualium. Item, ſi omne mendacium eſt reprehenſibile, quantò eſt major, cui mentìtur, tantò reprehenſibilius eſt mendacium. Tales autem Deo, cui ſe obligaverunt, mentiuntur, & ideo valdè timendum eſt de morte ſubitaneâ: ſicut àccidit Ananiæ, ex eâdem causâ: Act. 5. Non es mentitus hominibus; ſed Deo. Audiens autem Ananìas hæc verba cècidit, & expiravit. Item tales ſunt ſicut ſtatua David, in quâ aliud non eſt inventum, niſi ſolùm veſtes, & pelles caprarum: 1. Reg. 19. in quâ illuſum eſt regi Saũl, & non ſine indignatione ejus. Quare, inquit, ſic illuſiſti mihi? Nunquid non eſt illuſio ſimilis, quando non invenìtur in religione niſi habitus? Item ſicut 1. Eſdræ 3. Seniores, qui viderant templum, cùm eſſet aliter fundatum hoc templum, in oculis eorum flebant. Et cauſa, quia quaſi nihil erat illud in comparatione ad primum. Quantũ ergò

ergò materiam doloris habent viri perfecti, qui vident religionem tam graviter corruisse à statu antiquò? Item religio via est ad Paradisum, qui ergò dissipant eam, faciunt, nè sequentes possint per eã illuc transire: Esa. 33. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per eam. Item multi videntes religionem dissipatam, amittunt devotionem intrandi ad eam: Barúch 4. A multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt à lege Dei. Item sæcularibus propter hoc facta est in derisum: Tren. 2. Plausérunt super te manibus omnes transeúntes per viam, sibilaverunt, & moverunt capita sua super te filia Hjerusalém. Vide etiam de illô, qui dixit matri: Volo salvare animam meã, & tandem nègligens fuit in religione.

¶ *CONTRA ILLOS, QUI NON integrè servant ordinem suum.* Cap. CLXXXIII.

NOtandum secundò, quòd sunt aliqui, qui non integrè servant ordinem suum; sed aliquam partem servant professionis suę, aliquam non. Isti sunt sicut Samaritani, qui partim colebant Deum partim idòla. Isti sunt, qui sequuntur Dominum claudicandô, contra quos dicit Helías 1. Reg. 18. Usquequò claudicatis in duas partes? Sunt iterum sicut adultera, quę, licet à virô non recèdit omnò;

nò; tamen juxta eum recipit alterum. Sunt iterum sicut pica, quæ partim est alba, partim nigra: Et isti sunt partim mali, partim boni. Quod obstupescens Dominus dicit Hjere. 12. Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi? ¶ Sciendū est autē, quòd ex hujusmodi partiali ordinis transgressione sequuntur multa mala. Tales enim sunt sicut vas perforatum, & bona alia, quæ faciunt, per partem religionis, quam frangunt, amittunt: Eccl. 9. Et qui in unô peccáverit, multa bona amittet: Exemplum in vitis patrum de quôdam, qui est visus haurire aquam de puteô, & ponere in lapide perforatô, & inde tota exibat. Unde etiam Jaco. 2. dicitur: Qui in unô offenderit, factus est omnium reus. Exemplum: Quidam miles invènit quendam stultum monachum, qui amore uxoris suæ fecerat vestem quandam, quę partim erat religiosa, partim sæcularis, & apprehendens eum dixit: Domine monache ex parte istâ, quę est religiosa, non audeo vos tàngere, nè essem excommunicatus; sed ex parte istâ sęculari benè possum vos tàngere: & ex illâ parte tantum verberavit eum, quòd mortuus est: ita ac si per totum corpus verberasset eum. Non est autem dubium, quin similiter homines hujusmodi Deus cōdemnaret, ac si totam professionem transgrederentur. Ité tales sunt deturpati, sicut nuntij David, quando rasa fuit barba eorum dimidia, & vestes mediæ præcisæ usq; ad nates, & non sunt digni stare in conspe-

ctu

ctu Davìd. Et ideo dicitur eis : Manete in Hjericò, donec crescat barba vestra: 2. Reg. 10. Item per fracturam religionis ingrediuntur hostes: Job. 30, Quasi ruptô murô, & apertâ januâ irruerunt super me. ¶ Item tales omnia, quæ promiserunt, debent reddere: & ideo, si partem reddant, & non totum, non evadunt tortores: Matth. 18. Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoûq; redderet universum debitum. Quia ergò indecens est, semiplenè religionem servare, & tot mala indè sequuntur, dicit vir sanctus : (ut observetis hæc omnia.)

¶ *DE SPIRITUALI PULCHRITUdine. Cap. CLXXXIV.*

NOtandum tertiò, quòd, sicut est quædam pulchritudo corporalis, ita est quędam spiritualis, scilicèt virtutum, de quâ Sàlomon multùm prophetavit in librô Canticorum. Hæc est, quæ reddit hominem similẽ pulcherrimo Deo. Unde quod homo factus dicitur ad similitudinem Dei, dicunt sancti referendum ad virtutes, per quas homo assimilatur Deo. Hæc est, quæ sola reddit Deo amabilem: Unde Psal. Audi filia, quod est obedientiæ, inclina aurem tuam, quod est humilitatis, & obliviscere populum tuum, quod est extinctionis carnalis affectûs, quæ omnia sonant virtutem. Et se-

quitur: Et concupiscet rex decòrem tuum. Item pulchritudo hæc non est mutuata sicut multæ pulchritudines corporales; sed est consubstantialis, & naturalis ipsi virtuti: Seneca: Nullô honestamentô indiget virtus: quia ipsa magnum decus sui est, & ideo major, sicut pulchritudines naturales in floribus. Item pulchritudo corporalis citò marcescit: Jaco. 1. Non sic autem pulchritudo virtutum. Et ideo dicitur Cant. 6. Anima sancta pulchra, ut luna, cujus pulchritudo non deficit. Legitur de beatô Antoniô, quòd, cùm vidisset quandam mulierè valdè ornatam, flevit dicens: Ignosce mihi omnipotens Deus, quia unius diei istius meretricis ornatus totius vitæ meæ superavit ornamẽta: ista tanta pro mundô composuit, & ego immortali Domino placere proposui, & similia per meam negligentiam nunquàm implevi: propter hoc ergò benè dicit vir sanctus: (tanquàm spiritualis pulchritudinis amatores.)

¶ *DE ODORE BONÆ FAMÆ. Cap CLXXXV.*

QUartò notandũ, quòd in scripturâ sanctâ bona fama dicitur odor multis de causis. Fœtor enim eggrèditur à rebus vilibus, ut est lutum, vel stercus; sed odor de rebus pretiosis, ut est cinamomum, balsamum, & hujusmodi. Eôdem mo-

dô

dō fama bona à pretiosâ sanctitate bonorum eggreditur. Judith 8. Hæc erat omnium famosissima: quia timebat Dominum valdè. Item bonus odor, cùm sentitur, indicat rem, cujus est: ita bona fama indicat Christum esse apud eos, qui sic rèdolent: Apostolus 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus. Itē, sicut bonus odor rèficit, sic bona fama. Prover. 15. Bona fama impinguat ossa. Item, sicut bonus odor, licèt regulariter cònferat, tamen quibusdam venenatis nocet, ut buffòni: ita bona fama. Unde Apostolus: Christi bonus odor sumus his, qui salvi fiunt, & his, qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem: alijs odor vitæ in vitam. Glos. Illi, qui invidebant bonæ famæ Pauli, vel Christi bono odori, peribant. Noli ergò invidere, & non occidet te bonus odor. Item, sicut odor ex odorìferâ re contusâ magis elicitur: ita & fama bonorum: Cant. 5. Perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Glosa: Ecclesia pulsata, & probata odorem constantię suę, & abundantioris virtutis ubiquè diffundit. Item bonus odor àttrahit. Unde dicitur de panthèrâ, quòd propter bonum odorem alię ferę sequuntur eam: ita bona fama. Canticorum 1. Curremus in odorē unguentorum tuorum. Exemplum de reginâ Sabbà, quam Salomònis fama traxit de finibus terrę. Hiero. Ab ultimis Hispaniarum, Galliarumquè finibus quosdam venisse legimus, & quos ad sui contemplationem Roma non traxit, unius ho-

hominis fama perduxit. Item bonus odor secundùm medicos resolvit: ita & bona fama resolvit multos in devotionem. Unde Tobiæ 7. Auditô nomine Tobiæ senioris, misit se Raguel, & cum lacrymis est osculatus Tobiam juniorem, & plorans supra collum ejus dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri es filius.

¶ ERRORES CIRCA FAMAM. Cap. CLXXXVI.

NOtandum autem, quòd à multis multis modis erratur circa hujusmodi famam. ¶ Sunt enim aliqui, qui omninò non curant de suâ famâ. Contra quos Eccles. 41. Curam habe de bonô nomine. Alij sunt, qui propter confidentiam bonæ conscientiæ, famam nègligunt, contra quos Hjero. Non habeas illud: sufficit mihi conscientia mea: non curo quid de me loquantur homines: Apostoli providerunt bona non solùm coram Deô, sed etiam coram hominibus. Alij sunt, qui bonam famam amittunt non ex malitiâ; sed ex negligentiâ, cõtra quos Augustin. Sancta conversatio tanta debet esse, nè fortè, cùm mala vita sit per lasciviam, mala fama fiat per negligentiam. Alij sunt, qui non parcentes famæ suæ, audacter aliqua committunt cum dispendiô famæ suæ, contra quos est illud Gregor. in regist. ô: Quicquid potest gravare opinionem tuam, omni-

omninò fugias, & cõmittere illud nullius suasioni consentias. Alij sunt, qui dùmmodò à viris malis caveant, non curant mala similia declinare, contra quos dicit Apostolus 1. Thes. 5. Ab omni specie mali abstinete vos. Alij sunt, qui, & si in unô locô relinquunt bonam famam, tamen nõ sic in alijs, contra quos Apostolus 2. Cor. 7. Odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni locô. Sunt autem multa, propter quæ boni viri debent appònere diligentiam ad habendam bonam famam. Unum est utilitas proximi: August. Nobis necessaria est vita nostra, alij fama nostra: Nam, sicut crudelis est, qui famam suam nègligit: sic qui non curat alijs subvenire. Secundum est utilitas propria. Tertium consolatio amicorum: Aug. Qui nos amant, quærunt, quid laudent in nobis, qui autem nos odiunt, dètrahunt nobis: Nos autem in utrôq; mediô constituti, & vitam nostram, & famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus laudatores. Quartum est dilectio inimicorum: Apostolus ad Titum 2. In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, ut vereatur is, qui ex adversô est, nihil mali habens dicere de vobis: Quintum est proprius decor, pro quô solent multum zelare: Ber. Fortitudo tua confidentia fidelis conscientiæ, decor tuus est bonæ opinionis, vel famæ splendor. Sextum est fructus diuturnitatis. Fama enim non solùm prôficit alijs, dum homo vivit, sicut do-

ctri-

ctrina; sed etiam post mortem: Eccles. 41. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen manebit in æternum. Septimum est reverentia divini nominis: Mat. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.. ¶ Notandum tamen, quòd est quædam fama, quæ oritur ex aliquô malô perpetratô: Psal. Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Sunt autem aliqui, qui solent in tali famâ lætari; & sunt similes quibusdam, qui ex corruptione magnâ solent in fœtoribus stèrcorum delectari. Alia est de factis sæcularibus, quę pertinent ad potentiam, vel sapientiam, vel divitias. Iste autem odor non est divinus; sed meretricius: quia ergò viri religiosi tantúm curare debent de bonâ famâ, ut prędictum est, & solùm de famâ oriente ex sanctitate, & purè propter Christum, benè dicit vir sanctus: (Servetis hæc omnia, tanquam Christi bonô odore de bonâ conversatione fragrantes.) Unde per hoc, quod dicit: (bonô) ostendit, quòd nunquàm debent quærere famam; & per hoc, quod dicit: (conversatione) declaratur, quòd non ex factis sęcularibus; sed solùm ex operibus bonis est eis fama quærenda. Per hoc verò, quod dicit: (bonô Christi odore) notatur, quòd in famâ suâ nihil debent quærere nisi Christum.

VT.

UT autem vos in libellô hôc tanquàm in speculô posítis inspicere, nè per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimanâ vobis legatur.

¶ Hîc àgitur de tertiô, quod valet ad regulę observationem, quod est memoria mandatorum ejus: quia verò ista memoria habetur per regulæ lectionem: Primò tradit mandatum circa hujusmodi lectionem. Secundò circa ea, quę facienda sunt post lectionẽ: cùm dicit: (Et ubi vos inveneritis, &c.) Licèt autem frequenter debeat legi Regula à suis professoribus; tamen nè circa hoc fiat aliqua omissio, arctat ad certum tempus legendi, cùm dicit: (semel in septimanâ vobis legatur.) Item causam assignat hujus, cùm dicit: (ut autem vos in libellô hôc tanquàm in speculô posítis inspicere.) Item utilitatem hujus declàrat, cùm dicit: (nè per oblivionem aliquid negligatur.) ¶ Sunt autem notabilia, quæ eliciuntur ex hôc mandatô. Unum est, quòd cavendũ est, nè fiat aliquid quantumcumq; mòdicum ex contemptu, cùm dicit: (Nè aliquid negligatur.) Aliud, quòd non debent cádere à memoriâ, quæ pertinent ad salutem, cùm dicit: (Nè per oblivionem aliquid negligatur.) Aliud est, quòd ad vitandum hujusmodi oblivionem insistendum est lectioni frequenter, quod notatur, cùm dicit: (semel in septimanâ.)

Aliud

Aliud est, quod legens, vel audiens regulam, debet intendere, cùm dicit: (Et ut vos in libellô hôc &c.)

¶ AD CAVENDAM NEGLIGENTIAM. Cap. CLXXXVII.

CIrca primum notandum, quòd ad cavẽdum negligentiam quamcumq; circa salutaria mandata ponit Dominus speciale mandatum dicens Deut. 8. Observa, & cave, nè quando obliviscaris mandata ejus, atq; judicia, & ceremonias. Non solùm autem dat circa hoc mandatum; sed addit duram comminationẽ Levit. 20. Si nègligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum dimiserit hominem, qui dedit de semine suô Molòch, ponam faciem meam super hominem illum, & cognationem ejus: succidamq; illum. Non solùm autem ponit super hôc comminationem; sed, & pœnã gravem legitur inflixisse Exo. 9. Qui neglèxerit sermonem Domini, dimiseritq; servos suos, & jumenta in agris, & post: Et percussit grando in omni terrâ Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris ab homine, usq; ad pecus. Præterea dicitur Hieremiæ 48. Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter. Cùm ergò observantia regulæ sit opus Domini, qui circa hanc committit negligentiam, maledictus est à spiritu, qui loquitur in prophetâ. Item Prover. 19. dicitur: Qui custodit mandatum, custodit animam

mam suam : Qui autem nègligit viam suam, mortificabitur. Cùm ergò regula religiosi sit via sua: sicut, qui nègligit viam suam, interdum incurrit periculum mortis, ita qui in suam regulam negligentiam committit. Item dicitur Eccles. 9. Qui spernit modica, paulatim dècidet. Sicut ergò domus, cujus reparatio negligitur, subitò cadit, ita, & talis. Sunt autem tria, quæ solent esse occasio hujus negligentiæ. Primum est minor timor Domini, qui enim multùm timet Dominum, cavet negligentiã: Eccles. 7. Qui timet Deum, nihil nègligit. Secundum est minor curæ animæ suę, si enim homines tantum curarent de salute animæ suę, sicut curant de salute corporis, nihil negligerent eorum, quę pertinent ad animæ salutem. Tertium est occupatio circa alia negotia: Eccles. 26. Difficile exùitur negotians à negligentiâ.

¶ DE REBUS SÆCULARIVS non habendis in mente. Cap. CLXXXVIII.

CIrca secundum notã, quòd secundùm philosophos memoriã est thesaurus specierum, quę scilicet per virtutes apprehensivas inducuntur in animam. Inter omnia autem bona, quę debet vir bonus habere in memoriâ, sunt Dei mandata: Eccle. 3. Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa semper. Et

Pro-

Proverb. 7. Fili liga legem meam in digitis tuis, & Deuter. 6. Meditàberis ſedens in domô tuâ, & ambulans in itinere, dormiens, atq; conſurgens, & ligabis, quaſi ſignum in manu tuâ, eruntq; & movebuntur ante oculos tuos, ſcribeſq; ea in limine, & in poſtibus domûs tuæ. Oſeæ 4. quia oblìta es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum, & ego. Unde dicitur de beatô Bernardô, quòd apud ſe frequenter dicebat: Bernarde, Bernarde, Bernarde ad quid veniſti? redúcens ſibi ad memoriam profeſsionem ſuam, & hoc conveniens eſt. Dicitur enim Hjere. 2. Nunquid poteſt obliviſci virgo ornamenti ſui? Cùm ergò regula ſit ornamentum ſpirituale, & valdè pulchrum viro religioſo: quòmodò còn venit, ut eum tradat oblivioni? Item dicitur in vitiſpatrum, quòd tres ſunt virtutes Sathànæ, Oblivio, Negligentia, & Concupiſcentia. Oblivio eſt mater negligentiæ, de negligentiâ verò òritur concupiſcentia, de concupiſcentiâ còrruit homo. Oblivio ergò profeſsionis initium eſt totius ruinę in religione: & ideo benè dicit: (nè per oblivionem aliquid negligatur.)

¶ *DE REGULA FREQUENTER legendâ. Cap. CLXXLIX.*

CIrca tertium notandum, quòd, quia ea, quę ſcìuntur, vel intelliguntur, vel audiuntur, vel dicun-

dicuntur, vel fiunt, facilè de memoriâ elabuntur, ideo adinventæ sunt scripturæ, ut ea, quę èxpedit habere in memoriâ, per scripturam perpetuentur: Exod. 17. Scribe hæc ob monimentum in librô, i. ob memoriam. Sed sunt aliqui religiosi, qui ita fastidiunt lègere in scripturis, quòd rarò, vel nunquã se òccupant in eis, contra quos Augustinus supra. (Códices certâ horâ singulis diebus petãtur.) Sunt alij, qui, cùm legunt, libentiùs legunt in libris gentilium, quàm in sacris, propter quod Hjerònymus raptus ad judicium fuit gravissimè flagellatus usq; ad abjurationẽ. Sunt alij, qui, & si libenter legunt in sacris scripturis, tamen parùm sciunt, vel scire curant de regulâ professionis suę: Isti sunt sicut stulti advocati, qui nunquam stùdent in textu, vel glos. de materiâ, super quâ ferenda est sententia à Judice. Secundùm enim regulam suæ professionis quilibet est judicandus. Vidi ècontrariô ego quendam monachum, qui quasi semper ferebat in manibus regulam Sancti Benedicti, modò legens in eâ, modó studens, modò quærens ejus dubitabilia, cùm inveniebat virum discretum. Pharisęi decalogum scriptum in brachiô sinistrô ferebant: Deuter. 17. dicitur: Postquàm rex sèderit in soliô regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ: quantò magis religiosi hoc facere debent? Proinde solent prælati discreti ordinare, quòd illi, qui ex occupa-

cupatione aliquâ, vel negligentiâ hoc non faciunt, aliô tempore ſuppleant.

ET ubi vos invenerìtis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori.

¶ Datô mandatô circa regulæ lectionem, tradit mandata circa ea, quæ ſunt poſt hujuſmodi facienda. Sciendum autem, quòd conſideranti ſe, qualis ſit, duo occurrunt, ſcilicèt: qualis ſit in bonô, & qualis ſit in malô: Bernar. Vigilanter cerne, qualis ſis exte, & qualis ex donô. Primum conſiderans in ſpeculô regulæ, interdum ìnvenit ſe ſcripta facientem, & hoc bonum non facientem, interdum, & hoc malum: circa primum tradit hoc mandatum, videlicèt de gratiarum actione: circa ſecundũ ibi: (ubi autem quicumque; veſtrum.)

¶ *DE GRATIARVM ACTIONE de bonis. Cap. CXC.*

CIrca primũ notãdum, quòd ſunt quidam, qui, cùm conſiderant ſe, facientes quod facere debent, inaniter extolluntur, ſimiles Philoſophis, qui non glorificaverunt Deum, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis: Rom. 1. contra quos dicit Apoſtolus: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, unde gloriaris, quaſi non

non acceperis? Alij sunt, qui non solùm extollun-
tur inaniter in se; sed & super alios in his deficien-
tes gloriantur, similes Pharisæo hypòcritæ dicenti
Lucæ 18. Gratias ago tibi Domine, quòd non sum
sicut cæteri hominum, contra quos Apostolus: Noli
gloriari adversus ramos, scilicèt fractos. Alij sunt,
qui, licèt sciant, quòd quicquid boni faciunt, ex
Dei donô habent; tamen ex quâdam rusticitate non
rèferunt ei gratias, immò, quamvis assidua recipiat
Dei beneficia, tamen semper rèmanent ingrati, con-
tra quos Colos. 3. Et grati estote. ¶ Porrò ex hu-
jusmodi ingratitudine sequuntur tria mala. Primù
est spoliatio de bonis acceptis: Augustin. Quod Deus
dèderat gratis, abstùlit ingratis. Secundum est im-
pedimentum accipiendorum: Bernar. Non est di-
gnus dandis, qui non refert gratias de datis. Ter-
tium est punitio etiam corporalis: Unde dicit Jo-
sephus, quòd Ezechias, licèt immolasset Dño post
triumphum de Sennacherib: tamen quia non red-
didit dignas Deo gratias faciendô ei novum canti-
cum, sicut in talibus patres consueverunt, ęgrota
vit usq; ad mortem: vel quia non duxerat uxorem,
ex quô per illam lineam Christus debebat descèndè-
re. Ex gratiarum verò actione ècontrariô tria se-
quuntur bona. Primum est conservatio bonorum
jam perceptorum. Aliud est bonorum multiplica-
tio. Tertium promotio ad majora in futurum. Dñs
de beneficijs omnibus vult, quòd homo habeat to-

tam utilitatem, ipse verò gloriam, propter jam dicta sanctus vir incitat nos ad gratiarum actiones.

UBI autem sibi quicunque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de preteritô, caveat de futurô, orans, ut sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

¶ Post mandatum præcedens traditũ de gratiarum actione pro his, quæ lecta in regulâ de illâ inveniuntur observata, subjungitur hîc mandatum de pœnitentiâ pro his, quæ inveniuntur non servata. Quia verò pœnitentia vera secundùm Ambro. est præterita mala plangere, & plangendô iterum non committere. Ideo secundùm hoc duo mandat. Unum, cùm dicit: (doleat de præteritô.) Aliud, cũ dicit: (caveat de futurô.) Quia verò in utrôq; eorum est necessarium donum Dei, subjungit: (orans, ut sibi debitum dimittatur) quantùm ad primum. (Et in tentationem non inducatur) quantùm ad secundum.

¶ *DE DOLORE SUPER TRANGRESSIONE Regulæ. Cap. CXCI.*

CIrca primum vide, cùm dicit: (doleat) quanta cura beati Augustini fuit de regulâ strictè servandâ: superiùs enim dixit: (si quid servatum minus fuerit, non negligenter prætereatur) Præterea dixit

ne

(nè per oblivionem aliquid negligatur:) nunc aũt dicit: ubi autem ſibi quicumq; veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de pręteritô.) Item aliqui prælati abutentes poteſtate ſibi cõmiſsâ interdũ omittunt aliquid de regulâ, ad quod alios cogunt. Alij quia officiales, ratione occupationum ab aliquibus ſe excuſant: Clauſtrales enim ſimplices interdum continuam obſervantiam regulæ intolerabilem putant. Et beatus Aguſtinus nullum excipiens ab obſervantiâ regulę dicit:(quicumq; veſtrum) ſcilicet: prælatus, vel officialis, vel ſimplex clauſtralis viderit aliquid ſibi deeſſe. Item ſunt aliqui, qui, & ſi tranſgreſsionem regulæ confiteantur interdum, vel ſe accuſent, tamen rarò dolent ex corde verô, vel rarò ſe cõrigunt. Et quia ſine his prima non ſufficiunt: ideo dicit:(ut doleant, & caveant) quia melius eſt, quàm confiteri ſolùm, & accuſare. In vitiſpatrum legitur, quòd abbas Silvanus raptus ad judicium, videnſq; multitudinem de habitu religioſô cũntes ad tormentum, & reverſus ad ſe flebat inconſolabiliter nolens exire de cellâ, & ſi quando compellebatur exire, operiebat caput ſuum caputiô dicens: Quid neceſſe eſt videre lumen illud, in quô nihil utile eſt? Si aũt iſte flevit pro alijs religioſis jã damnatis, quantò magis dolendum eſt religioſo ſuper tranſgreſsione ſuę profeſsionis, nè damnetur? ¶ Ibidem legitur, quòd, cùm abbas Neſtor de Schiti veniſſet ad ſenes de monte Nitriô vocatus ab eis,

& rogassent eum, ut faceret eis verbum: Ille plorans dixit: Fratres ploremus, & prodúcant oculi nostri lacrymas, antequàm eamus hinc, ubi lacrymæ nostræ còrpora nostra comburant. Et fleverunt omnes cadentes in facies suas, dicentes: Ora pro nobis pater. Unde, cùm lectio regulę ostendat religioso, quæ bona desunt ei, & quæ mala habet: sicut speculum ostendit mulieri fœditatem suam: Quæ ostensio est sibi causa tristitiæ: Benè dicit: (ubi autem quicumque vestrum viderit sibi aliquid deesse, doleat de præteritô.)

¶ *DE PECCATI PLACENTIA, ET recidivô. Cap. CXCII.*

CIrca hoc, quod dicit: (caveat de futurô) notandum, quòd in omni delictô est aliqua complacentia propter aliquid, quod in eô delectat: Item est in eô aliqua audacia, quòd delinquens contra Deum non veretur. Et ideo, sicut virgo post corruptionem propter delectationem jam expertam eam attrahentem, faciliùs inclinatur peccatis secũdarijs, quàm primis: & latro videns nihil mali sibi accidisse ex primô furtô, audaciùs committit alia furta. Ita in omni delictô accidit, quòd post prima homo faciliùs inclinatur ad secunda, vel alia perpetranda: & ideo reddens Augustin. circa hoc religiosum cautum dicit: (caveat de futurô) innuens, quòd de

faci-

facili cadet in idem, nisi caveat diligenter. ¶ Attendendum autem, quòd peccati recidivatio aufert fructum totius purgationis præteritæ, sivè per contritionem, confessionem, & satisfactionem: Eccles. 34. Qui baptizatur à mortuô, & iterum tangit mórtuum, quid prodest lavatio ejus? Item vilìficat nobilissimam creaturam: Proverb. 26. Sicut canis rediens ad vomitum, sic imprùdens, qui ìterat stultitiam suam. Item rèdigit in majorem potestatem diaboli: Lucæ 11. Tunc scilicèt quando revèrtitur immundus spiritus in domum suam, vadit, & assumit alios spiritus nequiores se, & ingressi hàbitant ibi. Item privat labores utilitate: Ecclesiastici 44. Unus ædificans, & alter destruens, quid prodest illis, nisi labor? Item àggravat peccatum, sicut recidivatio infirmitatẽ: Lucæ 11. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Et pròvocat contra se Angelos in judiciô, qui habuerunt gaudium de conversione peccatoris, & majus expectant de glorificatione. Et ideo multum pòterunt indignari contra eos, qui fraudant eos tali gaudiô: Ber. Tu, qui ad vòmitum redìre deliberas, putas nè placatos habebis in judiciô, quos tantô privare vis gaudiô? Item Deum gravius offendit propter gratiam factam in præcedenti remissione: Mat. 18. de servô nequam. Unde Dominus Joan. 8. dicit mulìeri: Vade, & jam amplius noli peccare. ¶ Porrò ad cavendum recidivationem multum valet conceptio firmi-

propositi de cavendô: sicut enim citiùs frangitur ab inimicô ostium vacillans, quàm firmum: sic animus sine firmitate propositi citiùs vincitur à diabolô. Item valet ad hoc timor proprij casûs: qui enim timet multùm cadere, meliùs cavet sibi, & ita non facilè cadit: Apostolus 1. Corinth. 10. Qui se existimat stare, videat, nè cadat. Item confidentia in Dominô: qui enim de se præsùmit, stat super sedem superbiæ, ubi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: & ideo de facili cadunt propter hujusmodi sedis fragilitatem: Qui verò de se diffidentes spem ponunt in Dominô, ejus adjutoriô stant, & incedunt firmi: Psal. Qui confidunt in Dominô sicut mons Siòn, non commovebitur in æternum. Item solicitudo circa sui custodiam: non enim ita citò càpitur castrum custoditum solicitè, sicut custoditum negligenter. Et ideo dicitur Deut. 4. Custodi temetipsum, & animam tuam solicitè. Sicut enim vir prudens infirmitatem incurrens, considerat causam infirmitatis, si fuerit frigus, vel calor, vel hujusmodi, & causâ inventâ, appònit remediũ, & cautelam in antea: ita viri pœnitentis est considerare, quæ fuerunt occasiones peccati sui, & cum remediô de præteritô cautelam appònere in futurum. Augũst. Satisfacere est causas peccatorum excidere, & eorum suggestionibus àditum non indulgere. Item absconsio est à periculis: sicut enim in locis guerrarum, qui se expònunt, citiùs læduntur, quà

qui

qui se abscondunt: ita multum valet contra sagittas inimici abscondi: Proverb. 22. Callidus videt malum, & abscondit se. Innocens, scilicet simplex transijt, & afflictus est damnô. Item fuga occasionum: Eccles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatũ. Item occupatio sancta: Hjerony. Semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat occupatũ.

¶ *DE HIS, QUÆ VALENT AD remissionem habendam: Cap. CXCIII.*

CIrca tertium, cùm dicit: (orans, ut sibi debitũ dimittatur.) notandum, quòd, quantumcunque aliquis doleat de cõmissis, nunquàm est certus de remissione: Jonæ 2. Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus? Et prudentis est semper timere de hujusmodi rẽmissione: Eccles. 5. De propitiatô peccatô nolite esse sine metu, propter istum timorem, etiam sanctiorant pro peccatis dimittendis: Psal. Pro hâc, scilicet remissione, orabit ad te omnis sanctus in tempore oportunô. Nota autem, quòd multa sunt, quæ faciunt ad remissionem peccati. Unũ est peccati cognitio: Psal. A peccatô meô munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Ipsô enim dicente: Peccavi Domine, Nathàn Propheta statim respondit: Et Dominus trànstulit peccatum tuum à te 2. Reg. 12. Aliud est sui ipsius apud Deum accusatio: Psal. Dixi: confitebor adversum me

me in justitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Aliud est contritio de peccatô, sicut apparet in Petrô, cui propter fletum amarum remissum est peccatum. Aliud est confessio oris: Psal. Facta est Judæa sanctificatio ejus. Judæa confessio interpretatur. Aliud est peccati desertio: Prover. 28. Qui confessus fuerit scelera sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Aliud est satisfactionis implctio: Apostolus Exhibète membra vestra servire justitiæ &c. Aliud est opus misericordię: Mat. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Aliud est remissio ecclesiastica: Jo. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Aliud remissio injurię: Eccles. 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Aliud est flagellum Domini piè susceptum: Tobiæ 3. Cùm iratus fueris, misericordiam facis, & in tēpore tribulationis dimittis his, qui invocant te. Aliud est intercessio sancta: Job ult. Job servus meus orabit pro vobis, ut non imputetur vobis stultitia. Aliud est meritū alienum: Lu. 5. Quorum, ut vidit fidem, ait paralytico: Homo remittuntur tibi peccata tua. Aliud est immensitas dilectionis: Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Oranti ergò pro peccatis laborandum est circa ista, ut, levatis manibus operum cum voce, oratio ejus citiùs exaudiatur.

¶

¶ DE TENTATIONIBUS. Cap. CXCIV.

CIrca quartum, quod dicit: (in tentationem non inducatur) notandum, quòd ſunt quidam, quos diabolus rarò, vel numquàm tentat, qui ſcilicèt ſibi gratis ſerviunt: Gre. Illos pulſare negligit, quos jure quietò poſsidere ſe ſentit. Alios verò, qui Chriſto ſerviunt, magis tentationibus vexat, ſicut Pharao filios Iſraël: & ideo dicitur Eccleſ. 2. Fili accèdens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem: ſunt autem multę cauſę, quare diabolus impugnat ſervos Dei. Una eſt ſuperbia: Superbus enim eſt diabolus, & ideo, quando aliquem contra ſe cognoſcit præeminentem, indignatus inſurgit contra eum, ſicut tyrannus: Gregorius: Antiquus hoſtis tantò gravius contra hoſtes ſęvit, quantò elevari eos cònſpicit. Alia eſt invidia: Invidia enim, quam habuit ab initiò erga hominem, nè aſcènderet in cœlum, non ceſſat: & ideo, quando videt illuc bonos tèndere, nìtitur eos impedire: Gregorius: Illos antiquus hoſtis rapere nìtitur, quos, deſpectis terrenis ſtudijs, jungi cœleſtibus contemplatur. Alia eſt vindicta: Eſt enim malitioſus, & ideo, quando aliquis facit vituperium repellendò eum à ſe, ſicut boni, ſe vindicare nìtitur: Gregorius: Tantò diabolus in homi-

nis

nis fractione duriorẽ se èxhibet, quãtò ab eô quòd projectus fuerit, dolet. Alia est causa inimicitiæ antiquæ inter hominem, & diabolum, in quibus boni magis rebellant: & ideo ipse eos impugnat: Gregorius: Hostis noster adhuc in hâc vitâ nos positos quantò magis sibi rebellare conspicit, tantò acriùs nos impugnare contendit. ¶ Sciendum autem, quòd dominus hujusmodi tentationes nõ permitteret evenire electis suis, quibus omnia coöperantur in bonum, nisi cèderent ad utilitatem eorũ: Apostolus 1. Cor. 10. Faciet cum tentatione proventum. Et hoc ad multa. Primò ad inquirendam scientiam pugnandi, sicut torneamentũ militi: Eccles. 34. Qui non est tentatus, qualia scit? scilicèt de bellô spirituali, ad quod summe valet experientia? Secundò ad expellendam negligentiam: qui enim non sentiunt se hostes habere, frequenter pigrescũt: Glo. super illô verbô: Proba me Domine, & tenta me: Nisi tentaret, essemus negligentes. Tertiò ad proficiendum in virtutibus: Unde fratri dicenti, quòd non haberet tentationes, dixit senex: Vade, & roga Deum contra te moveri bellum, quoniam pugnandô pròficit anima, sicut dicitur in vitis patrum. Multum addicit sibi virtus lacessita, sicut canis provocatus fit bellicosior. Quartò ad expellendam elationem: Apostolus 2. Cor. 12. Nè magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi Angelus Sathànæ, qui me colaphizet. Quintò ad alios inf-

instruendum: Viri enim perfecti, qui transeunt per multas tribulationes, & tentationes, meliùs sciunt alios instrùere: Apostolus 2. Cor. 1. Si tribulamur pro vestrâ exhortatione, ideſt ut sciamus vos exhortari: He. 2. In eô, in quô tentatus est, potens est auxiliari, & alios. Sextò ad coronam consequendam; Jacob. 1. Beatus, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. ¶ Sunt autem multa, quæ valent ad vincendum tentationes. Primũ est assidua belli memoratio: Qui enim cogitat assiduè hostes habere, meliùs etiam cavet: Et ideo dicitur Job 40. Memento belli. Secundum est vigilantia: sicut fit in castris tempore hostili, in quibus vigilatur etiam de nocte propter hostium periculum. Et ideo dicitur 2. Pet. 5. Vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens, circuit, quærens quem dèvoret. Tertium est confortatio cordis: multi enim ex defectu cordis solèt in pugnâ succùmbere: & ideo dicitur Josuè 1. Confortare, & esto robustus, noli metùere, & noli timere. Quartum est conatus in pugnandô: Jaco. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Quintum est adjutorium bonorum: Eccles. 4. Et si quispiam prævalùerit contra unum, duo resistent ei. Sextum est virtus fidei: Heb. 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra: Et ideo dicit Petrus: Cui resistite fortes in fide. Septimum est fidelis revelatio tentationum

num in confessione viris bonis. Unde in vitis patrũ: Nihil ita confundit, & allidit virtutem dœmonum, quàm si quis secreta cogitationum revelàverit sanctissimis patribus: Latronum enim est fugere, ubi perpenduntur. Octavum est meditatio sacræ scripturæ, cor enim est sicut molendinum, quod semper molit, & ideo, quando revolvit in se sacram scripturam, non recipit illud, quod diabolus affert ad molendinum per cogitationes. Nonum est crucis memoria: hoc est enim vexillum regale, quod erectum terret, & fugat dœmonum agmina. Chrysostomus: Tanta est virtus sedulæ meditationis crucis Christi, quòd si fideliter in corde teneatur, statim ad ejus memoriam diaboli fugatur exèrcitus. Decimum est scientia divina, quæ instruit in multis circa illud bellum: in bellô enim plus valere solet sapientia, quàm vires, vel arma bellica: Esa. 11. Non nocebunt, neque occident in universô monte meô, scilicèt, hostes infernales, quia repleta est terra scientiâ Domini. Undecimum est contritio càpitis tentationum, scilicèt, cogitationum primarũ: Hiero. Lùbricus est còluber tortuosus, & nisi capite teneatur, totus illàbitur. Duodecimum est divinum auxilium: Ipse enim Deus est, qui conservat in tentatione: Eccles. 33. In tentatione conservat illũ, scilicèt, Deus timentem se. Item non permittit tentationem invalescere: & ideo quasi ad summum remedium docens confugere dicit Aug. (orans ut

in tentationem à Dominô, ſcilicèt permiſsivè, non inducatur) Beati viri illi, qui prædictis utentes remedijs, viriliter reſiſtunt tentationibus: Nam dicit Bern. Quotiens tentationibus reſiſtimus, dæmones ſuperamus, Angelos lętificamus, Deum honorámus. Ipſe nos hortatur, ut pugnemus: àdjuvat, ut vincamus, certantes ſpectat, deficientes ſublevat, vincentes coronat. Amen.

FINIT EXPOSITIO M. UMBERTI Generalis Quinti Ordinis Prædicatorum ſuper Regulâ Beati Auguſtini.



TA-

RERUM NOTABILIUM IN HOC LIBRO CONTENTARUM.

Cujus primus Numerus Paginam Secundus Capitulum indicat.



A

ABerrantes qui sint à recto religionis tramite. 46. 27.
Abstinentia caro domanda. 95. 49.
Abstinentiæ non servatę in quosdam invectiva. 97. 50.
Abstinentiæ fractæ Proto parentes gravem subiere pœnã. 100. 51.
Abstinentia quantis ab hostibus impugnetur. 100. 51.
Abstinentiã indiscreta, aut nimis austera vitanda. 102. 52
Abstinentia non ita enervat naturam quin servare queat. 107. 55.
Abusiones duæ emanãt ab illis; quibus nimię recreationes relaxantur. 121. 66.
Abundantiam non quærant in Monasterio. 42. 24.
Accipiens aliquid religiosus

gioſus de communibus bonis propriâ auctoritate an peccet. 30. 19.
Accipere non licet res propriâ auctoritate, ſed per diſtributionem. 30. 18.
Accuſare ſine teſte an liceat, & an ſufficiat unus teſtis. 263. 94.
Actiones corporales hic enumeratæ non ſunt ſubterfugiendæ cauſa orationis extraordinariæ. 86. 44.
Actio duplex. 66. 35.
Admonitiones faciendę ſecretæ. 245. 90.
Adverſitates multos erudiunt. 49. 27.
Aegrotis cura exhibenda ſpecialis. 364. 126
Arguere eſt donum ſpiritus ſancti. 239. 89.
Amicitia ſæcularis, & falſa, quæ ſit. 21. 12.
Arma, & religionis, & Prædicatoris, quæ ſint. 371. 129.
Aſpectus mulierum cuique ſemper fuit ætati perniciosus. 200. 79.
Aſpectu quomodo dicatur appeti, cum appetere ſit in affectu, non in aſpectu. 215. 82.
Aſpectus fœminæ viſæ interdum eſt medium appetitus. 216. 82.
Aſpectus divinus non eſt ut humanus, omnia obſcura videns. 226. 87.
Auſteritas in infirmos habita multum dedecet. 112. 58.
Auſteritas vitæ cum non viget in religioſis, maximè in Prælatis multum dedecet. 469. 177.
Auctoritas Rectorum demitur aut debilitatur cauſis extrinſecis, & intrinſecis. 420.

420. 154.

B

BAlneis religiosi non utentes pro quacunque necessitate. 355. 122.
Bona quędam communia distribuenda, quædam non. 30. 19
Bona communia magis, quam singularia à Fratribus procuranda. 345. 117.
Bona temporalia sint communia fraternitati spirituali. 348. 118.
Bona communia dispensantes non personas, sed personarum indigentiam attendere debent. 350. 119.

C

CAdens sublevatur si socios sanctæ vitæ viros habeat. 17. 11.
Cantus in Ecclesia varios producit effectus. 92. 47.
Charitas prędipue spectat ad Prędicatorem. 10. 8.
Circunstantias graves tres habet cupiditas proprietatis. 26. 17.
Cœnobitarum vita excellentior quàm Anachoritarum. 16. 11.
Codices certa hora singulis diebus petendi. 6. 4.
Cogitationes varię emergentes inter orandum. 89. 46.
Cognitio certa quomodo haberi possit circa regulam, & quando

do intendat astringere sub præcepto, quándo non. 14. 10.
Comedere, vel jacère an liceat in Oratorio. 82. 40.
Comedentes extra horã prandij quã maximè errent. 110. 57.
Comedendum comedentibus alijs rationabilibus de causis. ibidẽ.
Communitati quinquè aſcribuntur. 22. 13.
Communitas Eccleſiæ an fuerit ex voto. 35. 21.
Communitas an fuerit apud fideles in Eccleſia primitiva. 36. 21.
Communicare quis nolens res ſuas an peccet. 38. 23.
Completorium omittendum nó eſt multis de cauſis. 77. 38.
Complacentia habita de peccato via ad recidivandum, quæ recidivatio aufert fructũ totius purgationis præteritæ, & multa alia mala gignit, quæ hic enarrantur cum remedijs adhibitis de non recidivando, 501. 192.
Concordiam ſex conturbare ſolent. 66. 35.
Concordiæ fructus triplex. 67. 35.
Conventum monaci ſubter fugientes, quot mala in curruat. 136. 66.
Concupiſcentia multa mala parit. 220. 85.
Conſideranti ſe qualis ſit duo ocurrunt. 496. 190.
Convitium quomodo ſumatur. 403. 145.
Conventus magnæ ſunt ſpirituales prærogativę, damna etiam maxima emergunt fu-

gientibus aut depravata in illum voluntate ingredientibus 137. 66.
Conversatio muliebris, & aliorum quorundam fugiēda. 137. 74.
Cor debemus habere ad Cœlum elevatum 51. 28.
Correctionis ostensio facta Prælato triplicem habet annexam utilitatem, & illi facienda ante testium productionem, cautequè procedendum nè infamia tertij incurratur quod magnum facinus. 279. 97.
Correctio quando non fiat à Prælato, quibus assimiletur, & errantium culpæ cur in ipsum retorqueantur. 453. 171.
Correctio fraterna an facienda de venialibus. 235. 89.
Correctioni tenentur fratres, cum magna inter illos vigeat fraternitas. 237. 89.
Correctionis faciendæ modus. 239. 89.
Correctione desperata proclamari an liceat procedere ad correctionem per testes. 289. 98.
Culpas committentes, & pœnitentiam renuentes habentur incorrigibiles. 292. 99.
Culpa si erit manifesta, aut occulta, quomodo procedendum in correctione. 224. 90.
Criminosi an proclamari possint sine testibus. 285. 98.
Crimen quod probari posse credit proclamans, an deficiens in probatione sit puniendus. 286. 98.

Crimine denunciato à proclamante probare parato, an possit Judex inquirere reum ante testium productionem quòd respõdeat. ibidem.
Criminis patrati subditus accusatus an teneatur coram Prælato dicere veritatem. 288. 98.
Crimen cur quatuor modis accipitur, & quare criminosum dicitur velle appeti, & appetere mulieres. 206. 81.
Culpa fratris non indicanda, nisi adhoc ut sanetur. 258. 92.
Culpam fratris an liceat proclamare coram Prælato, vel Cap. vel alibi. 224. 90.
Culpa non modica munus accipere. 312. 103.
Culpa quomodo cõvincenda. 262. 93.
Curam debent habere Monasterij Præpositi, ut fratrum necessitati provideant. 44. 25.
Cura debita in religione servanda; cui assignatur, ut multæ evitẽtur transgressiones. 437 164.
Curiæ deliciæ obnubilant veritatem. 140. 66.
Custodia cujus rei habenda, ut Deo placeamus. 458. 172.
Custodes destinat animæ Deus, ne ruat. 232 88.

D

DAre secundum indigentiam laudabilius est. 32. 19.
Debiles mitius tractandi. 128. 65.

Diabolo arguta ſententia datur à B. Martino. 56. 30.
Dilectio inter fratres mutua ſpiritualis ſit, non carnalis. 425. 157. & 158.
Dilectiones in proximum ſunt variæ, & ad varium finem tendunt, quarum una peſsima, & ſex utilitates dilectionis. 427. 159.
Delicta non iterata, nõ tamen correcta quomodo emendanda, & cum non ad ſint exploratores, vel ne queant, quomodo procedendum in accuſatione, quibuſve in caſibus non teneantur, & quando teſtes procurandi. 264. 94.
Delictum magis in majoribus corrigendum qui ſunt minorum exemplar. 315. 105.
Diſcordia irreverentiæ eſt origo. 68. 36.
Diſcordes ad remittendam injuriam quam mali ſint. 406. 147.
Diſciplina morum in actionibus extrinſecis maxime riquirenda in homine religioſo. 189. 77.
Diſpenſatio an fieri poſsit à prelato cum ſubdito de proprio retinendo, an poſsit etiam circa uſum rei. 27 18.
Diſpenſatio cum cautione, & maturitate facienda. 28. 18.
Diſpenſatione facta alicui circa uſum rei ſine cauſa animum habenti incertum reſignandi, quotieſcunque fuerit requiſitus, nunquid talis à vitio pro-

proprietatis excuſetur. 29. 18.
Diſputatio triplex. 391. 139.
Diſputationi ſcholaſticæ quenam incurrant reprehenſibilia. ibidem. 139.
Diſtributio intelligitur de victu, & veſtitu, alijſque neceſſarijs. 32. 19
Diſtributio pecuniæ facta, ut ſibi provideant, reprobatur. ibidem
Divites ſuperbiendi anſam habent. 54. 29.
Divitiæ ſpirituales, & corporales, ut differant. 145. 67.
Dolor eſt habendus de regulæ tranſgreſſione. 499. 191.
Doctores ſunt reprehenſibiles circa multa. 389. 38.
Duritiæ verborũ, operum, & cordis duplex, una in Deum, altera in proximum. 416. 151.
Dubitatio magna oritur in peccatis fratrum convincendis, quod rationibus probatur. 284. 98.

E

Ecclesiæ ſtatus quare inventus eſt. 36. 21.
Elationi rerum domeſticarum oppoſita remedia. 65. 34.
Eleëmoſynæ ſunt de alieno, ideo penſandum eſt, quomodo conſumentur. 34. 19.
Excommunicato an poſſit fieri diſtributio. 31. 19.
Egens minus, & minus habens melioris eſt conditionis. 147. 68.
Exemplum de proprie-

tario tumulato in ſterquilinio. 26. 17.
Exemplum de non diffidente in ſenectute gratia Dei. 38. 22.
Exemplum de ingredientibus religionem, nec omnino abrenũtiantibus ſæculo, ſed quid proprij retinentibus. 19. 15.
Exempla bona danda à religioſis viris, ſed ſuper omnes à prælato, qui regere velit rationabilibus de cauſis. 450. 170.
Excuſant tria à peccato; quæ tamen non valent religioſis. 306. 101.
Exteriora quidam tantummodo curant, & animarum defectum cernere nõ ſatagunt. 338. 115.

*** ***

F

FAcultates diſpergẽtes, & illarum diſperſione gloriantes octo bona ſpiritualia amittunt. 62. 33.
Fama bona quare dicatur odor. 486. 185.
Famam multi negligũt, & multi errant circa eam. 488. 186.
Fama bona multis de cauſis à viris appetẽda. 489. 186.
Fama reſtitui non poteſt cum ablata, ideo graviter peccant infamiæ nota quempiam inurentes. 280. 97.
Fiducia de egeſtate non ſuſtinenda tribus fulcitur. 35. 20.
Fœminas quidam quòd alloquantur, excuſationem fulciunt tribus

bus rationibus, contra quos objicitur quatuor modis. 252. 91.
Fortis fit frater cum fratribus in vita religiosa. 17. 11.
Fratribus nimis jejunantibus, recreationes fugientibus, sive medicinas non est acquiescendum. 357. 123.
Fratres quidam religionem ingredientes adhuc amant seculares parentes, & illis acquisita dirigunt. 37. 22.
Fratres partem, vel totum retinentes senectutis, vel infirmitatis causa. ibidem.
Fraternitas spiritualis requirit, ut res sint communes jure, natura, & utilitate. 348. 118.
Fratres quidam communicant magis necessitate compulsi, quam voluntate dictante. 38. 22.
Fratris nomen quot modis intelligatur. 56. 30.
Fratres laici non debent vacare ab actionibus, quas conficere tenentur, extraordinariæ orationis causa. 87. 45.
Fratres appetere non debent illud plus, quod quibusdã ægris, aut delicatis conceditur. 124. 63.
Fructus prædicationis consistit in confessionibus, & animarum consilijs. 7. 5.
Fructus emanans à vita communi verè magnus. 23. 15.
Fructus triplex à con-

cordia emanans, 67. 35.
Fructus multus sequitur correctionem debitè peractam. 241. 89.
Fur dicitur ille, qui rem sibi collatam non propalat. 352. 120.

G

Gestus corporis, in eundo, & operando, & stando quomodo corrigendi, nè reprehensibiles fiant, 178. 76.
Gloriabundi sunt quidã in religione, quòd sciant se nobiles, 57. 30.
Gratiæ quę vertuntur in dissolutionem, 122. 62.
Gratiarũ actiones Deo reddendæ de bonis operibus, nec faciendum est, ut quidam faciunt sibi arrogantes opera. 497. 190.
Gratiæ spirituales sunt interior in anima habitus. 339. 115.

H

Habitus in religioso notabilis est propter septem causas. 149. 69.
Habitus ut sit in corrigibilis, qui, & qualis erit. 176. 75.
Hæremita, Deo sibi revelante horam mortis, accessit ad Cœnobium, ut securius evita migraret. 17. 11
Honestatis habitui duo traduntur mandata. 149. 69.
Honestas servanda in ambulando, & bini incedere tenemur superiorum exemplo. 161. 72.

Honestas in re intrinseca, & rationi annexa appetēda. 166. 73.
Honores, abbundantia, deliciæ, otium, & similia radicitus tollenda. 42. 24.
Honor mutuus exhibendus in religione. 68. 36.
Honore sunt Prælati prosequendi, nā tria mala oriuntur ex irreverentia erga Prælatum. 446. 167.
Horæ magis opportunæ ad orandum, quæ sint. 74. 37.
Humilitas non omnis est virtus. 419. 153.
Humilitas conducit cuiquè sed magis prædicatoribus. 65. 34.

****
****

I

JActantia nè surrepat in corda fratrum, quòd sęcularia contempserint 59. 31.
Jactura gravis ambitiosè dispergentibus imminet. 64. 33.
Increpationes sanctorū contra Concubinarios. 26. 17.
Jejunium quomodo, & à quibus servandum. 112. 56.
Indignatur Deus contra fratres in monasterio aliquid proprij retinentes. 37. 22.
Indignatur Deus contra Monachos à religione deviantes. 133. 66.
Incorrigibilitas vitiūm est contagiosum. 292. 99.
Impudicitia magis viget

get in visu, quàm in alijs sensibus. 196. 78.
Immunditia nulla major impudicitia. 199. 78.
Impatientia in prælato quanta pariat mala 467. 176.
Inflatio à D. Aug. quod significatum habeat. 54. 29.
Infamia dupliciter infligitur, & quomodo procedendum incorrectione. 284. 98.
Infirmis pietate ministrandum. 113, 58.
Infirmis si aliquid super addatur de victu, non ægreferant fortiores, qui verò intelligantur infirmi ex pristina valetudine. 118. 60.
Infirmi licet plus sumãt non tamen feliciores putandi. ibidem.
Infirmi quatuor indigẽt interdum. 355. 122.
Infirmitas est occasio facilimè murmurandi. 357. 123.
Infirmis cura specialis exhibenda. 364. 126.
Infirmitates multiplices malæ enumerantur, & quomodo se geret Prælatus ad illas sustinendas. 463. 175.
Ingluvies in quibusdam multorum damnorũ parens. 97. 50.
Ingratitudo non referendi Deo quicquid boni habemus, & operamur tria mala parit. 497. 190.
Inquieti qui sint, & quibus assimilentur, & causæ inquietudinis unde dimanent. 457. 172.
Injuria remittenda. 406. 147.
Ira in odium conversa duo

duo mala parit.
402. 145.
Irascentium quorundam natura ad ignoscendum diversa,
411. 150.
Itinerantes non sua, sed Prælati electione socium habeant.
361. 124.
Invectiva contra secordes, & ignavos ad orationes. 74. 37.

L

LAbores à fratribus sunt resumendi, cum vires pristinas reparaverint.
132. 66.
Laus vitæ communis.
22. 14.
Lectionum audiendarũ fratres quidã tepidi.
387. 137.
Legis plenitudo est in dilectione Dei, & proximi. 10. 8.
Libri Ecclesiastici debẽt esse legibiles, & correcti. 93. 48.
Libri statâ hora sunt distribuendi. 370. 128.
Librorum custodia diligens habenda, ne consumantur. 373. 130.
Libri religiosorum non pretiosi; sed emendati, non multi sint, non nimia in illis habeatur confidentia.
386. 136.
Licentia eundi solitarie an haberi possit.
360. 124.
Lingua bona, & mala parit. 415. 151.
Lingua quando tacens, & quando loquens peccat, quibusve obsit. 272. 95.
Lites cavendæ propter multa inconveniẽtia, quæ oriri possunt.
400. 144.

Lis orta, nec cito extincta, ut ignis augetur. 401. 145.
Lingua graviter sauciat. 404. 146.
Loca quæcunque lustrãda à Prædicatore, tàm divitum, quàm pauperum. 7. 5.
Loca quędam sũt laudabilia, quędam reprehensibilia illic viris religiosis commorantibus. 175. 74.
Ludus Bonatel qui. 219. 84.

M

MAla tria emanant ab irreverentia in Prælatum. 446. 167.
Mala tria redundant in delinquentium pernitiem, quæ mala alia tria pariunt in detrimentum universitatis. 455. 171.
Mala multa accidunt subditis, cum Prælati non utuntur verbis consolatorijs. 459. 173.
Malum non patratum propter tria retrahentia. 283. 98.
Maledictum quid. 404. 146.
Mandata non imponenda circa illa, quæ cómodè servari nó possunt. 331. 112.
Mandata Dei semper memoriæ repetendã, ut mala vitentur. 494. 188.
Mandata duo de dilectione cur non imposita mulieribus. 119.
Mandatum de cordis unitate quomodo servandum. 21. 12.
Mandatum de cordis attentione in hymnis an obliget. 89. 46.

Medicinalia fratribus danda propter tria. 357. 123.
Medicinalia religiosi quidam sanctitatis fervore spernentes. ibidem.
Medicinalia qui spernant qui appetant, qui cogantur accipere. ibidem. 123.
Memoria mandatorum lectione renovata valet ad observantiam. 492. 187.
Mensa condienda est cibis animę, & corporis, idest ferculis, & lectione pluribus adductis rationibus. 115. 59.
Misericordia habenda de illis, qui in sęculo splendidè epulantes fuerunt delicati, nec debēt cæteri ęgrè ferre. 121. 62.
Misericordia circa tria fieri solet. ibidem.
Monachus à Conventu separatus, ut carbo extinctus, & multa mala incurrit illum subterfugiens. 132. 66.
Monachus quomodo se gerere debeat omni tempore, loco, & statu in actionibus, & conversando. 180. 76.
Monasterij communia diligenter custodienda. 320. 108.
Monasteria non ingredienda, ut quærantur necessaria. 41. 24.
Monasteria quibusdam non sunt ad salutem. 46. 27.
Monasteria tribus de causis non conferunt ad salutem. 52. 29.
Mores circa exteriora maximè decent virū religiosū. 189. 77.

Moribus placeat Deo Monachus non habitu. 165. 71.
Mulierum conversatio fugienda. 178. 74.
Mulieres quædam bonos viros appetētes, magis quam aliæ. 214. 81.
Mulierum familiaritas vitanda, quia multi naufragantur. 248. 91.
Mulierum familiaritatē quærentes, quibus comparentur. 156. 91.
Mūditia spiritualis Deo placet, æquè, & carnalis. 353. 121.
Munuscula vitāda, quia mala pariūt in anima. 314. 103.
Murmurare haud decet, si deterius uno tēpore quis accipiat, quàm alio. 334. 114.
Murmur quàm magnū malum sit. 335. 114.
Murmur, & contentiones in quo differant. 334. 114.
Mutuandi libri, mala cavenda, & bona insectanda. 39. 23.

N

NAtura non est adeò enervata, quin abstinere queat. 107. 55.
Necessaria ad salutem debet callere prædicator. 10. 8.
Necessaria an quærere possit Frater in Monasterio, qui fuit pauper in sęculo. 44. 24.
Necessaria ministranda sine mora. 396. 141.
Necessitati fratrum paterna charitate succurrendum. 44. 25.
Necessitati fratrum sine personarū acceptione

ne ſubveniendum. 350. 119.
Negligentia cavenda circa regulę obſervandæ mandata, cujus negligentię tria ſunt occaſio efficax. 493. 187.
Negligentiam in providendis veſtibus religioſis multa mala inſequuntur. 322. 109.
Nuntij impudicitiæ animi oculi ſunt. 220. 84.

O

OBedientia exhibenda eſt in religione quibuſdam prælatis major, quibuſdã minor. 431. 160.
Obedientia multiplex. 432. 161.
Obedientia quibus in caſibus præſtari non debeat. 433. 162.
Obedientia inter omnes virtutes religioni neceſſarias præcipua eſt. 434. 163.
Objectio criminis quomodo ſumatur. 404. 146.
Obſervantia regulæ quo modo interpretanda, nam multi multa ſentiunt. 12. 10.
Obſervantię regulares quaſi ſepes, ideo magnum facinus pariunt religioſi illas tranſilientes. 482. 182.
Obſervanda an ſint hæc præcepta extra Monaſterium, cum dicat, (obſervetis in Monaſterio conſtituti.) 16. 10.
Occupationes ordinarię religionis non dimittendæ orationis cauſa. 85. 43.
Oculus impudicus quidicatur. 218. 84.

Oculos quis figit in aliquam tripliciter. 201. 79.

Oculorum ictus quomodo regendi; ne impudicitiæ labe inficiamur; nam illorum visu cupiditas inflammatur ad mala, & multa generantur in animo, quæ Deum offendunt, ideo corrigendi, cum etiam sint velociores cæteris sensibus non habentibus objecta ita prompta. 197. 78.

Offendens an statim teneatur reconciliari, antequam ad offerendum accedat aliquid Domino in altari. 405. 146.

Offensor an teneatur mentiri de dicto satisfactionis gratia. ibidem.

Offensæ remittendæ mota nulla difficultate produci debet. 406. 147.

Officiales constituendi circa servitium fraternarum necessitatum. 367. 127.

Opera pœnitentiæ ad tria reducuntur. 71. 37.

Opera bona non requirunt magnam scientiam. 385. 135.

Opus hoc cur regula inscribatur. 8. 7.

Oratio à tribus impeditur. 408. 148.

Orantes quæ servare teneantur. 409. 149.

Orationi tria cõperunt, ut sit perfecta. 72. 37.

Orationes assiduæ, & secretę multum laudabiles. 83. 41.

Orationes publicæ, & privatæ in quo differant, & mentales quæ Deo acceptæ sint. ibidem.

Orationes sunt exercitia spiritualia erigentia animum in Deum. 81. 40.
Orationes magis conveniunt in loco sacro. 84. 42.
Oratio extraordinaria facilius fermentatur. 86. 43.
Orationi cõvenit locus deputatus. 81. 39.
Oratorij significatio. 80. 39.
Ordo ut à religiosis observetur, ad hoc multa valent. 481. 182.
Ordinem adamussim nõ observantes quibus assimilentur, & quam multa hinc mala oriantur. 483. 183.
Ordo prædicatorum debet vigilantius in literarum studio operam navare. 276. 132
Otium, nimiam curam de medicinalibus, desiderium famæ appetere non convenit. 42. 24.

P

PArcitas reddit hominem famosum. 34. 19.
Patientia tribus de causis amittitur, quæ si in prælato emergant, maximum incurrit periculum in regendo. 466. 176.
Pauperibus detestabilior debet esse superbia. 54. 29.
Paupertas magis cõpetit prædicatoribus. 6. 5.
Peccant fratres diversimode scripta non mutuantes. 39. 23.
Peccatorum tria sunt genera de medio tollenda. 25. 17.
Peccatorum remissio ut

obtineatur multa valent. 503. 193.
Peccatores quidam persequuntur fingentes persequi peccata. 309. 102.
Peccata fratrum diligenter indaganda, & corrigenda, qui cum rebus pretiosis comparentur, debent esse mundi. 304. 101.
Peccatores differt Deus punire multis de causis. 227. 87.
Peccatum est tanquam vulnus quandoque putrescens. 277. 96.
Peccatum fratris redundat in damnum commune. 293. 89.
Pœnitentiæ opera ad tria reducuntur. 71. 37.
Pœnitentia agenda de non observatis in regula. 499. 191.
Prædicatio magis competit religioso multis rationibus. 4. 3.
Præcepto an alligentur omnia contenta in regula. 12. 10.
Præcipio quare verbum posuit, si præcipere non intendebat? 14. 10.
Prædicator debet abstinentiam servare. 95. 49.
Prædicatorum interest in convivijs illis, ubi lectio desideratur, aliqua dicere ædificatoria in fine exemplo Christi, & aliorum. 116. 59.
Parcitatem sectantes ditiores sunt. 146. 67.
Parcitate quæ merita acquirantur. 145. 67.
Peccata odio habeda, ut res nociva, & malus nuntius. 305. 102.
Pœna triplici punietur est

Res collata cœlatur tribus modis. 351. 120.

S

SAlutis remedia debet scire prædicator. 10. 8.
Sanctificatio acquiritur bonorum virorum societate. 17. 11.
Sapientia rerum cœlestium comparatur fonti de cœlo tanquàm per librorum canales venienti. 371. 129.
Satisfactione curandum malum in proximum patratum. 404. 146.
Satisfactio de offensa triplex esse potest. ibidem.
Scandala caveãt inferre majores. 250. 91.
Scientia quæ mala pariat. 382. 134.
Scriptura sacra à religiosis sectanda, ut in illa se potissimum aspiciant, tãquàm in speculo, quæ valet ad multa bona acquirenda. 375. 131.
Sententia à viro prolata, quę sit majoris auctoritatis. 2. 2.
Sententia illa regulæ quomodo intelligenda (ne fortè possit secretius correctus non innotescere &c.) nam videtur implicare contradictionem. 278. 97.
Sensus hominis quidam patientes ab objecto velit, nolit, quidam vero non, & quę membra repugnent spiritui. 312. 103.
Servitus mutua sit inter fratres sine murmure. 367. 127.
Servis Dei non deerunt in futuro facultates,

si legitimè ministraverint. 35. 20.
Signa servorum Dei, quæsint. 359. 123.
Societas in religione quanta bona contulerat. 17. 11.
Societas divitum, & magnatorum à fratribus habeatur non ad extollentiam, sed ad bonum. 50. 28.
Societas Sãcta requirit, ut omnes tã nobiles, quàm ignobiles sint unum in Christo. 56. 30.
Speculum Augustini cõtinet mandata Dei, & spectat ad oẽs, ideo errant, qui regulam opinantur esse. 8. 6.
Status oppositus vagandi voluntati, quando est otiosus, tunc reprehensibilis est multis de causis. 172. 74.
Status in religione diversa enumerat accidentia D. Aug. in sua regula. 3. 2.
Studentium varij defectus. 387. 137.
Studendi aviditate quidam adeo illecti, ut religionem negligãt. 381. 134.
Superbiam caveat Prælatus, si vult amari à subditis. 477. 180.
Superbia omnino fugiẽda à viro sancto. 136. 66.
Superbia quę mala causet. 53. 29.
Superbia utitur Dæmõ, ut spirituale destruat ædificium. 58. 31.
Superbia duplex. 58. 31.
Superbia etiam à bonis operibus oritur, ut illa demoliatur. 60.

60. 32.
Subditi in quibus non tenentur obedire Prælatis. 433. 162.
Superfluitas viris religiosis non licet. 397. 142.

T

TEmpora antelucana, & vespertina orationi oportuna. 74. 38.
Temporalia bona spernenda à Prædicatore. 6. 5.
Tētationes à diabolo servi Dei patiuntur, sed ut faciunt cum tentatione proventum. 505. 194.
Tentationes ut vincere valeas, vide remedia. 507. 194.
Terrena omnia vana sūt 51. 28.
Timorem habeat Prælatus, dum regiminis tenet habenas, nè cespitet, nam Duce ruente, totus dispergitur exercitus. 447. 168.
Timeri debet Prælatus à subditis, & tria sunt, quæ valent, ut timeatur. 474. 179.
Timor retrahens à proclamationibus faciendis triplex est, qui causatur etiam interdum à Diaboli calliditate, & simplicitate non corrigentis. 270. 95.
Trasgressiones cur quādoque non corrigant Prælati. 438. 164.

EPISTOLA

B. HUMBERTI V.

MAGISTRI ORDINIS

F. PRÆDICATORUM;

Quàm scripsit de tribus votis substantialibus Religionis, & quibusdam virtutibus, & per totum ordinem ad provincias singulas eam misit.

EXORDIUM EPISTOLÆ.
Cap. I.

FILIJS Gratiæ, cohæredibus gloriæ, Fratribus carissimis, religiosis universis vitam Deo gratam, sibi fructuosam, angelis jocundam, dæmonibus terribilem, hominibus exemplàrem ducentibus salus. Nulla sunt omninò reputanda, dilectissimi, quæ divinæ laudi non militant, & honòri. Inde est, quòd officij necessitate, ac fraternâ charitate compèllimur vestris auribus nunc scribendò, nunc monendò sæpiùs inculcàre, quæ vos bonâ facere, & mala doceant declinàre. Sed, cùm pateat, quòd secundùm affectivam, & intellectivam vires

vires gèminas, sit & animę perfectio bipartita: virtus videlicèt,& scientia: decet his nimirũ virũ evangelicum adornari, ut per primum in bonum, & per rèliquum dirigatur in verum, per primum àrdeat per secundum luceat, per primum potens sit in ὀpere, per rèliquum in sermòne, illius exemplô, qui cæpit facere, & docere. Deniq, pręsentem epistolã dignum duximus charitati vestrę trãsmittere, quæ vos moveat, & doceat ad regularis obsservantiam disciplinæ.Igitur ab obedientiâ, quæ est unum de substantialibus religiosorum votis, nostrum principium inchoamus ad laudem, & gloriam illius, qui origo est omnium bonorum, atq; finis.

EXHORTATIO AD OBEDIENtiam. Cap. II.

Diligenti studiô,fratres carissimi,saragamus virtutum officijs insistere, quibus Christo conformemur,& ad perfectionis sèmitam informemur, atq; per gloriam reformemur.Et quis ambigat obedientiam talem esse? Hanc èrenim Salvator nostet intantùm amplèctitur, quòd usq; ad mortem Patri obediens factus, crucis supplicio condemnatur.Per hanc multarum gentium pater Abrahàm terram, & cognationem suam eggreditur, & usq; ad immolationem filij, quem habuit charissimum, inclinatur.

Per

Per hanc Josuè terram promissionis invasit, & hostes gladiô stravit. Monemus igitur, & hortamur in dominô, ut obedientiæ bonum eò servemus sollicitiùs, quantò sine illô regularibus non est salus. Scientes certissimè, quòd est accepta multùm apud omnipotentem Deũ obedientia, quâ pro Christô nobilissimum, quod est in anima, captivatur, libertas videlicèt voluntatis. Quare dignum est, & justum, ut quantò quis arctiùs per obedientiam nunc astringitur, tantò pòstmodum in cœlestibus gloriosiùs elevetur. Hoc ipsum certè exemplum nobis innuit, ubi frater, cui quatuor ordines ostensi sunt, eum, qui servâvit obedientiam, summum vidit.

¶ DETESTATIO INOBEDIENTIÆ. Cap. III.

SEd in contrarium valdè detestabilis agnoscitur esse inobedientia. Nam idolatriæ scèleri comparatur: per hanc vel spirituale furtum committitur, vel rapina. Nam si occultè contrariamur obedientiæ, furtum est: si manifestè, rapìna, quia in utrâq; rem alienam invitô Dominô contractamus. Voluntatem enim, quam pro Christô relìquimus, contra justitiam usurpamus. Non igitur immeritò pater noster Adàm immortalitate, & innocẽtiâ spoliatur propter inobedientiam: ac de Paradisi amenitate ejectus, in vallem miseriæ relegatur, per quod cri-

criminis hujus enormitas declaratur.

¶ DE HIS, QUI VITIANT OBEDIENTIAM. Cap. IV.

SIcut sunt multa, quæ reddunt obedientiam commendabilem, sic sunt plurima, quę ipsam faciunt vitiosam. Sunt enim nonnulli, qui, ut citiùs absolvantur, malè exequuntur injuncta sibi officia. In alijs verò invenìtur extorta licentia. Alij licentiam accìpere nō curant: Alij contra negatam licentiam, sibi id, quod placet, facere non formidant. Alij jubenti prælato contradìcunt, & tamen faciunt. Alij devotam quidem obedientiam suscipiunt; sed executionem nègligunt. Alij nè mandatum ad eos veniat, se abscondunt. Alij, quod pejus est, tales se èxhibent, ut prælatus nil eis audeat injùngere; aut mandare. Alij dicunt se nescire, vel non posse, quod mandatur, mendacium quodànmodò conjungentes inobediētiæ, cùm eos ignorantia, vel impotētia non impediat; sed voluntas. Quidam verò nolunt ea, quæ injunguntur facere, timentes nè ab ipsis talia ex consuetudine requirantur. Alij perficiunt; sed cum mùrmure, vel non voluntariè; sed coactè. Alij perficiunt quidem obedientiam; sed tristè, vel etiam nimis tardè. Sunt & quidam, qui, quod volunt, obtinent minis, vel precibus importunis. Et si quandoq; negatur eis licentia, domum

cōmo-

commovent, & seipsos conturbant: hi omnes, si benè adverterent verè in suis conscientijs, de prædictis se graviter accusarent. Sed heu! sunt nonnulli, qui culicem colant, & camelum deglutiunt: quia statum hunc periculosum minimè recognoscunt. Tales, si amatores puri cordis essent, non tan malum actum, quàm malũ statũ corrigere laborarent.

¶ *QUALIS DEBET ESSE OBEdientia. Cap. V.*

UT autem obedientia nostra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studète habere promptam sine dilatione, devotam sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deviatione, jocundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimitate, universalem sine exceptione, perseverantem sine cessatione.

¶ *QUOD OBEDIENTIA DEBET esse prompta. Cap. VI.*

BOnus itaq; frater adeo sit paratus, & non turbatus, ut inveniatur ad obedientiam semper promptus. Quapropter dilectissimi sitis, sicut aurũ dũctile, & quasi virga flexibilis, quæ rectificatur ad libitum artificis, vel curvatur. Sitis, ut rotæ volubiles, quę secundùm impetum spiritũs moventur.

tur. Sitis, ut jumentum apud Deum, cujus dorsô omnia indifferenter ponuntur. Certè syllaba indifferens multùm est grata versificatoribus: quia poni pòterit in omni locô. Sic & promptus frater ad obedientiã Deo gratus est, & hominibus: quià nihil respuit injunctorum. Legistis charissimi, quia stellæ vocatę dixerunt, àdsumus. Per quod apertè datur intelligi, quàm conjuncta debeant esse vox jubentis, & operatio obsequentis. Talis ille bonus monachus èxtitit, qui vocatus, imperfectâ litterâ dimissâ, quam cœperat, statim venit. Sed quidam è contrariô, velut quadrati lapides ad obedientiam vix moventur, de quibus ait sapiens: Qui transfert lapides, affligètur in eis. Cùm enim prælatus ponere quosdam ad obedientiæ bonum nititur: per contradictionem rebellium fatigatur. Ad obedientiæ autem promptitudinem animemini per exemplum. Nam, cùm imperamus manui, nullâ dilatione differtur executio. Injùngitur nobis aliquid, & inobedientes èrimus prælatis nostris? Pudor est, quòd interdum servi nostri cõducti pro parvô pretiô promptiores sunt ad peragendum gravia, quàm nos simus prælatis nostris pro gloriâ sempiternâ.

¶ QUOD OBEDIENTIA DEBET esse devota. Cap. VII.

SIt post hæc devota obedientia nostra, fratres. Eâ namq; devotione suscipiendum est, quod injungitur, ac si dominus præcepisset. Non enim homini; sed in homine Deo certissimè obedimus. Dubium namq; non est, quin Deo acceptum offeratis sacrificium: dum propter ipsum alienę vos subjicitis voluntati. Utinam fratres simus cum Christô per obedientiam crucifixi: ut, sicut ille clavis membra habuit ligata: sic mandatis superiorum nostrorum membra nostra omnia sint captivata, scientes certissimè, quòd tàtò liberiòres apud Deũ erimus, quantò nunc pro illô devotiùs nos arctamus. Denique virtus hęc non sine causâ victimis anteferturi quia hîc mactatur in holocaustum volũtas propria; sed ibi tantùmmodò caro aliena. In jejunijs, & vigilijs, & orationibus possunt æquari nobis sæculares, quos in abdicatione propriæ voluntatis, & obedientiâ præcedimus: eosdem judicaturi cum Christô in extremô examine præcedemus. Unde summòppere cavendum est, nè in his duobus etiam in minimô claudicemus.

*** *** ***

¶

¶ QUOD OBEDIENTIA DEBET esse voluntaria. Cap. VIII.

VOluntaria, quoq; sit obedientia, quæ non virgâ, vel calcari indigeat; sed moveatur sibilo dulciori. Multùm est laudabilis obedientia, quæ præceptum servat, laudabilior quæ consilijs, & admonitionibus obtemperat; sed omni laude dignissima, quæ præcipientis animo se conformat. Sed sunt nonnulli, qui potiùs à majoribus suis audire volunt placita, quàm, ut placeant, facere audita, qui prælatum sibi, non se illi cupiunt obedire, vel audire. Isti non magistrum gentium dicentem: Domine quid me vis facere? sed cæcum, cui dixit Dominus, quid vis, ut faciam tibi? satagunt imitari. Patet ergò esse, fratres nostri, dùplicem obedientiam: una quidem charitatis, & aliam necessitatis. Illa præceptum respicit, ista consilijs, & admonitionibus acquiescit. Illa necessitate quâdam arctatur, hæc charitatis amplitudine dilatatur. Illa per coactionem est servorum: hæc per libertatem spiritûs est filiorum. Et istam utique tantò magis acceptam, quantò minus debitam esse constat.

¶ QUOD OBEDIENTIA DEBET esse simplex. Cap. IX.

TAm simplex obedientia vestra sit fratres, ut injuncta sine discussione facientes, judicetis de vestro, nec in minimo habere vos. Nam quisquis intentionem præcipientis judicat, bellum intrinsecus sibi parat. Per hoc enim, quòd causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in laberinthũ erroneum se ponit. Certè per hoc obedintiæ bonũ minus purum rèdditur: cùm quis prælatum irrationabilia jubère præsumptionis oculo intuetur. Verùmtamen, & si prælatus interdum minus utilia nostro judicio videtur jubere: vos id ad inobedientiã non debet movere. Nam, & si ille erràverit in jubendo: nequaquam vos deviàbitis, seniorum mandatum, cùm nihil contra Deum præcipiat, exequentes. Si enim ea, quæ per obedientiam facitis, non sunt interdum utilia monasterijs: semper tamen utilia erunt vobis. Quid enim pròfuit, quòd quidam patrum virgam àridam longo tempore jussus rigavit: nisi quòd in terrâ convalescens virtutem obedientiæ, & obedientis meritum demonstravit? Obedientiæ fastigium in hoc est: ut quasi stultũ se quis faciat in hoc mundo: nihil scilicèt discernens, nihil judicans ex his, quę fuerint imperata; sed omni simplicitate, & fide illud utile, illud sapiens esse ju-

jùdicans, quod sibi lex Dei, vel exàmen superioris indixerit. Et verè, si per hunc modum evacuati fuerimus spiritu propriô: replèbimur non immeritò tunc divinô. Attendite, quòd in tantùm omnis creatura suo obedit sine discussione creatori, ut illa faciat quicquid suæ placùerit majestati. Per quod manifestè instrùimur, ut simpliciter jussa facientes, nequaquam superioribus nostris per inobedientiã reluctemur.

¶ *QUOD OBEDIENTIA DEBET esse ordinata. Cap. X.*

OPortet nihilòminus obedientiam esse ordinatam, nè, si ordo ejus pervèrtitur, obedientiæ quoque opus per consequens depravètur. Unde considerandum est, quòd, sicut ratio nostra debet esse subdita creatori: sic voluntas obediat rationi, atq; sensualitas voluntati. Nam quando recàlcitrat voluntati sensualitas, vel rationi voluntas, vel creatori ratio, debitę subjectionis in animâ periti ordo. Et tunc Dei judiciô nobis ab inferiori nostrô resistitur, cùm à nobis nostris superioribus non paretur Ordo quippe obedientię, consideratâ prælatorum differentiâ, tenendus est: ut majores minoribus in hujusmodi præferamus: Duobus enim prælatis contraria præcipientibus, acquiescendum modis omnibus est majori: Unde, cùm Deus prelatis supremus

nus sit: contemnenda sunt prorsus mandata hominum: quandocumquè præcipitur contra Deum. Oportet enim, ait Petrus, Deo magis, quàm hominibus obedire. Patet igitur, quòd nunquàm sunt mala propter obedientiam perpetranda: licèt propter eandem interdum bona sint rationabiliter omittenda. Scimus etenim contemplativam vitam activam in multis præcellere. Et tamen, cùm ab illâ subditus ad istam trahitur: quod propter mandatum negligit, virtute obedientiæ, in meritorum cumulô compensatur.

¶ *QUOD OBEDIENTIA DEBET esse jocundâ.* *Cap.* XI.

POst hæc sciendum est, quòd nequaquàm ex tristitiâ, aut necessitate sit, quod injungitur, faciendum. Jocunda etenim obedientia prælatum ipsum jubentem lætificat: obediētiæ onus alleviat, securitatem quoq; conscientiæ præstat. Si quis autē mœstus obtemperat, cum Simone Cyreneô in angariâ crucem portat. Currus non unctus sub onere mūrmurat. Et sic is, qui cum tristitiâ obedientiam exequitur, carère unctione Spiritûs sancti se declarat. At verò gaudens cum Andreâ crucem suscipit, quisquis onus, quod imponitur, nec corde renuit, nec signô quôlibet contradicit. Sunt autem quidā, qui ex desideriô faciunt etiam laboriosa, dùmmodò sint

sint plàcita. Alij cũ gravitate suscipiunt levia: quia jussa. Istud fieri persuasione diaboli certum est, ut hoc nobis grave faciat, in quô majus meritum esse constat: & aliud nobis offerre sàtagit gaudiosum, quòd saluti nostrę minus perspicit fructuosum.

¶ QUD OBEDIENTIA DEBET esse strenua. Cap. XII.

NOn tantum levia; sed ardua propter obedientiam sunt agenda. Est enim obedientia pretiosa, cùm obtemperatur in placitis, non quia placita; sed quia injuncta. Pretiosior verò super aurum, & topazion, cùm obeditur in contrarijs, in quibus, si sensualitas interdum remùrmuret; erit tamen ratio semper prompta exemplô Christi, qui, quamvis calicem passionis à se transferri pèteret; voluntatem tàmen suam patris subjecerat voluntati. In obedientiâ multum valet, fratres mei, ad merendi efficaciam difficultas operis cum prõptitudine voluntatis. Quando per claustralem vitam religioni jùngimur, mundo mòrimur, & actibus quòdàmmodò sepelìmur. Quare nostras per obedientiam voluntates continuè mortificemus: ut illi, qui per obedientiã sanguinem suum fudit, semper vivere valeamus. Non igitur ad jussum senioris respondere prę sumamus; nõ pòssumus, aut nescimus: cùm patres nostros aggressos propter obedientiæ bonum

etiam importabilia secundùm humanum judicium cognoscamus. Vires enim Deus omnipotens administrabit córpori: ubi voluntas serviens ad id, quod injùngitur, àderit menti. Unde quidam sanctorum patrum mandato senioris obtemperans supra spem, virtute divinâ; non propriâ saxum movit. Ex his colligere poteritis, quòd obedientiæ discretio est, ut sit aliqualiter indiscreta: ut ea pro bonô quis aggrediatur obedientiæ, quæ aliquando videntur secundùm mundi sapientiam carere ratione. Hinc est, quòd vir obediens loquetur victorias: quia voluntas, quæ se inclinat naturaliter ad prospera, per coactionem obedientiæ, ut curvetur etiam in adversis, necesse est.

¶ *QUOD OBEDIENTIA DEBET esse universalis.* *Cap.* XIII.

NEc semel tantùm debet quisquè, quód jubetur, facere; sed semper in omnibus obedire. Sed dicunt in corde suô dèsides, & rebèles: videmus, quòd hi, qui ad obedientiam sunt difficiles, ab omnibus sunt liberi, & ab officijs sunt securi. Ipsis enim ubiq; defertur, & pàrcitur: cùm alij, qui se ad omnia paratos exhibent, nunc officijs, nunc laboribus incessabiliter onerantur. Quis igitur posset, inquiunt, omnia, quæ jubentur custodire? Sanè, si oculum cordis aperimus, aperte considerare possumus

mus, quòd illis pro eò quòd parcitur, condolendum eſt, & iſtis, quòd eis non pàrcitur, congaudendum eſt. Quòd enim interdum pàrcitur rebellibus, ſuo vitio dèputent, non virtuti. Fit namq; iſtud, nè pejor ſciſſura fiat: nè concutiatur calamus conquaſſatus. Sic Deus non præcepit dare libellum repudij; ſed permiſit. Exultent autem juſti, qui oneribus prægravantur: quia, dum multiplicantur ſuper eos ónera, multiplicatur & materia meritorum, & per conſequens gaudium præmiorum. Otium inſuper eis tòllitur, peccatorum pœna minuitur, tentationis occaſio removètur. Sciendum autem, quòd, licèt omnes homines obedientiâ ſtringantur aliquali; hîc tamen propter votum regulares ſunt ampliùs obligati. Nam patrifamilias obediendum eſt in bonâ ſuæ domûs ordinatione, regibus in Reipublicæ gubernatione, plebanis in divinorũ præceptorum expoſitione, & ſacramentorum adminiſtratione, prælatis ordinum in diſciplinæ obſervatione, ſummo prælato Deo in declinatione vitiorum, & cuſtodiâ mandatorum. Vos igitur fratres ad obedientiam ſpecialiter ligaſtis: nec quicquam excepiſtis. Exemplum pſalmiſtæ ſequímini dicentis: Ad omnia mandata tua dirigebar. A memoriâ quoq; veſtrâ non dècidat, quòd, qui in unô præceptô offendit, præcedentes obſervantias omnes perdit.

¶

¶ QUOD OBEDIENTIA DEBET esse perseverans. Cap. XIV.

VEstra deniq; obedientia sit perseverans. Cum enim professionem facitis, usq; ad mortem vos obedituros in posterum obligatis. Quia igitur exitus, & non principium acta probat, fœlici jocunditate perpetuò coronādus erit, usq; in finē obediē tiam non relinquens. Cui igitur placet, ut sibi veritas promissa solvat, ipse quoquè, quod promisit, finaliter non omittat. Qui enim secundùm Christi sententiam perseveràverit usq; in finem, hic salvus erit certissimè.

¶ DE ABDICATIONE PROprietatis. Cap. XV.

AD aliam observationem regulàrem manum mittamus, ut quàliter sine propriô vivere debeamus, doceamur. Igitur ex primitivæ Ecclesiæ perfectione dìscere poteritis: quòd habere cuncta communia debeatis. Creaturę id nobis indicant in communicandô bonum, quod habent, & invicem sese donant. Mutuò quoque sibi serviunt membra còrporis, communitatem rerum indicantia per hoc nobis.

)(o)(

¶

¶ QUÆDAM MOVENTIA *Ad abdicationem proprietatis.* *Cap. XVI.*

ABdicationem rerum Christus nos de suô exemplô docuit. Beatus Dominicus nobis moriés hoc legavit. Scriptura quoq́ ; sacra idem figùris multiplicibus demonstravit. Nam crucifigendus Christus vestibus suis spoliatur : per quod nobis, quàm nudos rerum omnium proprietate nos esse conveniat, declaratur. Ipse quoq́; non habuit , sicut àsserunt , ubi caput reclinaret. Sanctus etiam Dominicus legavit nobis migrans ad Deum humilitatem, charitatem , & voluntariam paupertatem. Idipsum exemplô suô trâdidit idem pater, qui pauper erat pecuniâ ; sed dives vitâ purâ. Denìq ; lègitur, quòd mulieris amictæ Solę pedibus Luna supponitur , per quod esse calcanda nobis omnia mutabilia demonstratur.

¶ QUOD IPSA MULTIPLICITER *vitiatur.* *Cap. XVII.*

SEd heu! sunt aliqua, quæ bonum paupertatis vitiant, nunc possidendi desiderijs nunc, verbis inordinatè prolatis , nunc etiam factis in virtutis hujus præjudicium demonstratis. Nonnulli sunt etiam

etiam qui ad ea, quæ profitendò, contempſerant, appetitibus accenſi anhèlant, obliti quòd apud ponderatorem ſpirituum ipſa perverſa voluntas, priuſquàm ad actum procèdat, condemnetur. Econtra quidam patrum, quia ràpere cucùmerem concupivit, in Sole acriter ſe afflixit: ut vexatio talis intellectum ſibi tribùeret, ac ſi malum in ſe deſiderium puniret. Hi verò, qui divitias, quas foris habere non pòterant, nunc affectant, ſi verè Chriſti diſcipuli eſſent, per anguſtam portam, quę ducit ad vitam, exonerati ab omni impedimentò intrare ſolicitè laborarent. Invenimus etiam interdum quoſdam in quibuſdam rebus adeò delectari, ut nec ad concedendum ea fratri petenti velint aliquatenus inclinari. Alij quaternos, vel res alias innituntur à fratrum conſpectu abſcòndere, nè poſsint petentibus non negàre, quibus contemnenda eſſent illa tranſitoria, & fraternæ charitati omnia poſtponenda. Pudet autem dicere, quòd non nunquam viliſsimis rebus ſic accenduntur: ut ſiquis, vel digitò ex his quicquam attrectare præſùmpſerit, tam indignatione cordis contra ipſum, quàm verborum inſolentiâ moveantur. Inveniuntur & alij, qui ſic dicunt: Niſi mihi detur hoc, vel illud habendi, vel recipiendi licentia, nequaquam domum de cæterò in talibus promovebo. Sunt, & alij, qui tales ſe èxhibent, ut prælatus ex his, quæ habent, auferre non audeat, vel, ut ad tempus concedant, injungere

rè non præsùmat. Et si abstùlerit quicquam taliũ: turbationes in domò concitant, & tumultus. Sed quia per talem indignationem in prædictis rebus aliquale jus sibi vèndicant, proprietarios quodàmmodò se demonstrant. Pro his nequaquam turbationem sibi assùmerent, nisi res illas, pro quibus moventur, ad se pertinere aliqualiter judicarent. Sunt & nonnulli, qui denarios sine licentiâ nec accipiunt, nec expendunt; & tamen quia licentiam sibi denegari nullâ ratione volunt, apud Deum excusabiles non existunt. Alij dum dare, vel accípere quoq; desiderant, insidiosè prælati sui absentiam expectant, ut a minore prælatò licentiam obtinere valeant, quam negandam à majore credunt probabiliter, aut formìdant. Isti quidem apud homines forìnsecus se excusare poterũt; sed apud Deum, cui omne cor patet, & omnis voluntas lòquitur, perfectionis sèmitam derelinquunt. Quidam etiam commestibilia, vel potabilia sibi missa, vel soli contentantur habere, vel illis, quibus placet, tantùmmodò distribuere, nec fratres alios secundùm dispensationem eorum, quorum interest, partìcipes volunt esse. Sunt & alij, quibus auctoritas est tradita: qui monasterij res indignis cònferunt, aut incautè perire sinunt, aut superfluè res expendunt, qui nonnunquam circa curam propriam reperiuntur satis pròdigi; sed quo ad alios satis avari; hi si certè adverterent, quòd eleëmòsynæ sunt pauperũ, qui-

quibus vivunt, eas cum magnâ timoris reverentiâ, & providentiâ æqualiter dispensârent.

¶ QUALITER DEBENT ESSE amatòres paupertatis. Cap. XVIII.

VEri autem amatores paupertatis sine licentiâ nil accipiant, nec dent, vel habeant, neq; mutuent, neq; furentur: Quamvis enim nobis necessaria habere liceat in cõi; nullus tamen quicquam habeat in speciali. Ecce pater noster Augustinus tantę paupertatis extitit, quòd testamentum nec moriens fecit ullum. Et, sicut proprium non licet habere claustrali; sic, & operari studeat in communi. Sciendum est autem, quòd religiosis postponenda sunt quædam actu pariter, & affectu, ut proprietas rerum, quâ se privaverunt: quædam affectu, sed non actu, ut interdum est per activam vitam dispensatio temporalium: quædam actu; sed non affectu, sicut pro bonô obedientiæ quandoque intermittitur contemplatio supernorum: Sed heu! videmus multos bonum paupertatis appètere; nolunt tamen ipsam cum defectu, seu penuriâ sustinere. Apud omnipotentem verò Deum tunc paupertas pretiosa rèdditur, cùm eam voluntas devota cum difficultatis molestiâ comitatur. Sanè ad retinendum nuditatis virtutem ita vosmetipsos ab omni proprietate reddatis extraneos, ut tanquam peregri-

grinos,& nihil habentes pijs monasterij largitionibus vos noveritis vestiendos, deinceps,& alendos. Ex præmissis igitur colligite, ut possidendorum in vitâ præsenti nec quicquam inordinatè concupiscatis, nec inhonestè acquiratis, nec sine licentiâ quicquam recipiatis, vel detis, nec præter voluntatem prælati aliquid teneatis, nec licentiam extorqueatis, nec contra fraternam charitatem quicquam teneatis, nec inutiliter expendatis.

¶ *DE MULTIPLICI NOCUMENTO proprietatis. Cap. XIX.*

OStendunt proprietarij se vacuos Dei gratiâ esse, qui contrà professionem suam possidere satagunt aliena. Mala est compensatio, quæ bursam ditat, animam Deô privat: quantùm sibi religiosus aream ònerat rerum proprietate, tantùm sibi gravat conscientiam puritatis egestate. In dialogorum librô legimus, quendam religiosum paucos denarios abscondisse, cujus sepultura extrà cymiterium quidem facta maledictionem pro benedictione meruit sic habere. Pecunia tua tecum sit in perditione, positis denarijs apud ipsum. Tales, si decèdunt impœnitentes, pejores sunt infernô: qui, moriente Christô, restituit aliena. Isti pro re transitoriâ pretiosum òbligant, quia pro talibus animâ suam damnant, & se gaudijs cœli privant. Unde fra-

ter,

ter, qui se, & sua Christum secuturus reliquit, de his se vitiosè postmodùm intromittit. Iste talis insipientem se ostendit, qui molam asinariam de collo amotam resùmit: & in spinas, quas evàserat, se posuit, ac lutò, quò subtractus fuerat, se submergit. Iste velut canis ad vòmitum revèrtitur, & retro aspiciens mittendò manum ad aràtrum pèrficit curvum saltum. Talis namq; si uxorem Loth in statuam salis conversam attèuderet, ad ea respìcere, quę relìquit, minimè festinaret. Minus est sapiens, qui divitias asino congregat; sed de propriâ inopiâ nihil curat: Huic similis est, qui contra professionem suã res sibi cõlligit; sed per defectum spiritualium fame perijt. Per hoc quoq; quòd sua pretiosiora seipsò æstimat, gradum, & ordinem diligendorum, aut negligit, aut ignorat. Cùm iste sit mundo mortuus, fame mori formìdat. Cùm de compèdibus sit solutus, iteratò se illaqueat. Cùm sit in navi, aquam haurit, ut se mergat, cúm sit in hortò sal spargit, nè fructus sibi gratiæ crescat. Benè talis dici potest idolòlatra, quia fiduciam habet in pecuniâ, quæ in illò solùm, qui juvare potest, est habenda. O quam injuste res hic ponderat, qui postpònere pro paucis denarijs Christum putat. Immò talis interdum flagitium Judæ sùperat, quia his nõ nunquàm unò sofidò se damnat. Ille autem venditurus Dominum triginta argèntеos eum æstimabat. Naturæ hic ordinem pervertit, quia terram sùper omnia diligit, quam

quam inter elementa, rerum Creator ìnfimam ordinavit. Tu ìtaq; fratèr, ſi cúrrere ad cœlum vis expedìtè, ſàta ge, ut nequaquàm prementes ſàrcinas amplectàris.

¶ DE UTILITATE PAUPERTATIS. Cap. XX.

SUfficiat autẽ vobis, fratres cariſsimi, paupertas & abhominetur anima noſtra tranſitorias ſubſtantias: quia Chriſtô vobiſcum manente, divites nimìs èritis, nihil temporalium habentes. Et ſine illô pauperes èritis, & egèni, cunctas etiam divitias mundi obtinentes. Ille autem ſit veſter theſaurus, qui ſolus animæ deſideria repelere poteſt, & ſine illô eſt omnis creatura vacua. Quare, ſi propter paupertatem eſurìtis, & ſitìtis, ſi nudi eſtis, ſi ſubſtinetis incòmmoda: ille ſolus vobis ſufficiat, qui dulcedinis, ſuę magnificentiâ, omnia mundi cò:mmoda propter ſe dimiſſa incomparabiliter recompenſat. Attèndite fratres mei, quia, ſicut ſecurum iter pauper tranſit per latrones: ſic & monachus nihil habens, cùm decedit, diaboli ſecurus tranſit laqueos, & evadit. Elementa levia ſurſum vadunt, ſic & fratres, qui ſe perfectè omnibus nudant, liberè cœlos petunt. Exemplũ enim eſt horum pauper Lazarus, qui fuit tandem ab Angelô in ſinu Abrahæ deportatus.

¶ DE CASTITATE Cap. XXI.

AMplectenda est post hęc velut unum bonũ de religionis principalibus ipsa castitas, quæ divinæ visioni nos aptat, quæ naturam superat, & angelicis spiritibus nos conformat. Hæc est enim, inquam, quæ fidelem animam Christi sponsam efficit, quæ sequentes agnum canticum novũ instruit, & Deo proximum esse facit. Talibus inhæreatis nuptijs, ubi thàlamus est cordis munditia. O quam regales sunt illę nuptiæ, ubi anima Christo per amorem jungitur, capiti nostro corona ponitur, & dextra illius nos in primô amplexatur!

¶ SIMILITUDINES QUÆDAM de castitate. Cap. XXII.

CAstitas vestimentũ est nuptiale, quô decorabimur discumbentes in conviviô summi regis. Hoc byssinô vestimentô qui carùerit, de nuptijs æternis confusibiliter expelletur. Videte, quòmodò confusi sunt valdè servi David, quorum videlicèt vestes usq; ad nates tondebantur, quia confusi nimis erunt apud altissimum, qui tegumentô nobilis continentiæ nunc spoliantur. Omni laude dignum est in carne præter carnem vivere, & inter spi-

nas

nas esse; sed spinarum aculeos non sentire. Salamandræ tales sunt similes, quę in igne non combùritur; & pisci, qui circùndatus aquâ non submergitur: atq; grano, quod non inter zizania suffocatur. Isti mira faciunt in hôc mundô: Majus enim miraculum est de carne propriâ fomitem extirpare lividinis, quàm ejicere dœmonia: vel febres de corporibus alienis.

¶ DE TRIBUS *MALIS Incontinentiæ.* *Cap.* XXIII.

TRibus modis incontinentes errant, dum vel delectatione, vel cogitatione, vel consensu circa idem vitium elaborant: hujus figuram nobis sacra scriptura evidenter innuit: cùm in primorum parentum peccatum serpentem, & mulierem, atq; virum litteraliter introducit. Sit itaq; cor vestrum per castimoniam thronus ebùrneus: sit lectus floridus: sit fons clarus: sit utiq; hortus conclusus: amena paradisus: sit arca extrinsecus, & intrinsecus deaurata: & virtutum delectabilis apotheca.

¶ DE COGITATIONE *MALA.* *Cap.* XXIV.

PRimò ergò super corda vestra, fratres mei carissimi, Cristum sicut signaculum ponere satagi-

re: & nè vagentur ad inania prohibete. Cor etenim ceræ simile dicitur, quæ per impressionem sigillô quôlibet figuratur. Quare pulchris imaginibus mentes vestras imprimite, ac sic eas in æternâ gloriâ decorate. Studeamus etiam pigmenta bonarum cogitationum in ignem desideriorum mittere, quô valeamus summi amoris incensô in conspectu altissimi redolere. Desiderium enim nostrum ignis est, & secundùm materiâ, quam impònimus, vel fœtoris, vel boni odoris fragrantiam excitat. Cor quoq; nostrum molæ continuò currenti comparatur, quâ vel lolium, vel triticum comminuitur secundùm arbitrium imponentis. Faciamus igitur, ut Salomon, qui auream urnam supra templũ posuit ad invenendum, quòd quisq; talis esse debet, qui ad resistendum volatilibus cogitationibus se præmùnit. Sciat vestra fraternitas, quòd cogitandô quis perversa, raptòré in thesaurũ suũ intromittit, semen jactandô diabolum emittit, sagittas diaboli absq; clypei oppositione recipit incurvandô se Sathànæ, Christum de soliô dejicit: porcos in hortum suum devastandum introdúcit: lutum in fontem conscientiæ suæ mittit: flores relinquens, ad stercora se convertit.

***
***
***
***

¶ DE DELECTATIONE. Cap. XXV.

QUasi proles matrem, sic delectatio malum sèquitur cogitatum. Quisquis ergò volùerit vitare consequens, malum præcaveat antecedens, sciens, quòd, qui cogitationibus carnalibus mentè dèderit, à supernis se consolationibus elongabit. Absit enim, ut divina consolatio infundi debeat vasi inquinato. Nam cor immundum sedes est Sathànę, cui non decet Christum per gratiam consedère. O quàm indigna commutatio incommutabile bonum spèrnere, & rebus mutabilibus adhærère, fontem dulcedinis relinquere, & turbatô rivulô se replere! Igitur si de peccatis interdum vos cogitare contingat: non hoc ex delectatione; sed amarâ compunctione fiat, sicut pater multarum gentium Abraham civitates à longe conspexit subversas, & Hjeremias civitatis suæ incendium dolens planxit.

¶ DE CONSENSU. Cap. XXVI.

CÆterum si contingat, ut illicita cogitatio vos interdum mordeat, summòpere cavendum est, quòd usq; ad consensum delectatio non decurrat. Cùm enim diabolus inclinare vos nìtitur ad pecta-

tum, ad ſuum incurvari tranſitum vos hortatur. Sed mendax eſt, & pater mendacij. Ideo minimè perverſus tranſibit, quin potiùs, ſi in conſenſu veſtrô advènerit, pedem figat. Conſiderandum tamen eſt duplicem eſſe conſenſum, qui nos màculat, dum vel malum fàcere decèrnimus, vel dum nos in opus per delectationem motum conſentimus. Quando enim delectatio cogitationis uſq; ad voluntatem delectandi protràhitur, tunc moroſa, & rea criminis, etiam abſq; perpetratione òperis, judicatur. Et ſi taliter delectantes apud omnipotentem rei ſunt, videant, quô reatu conſtringentur, qui cogitationes prevenientes ad illicita ſe compellunt.

¶ *QUALES DEBENT ESSE VERI continentes. Cap. XXVII.*

STudeamus igitur fratres còrporis habere continentiam, atq; mentis, quæ nobis per cinctionem lumborum, atq; manimillarũ cum zonâ aureâ declaratur. Si verò tentatio carnis, vel dœmonis ad illicita vos inciṗat; mentem tamen ſtantem fòrtiter hæc non frangat. Sed multùm intereſt habere virtutes politicas, vel purgatorias, aut purgati animi, quia tantò ſunt extremæ prioribus meliores, quantò jam poſt triumphum quietem ſinceræ poſſident puritatis. Quamvis enim omni laude plenum ſit carnalibus deſiderijs reſiſtere, multò tamen lau-

ca-

dabilius eſt tentationum incitamenta non ſentire. Nam dum obtinet in bellorum conflictibus quis triumphum; tamen vulnerum interdum ictus recipit, ac plagarum. Motus etiam, quem cum labore pugnę quis interimit: quando ſe pacem habere ſperaverit, tunc inſurgit. Nequaquam enim ab hoſte dimicans ſecurus eſſe poterit, quandiu contra eum dimicans victus non fuerit. Securior David erat poſtquã à prelijs, ſubjectis hoſtibus, quiẽverat, quã, cùm bellorum diſcriminibus ſubjacebat. Status illè tranquillus in arcâ Noë deſignatur, in quâ cuncta quietantur animalia, & pacantur. Ad pacem hanc laudabilem tunc venimus, quando contra vitia inſurgentia, non quaſi ex neceſsitate pugnare compellimur; ſed ea potiùs, cùm ſe priùs oculo rationis obtulerint, velut colubrum horrore nimiô deteſtamur.

¶ *DE CIRCVNSTANTIIS LVXVRIÆ. Cap. XXVIII.*

NOn ſolùm opus luxuriæ nepharium; ſed ad illud incitantes circunſtantiæ ſunt vitandę: quales ſunt incautus viſus, tactus, oſculum, & amplexus, frequens eloquium, riſus.

*** *** ***

¶ DE VISV INCAVTO. Cap. XXIX.

ETenim quia mors per feneſtras ingrèditur, neceſſe eſt, ut viſus ipſe cum magnâ diligentiâ obſervetur, nè, dum incautè exteriora aſpicimus, divitias interìnſecas amittamus. Certè, ſi Davìd viſum ab incautô intùitu reſtrinxiſſet, in tantæ tentationis mala minimè incidiſſet. Pudicitiam quoq; Dina perdidit, quia ad videndum mulìeres regionis occurrens, viſus in ſui ſe cuſtodiam non concluſit. Ad tegendum viſum noſtrum exemplum nobis Salvator tràdidit, qui nec proprios velari in irriſione oculos recuſavit. Quò idcircò ſcandalizantem oculum ſecundùm Dei conſilium eruamus, ut viſum videlicèt, nè vanitates hauriat, avèrtere ſtudeamus.

¶ DE TACTV IN CAVTO. Cap. XXX.

CAvendi ſunt præterea contactus non ſolùm laſcivarum; ſed bonarum etiam fœminarum: quamvis enìm bona ſit terra: bona quoq; ſit pluvia, tamen ex earum commixtione lutum efficitur. Eôdem modô, licèt bona ſit manus viri, & bona manus fœmìnæ, ex contactu tamen illarum nonnumquàm luto-

lutosa cogitatio, vel affectio generatur. Si picem etenim quis tetigerit, manum utiq; sordidabit. Quis autem stultus credit se manum in ignem mittere, & incendium non sentire? Unde quidam sanctus, quando per aquam matrem propriã transportavit, manum palliô, nè illam tangeret, involvebat.

¶ *DE AMPLEXIBUS, & osculis. Cap.* XXXI.

SI ergò secundùm Apostoli dictum, bonum est mulierem non tàngere, nequaquam illam expedit oscular. Concupiscentia enim quosdam tales sic falsè dècipit, & excœcat, ut dicant talia licere, cùm eundem Apostolum constet osculum indulsisse. O quàm miserabiliter perijt judicium rationis: cùm affectus ad aliquod faciendum incipit dominari! Firmat enim sibi mens captiva conscientiam qualemcumq; dum tamen perficiat, quod affectat. Ipsa verò conscientia post facti perpetrationem amaris stimulis mentem pungit, quę ad malam partem dèvians, veritatis semitas derelinquit. Amplexus quoq; mortales non desiderant, qui ad æternas nuptias se parant. Ornatos namq; lampadibus munditiæ, & oleô lætitiæ decet esse, qui superni sponsi amplexibus cupiunt interesse.

¶

¶ DE REMEDIJS LUXURIÆ. Cap. XXXII.

REmedia sanè luxuriæ sunt familiaritates suspectas devitare, sibi non nimis confidere, occasiones tentationum fugere, sensus exteriores claudere, cogitationes malas restringere, carnem domare, motibus insurgentibus resistere, bonis se semper exercitijs occupare. Quem enim antiquus hostis vacantem viderit, hunc suis negotijs occupabit. Sciendum deniq; quòd est nobis contra alia vitia pugnandum; sed incontinentiæ malum potissimè fugiendum. Quoniam, sicut infirmus per potum frigidę aquæ ardorem febrium non minuit; sed accendit: sic remedia concupiscentiæ quærens in his miserijs, desiderium nec satiat, nec extinguit.

¶ DE RESISTENTIBVS CONTRA luxuriam. Cap. XXXIII.

OMni custodiâ necessarium est cor custodiri: quia constat illud multipliciter impugnari. In resistendô quoquè necesse nobis est, ut ibi simus in nostrâ custodiâ cautiores: ubi pugnas experiuntur hostium fortiores. Nam & diabolus ibi ponit frequentiùs tentationum laqueos, ubi magis sentit nos incautos. Et ibi studet fortiùs nos debellare, ubi novit

vit nos ampliùs ęgrotare. Pax, & concordia cunctis eſt laudabilis, niſi contra vitia pugnaturo: quod optimè innùitur, ubi turris David ędificata cum propugnaculis, decorata fuiſſe mille clipeis, omniq; armaturâ fortium memoratur. Unde, & antiquo pò pulo propter exercitium præliandi Jebuſeus dimittitur, & Machabęis in ſabbatò pugnandi licentia tribuitur: ut, quàm gratum Deo ſit bellum contra vitia, declaretur. Fratrem illum diligenter recogitate, quem vidit ſenex coram ſe per diverſarum ſpecierum formatas imagines impugnari, quas, quia per negligentiam non rèpulit, cordis ſui pulchritudinem in cõſpectu Dei omnia cernentis maculavit. Sed ècontrariò benè ſibi frater ille tentatus conſuluit, qui, ut magis obliviſceretur talium, mulierem ſibi lùteam figuravit. Ad innuendum cuſtodiam cordis noſtri Chèrubin flàmmeò gladiò ad viam ponitur Paradiſi. Studeamus autem maximè caput ſerpentis contèrere, hoc eſt tentationum principijs inſiſtere: ut ſic hoſtem, dum eſt debilis, opprimamus: ut nequitiam in ſemine deſtruamus, atq; ad petram, ideſt Chriſtum noſtros parvulos allidamus: ut, ſi adverſarius noſter ſæpiùs tentationibus exàminet, ipſa frequentia tędiò nos afficiat, nè ſimus ſicut lapides, quos ſtillæ cadentes non violentiâ; ſed frequentiâ tandem cavant. Liquet hoc in patre quòdam, qui annis viginti tentatus fortis athleta Chriſti perſtitit; ſed pòſt modum unius noctis ſpatiò victus ceſsit. ¶

¶ DE HUMILITATE. Cap. XXXIV.

MAtrem virtutũ humilitatẽ fratres chariſsimi libenter amplectamur, quam & Chriſtus verbis docuit, & exemplô. Nihilominus demonſtravit, qui ſe mitem, & humilem corde dixit. Scitis de quôdam apud antiquos patres recipiendô, ad oſſa mortuorum miſsô, ut illis exhibèret ignominiã, & honorem: quatenus ſicut hæc ad utrumquè inſenſibilia cernerent: ſic, & ipſe laudes, vel vituperia non curaret.

¶ DE HIS PER QUÆ HUMILITAS habetur. Cap. XXXV.

AD perfectam humilitatem iſtis gradibus venietis: ſi videlicte defectus veſtros cum dolore, ac emendationis propoſitô recolàtis, ſi propriam excellentiam ex corde fugiatis: ſi contempti non contemnatis: ſi vos verè mortuos mundo æſtimetis: ſi nulli, niſi ſoli Deo placere appetatis, nec ulli diſplicere, niſi ſoli Domino Deo timeatis: ſi humana vobis præſentia nihil adjiciat honeſtatis, aut minuat ſolitudo: ſi vos inutiles non ſuperficie verborum pronuntietis; ſed veraciter reputetis: ſi deſideretis viles videri: ſi omne, quod eſt contra communi-

munem cursum ordinis, quod vos potest reddere notabiles, declinetis: si singularem sensum relinquatis: si vos ipsos in vestris conscientijs accusetis, & alios excusetis.

¶ DE SIGNIS HVMILITATIS. Cap. XXXVI.

SIgna sunt humilitatis gratiam hominũ negligere, sententijs aliorum acquiescere, correctiones libenter audire, caput inclinare, vestes notabiles non ferre: tortuosum incessum vitare: majorũ præcepta sine discussione perficere: æqualibus ad obsequia paratum esse, minores non contèmnere, simplici gradientes viâ, nunquàm duplicatum, aut fictionis vestigium prætèndere, in litibus nolle victoriam obtinere.

¶ DE VTILITATE HVMILITATIS. Cap. XXXVII.

UT humilitatis fructum noveritis, agnòscite, quia cinis est virtutum carbonem in fervore conservans, fundamentum spirituale, ædificium nè cadat sustentans, & scala ad cœlestia nos sùblevans. Ipsa enim humilitas virtutes cęteras conservat: capiti nostro nos assimilat, actiones pulchritudine suâ ornat. Hęc est, quę Deo est amabilis, in seipsâ laudabi-

dabilis, proximis exemplaris. Humilitas certè est virtus, quæ òbtinet absentia, stabilit præsentia, recúperat jam amissa.

¶ QUOMODO QUIS HUMILIS debet apparère. Cap. XXVIII.

SI quis igitur humilis esse perfectè nititur, velut surdum, mutum, cœcum, immò quasi stultum exhibere ex intimis sese conetur: ut videlicèt nihil audire, nihil loqui, vel videre cupiat, quod ipsum à propositò suò pròtrahat, & à bonò propter derisionem aliquàtenus non recedat. Humilitatemque perfectè quisq; teneat sine fictione, ut, sicut vel illam èxhibet forìnsecus in opere, sic deferat eam in corde. Non igitur sitis sicut illi, qui humilitatem diligunt; sed contemni nolunt, quia tales, si humilitatem nòscerent, nequaquàm illam in contemptu propriæ excellentiæ consistere dubitarent. In vestimentis servetis tale medium, ut nec pretiositate sint notabilià, nec vilitate nimià deturpata. Superbia nonumquã de suò interitu convalescit. Dum enim quis abjicere sese nìtitur, de hôc ipse multotiès inaniter gloriatur. Eôdẽ modò, cùm pro Christô quis jejunàverit, sæpè vanagloria per hoc surgit. Undè cùm quidam frater quæreret, cur magis in congregatione, quàm in solitudine jejunare posset? respon-

sum

sum est ei, quia digitus eum in monasteriô pasceret; sed in solitudine nullus jejunij testis esset.

¶ DE NOCUMENTIS SUPERBIÆ. Cap. XXXIX.

NOcumentũ superbiæ in hôc perpendatur, quòd duo sunt in operibus bonis, gloria utiq;, & utilitas, quorum primum sibi Deus servavit; sed rèliquum nobis dedit. Unde si Dei partem nobis retinere contenderìmus, absq; dubiô partem aliam amittemus. Sicut enim ventus pùlverem pròjicit: sic vanitas virtutes dissipat, & dispergit. Hoc enim certissimè sciendũ est, quòd nunquàm obedièntiæ bonum, nec patientiæ virtus, nec perfectionis puritas obtinèbitur, si humilitatis sinceritas amittatur.

¶ DE CONSERVATIONE humilitatis. Cap. XL.

SI igitur humilitatem dilìgitis, per hæc, quæ conscripsimus, illam cõservabitis: si videlicèt in vobis pensaverìtis facilitatem cadendi, difficultatem resurgendi: si cognitionem habere studueritis propriæ fragilitatis, & considerationem fratris alterius melioris, si sæpè cogitaverìtis mortem imminentẽ, si nihilominus Dñm, quæ àgitis, attènditis intuentem. Si nihilominus ipsum Dñm usq; ad mortẽ tùrpissi-

pissimam humiliatũ pensaveritis, si gloriã, & honorem, qui sequuntur ignominiam, ponderaveritis.

¶ DE PATIENTIA. Cap. XLI.

DEniq; fratres mei virtutum clypeum patientiã apprehendite, quæ in sanctis Dei mirabilia operatur. Facit enim ipsa patientia vincere puellam fragilem totum mundum: immò sine pugnâ vincit adversarium, & amaritudinibus mundi pascitur, & contrarijs delectatur. Discipuli certè se dignos habitos judicabant, quia pro Christi nomine contumelias substinebant. Si benè consideramus, non sunt condignæ passiones hujus temporis, quas sustinemus, ad magnitudinem Christi passionum, nostrorumq; delictorum, & infernalium tormentorum, atq; cœlestium præmiorum. Proinde lætati sunt patres nostri pro diebus, quibus humiliavit eos Deus, & annis, quibus viderunt mala: sicut apertè nobis pater noster Dominicus ostendit, qui loca insidiarum transiens, incessit alacriter, & cantavit. Idem quoq; pater fuit Carcassonę libentiùs, quàm Tholosæ, quia cepit ibi molestias, hîc honores. Exemplum patientiæ nobis exhibuit, qui dicebat, nonnè dissimulavi? nonnè silui? nonnè quievi? Dissimulavit quidem foris per òpera: ne impatientiæ signum ostenderet. Tacuit autem verbis inordinatis,

tis, nè vel ore dura verba proferret. Quievit in corde, nè vel seipsum intrinsecus turbaret.

¶ DE UTILITATE PATIENTIÆ. Cap. XLII.

PAtientia est àdamas, quô mens incommodis non frangitur: medicina, per quam ab omni læsione curatur, & clypeus, quô, nè lædi valeat, communitur. Ab aliô certè lædi non potèrimus: nisi priùs contra nosmetipsos intrinsecus dimicèmus. Tribulationis fructum ille novit, qui pretium injuriantibus erogavit: hunc fructũ sacra Scriptura satis innuit: ubi tribus pùeris ignis in nullô nocuit; sed vinculatos solvit. Idem ostendit artificium. Nam lapis ad hoc tùnditur, aut sculpitur, ut in solemni locô postmodum collocetur. Sic & nos in mundô prèmimur, ut in templô cœlestis patriæ, vbi nullus sonat malleus, collocemur. Nam gaudium tristitia præcedit, quâ, vel pro purgatione culpæ, vel perfectione gratiæ, vel augmentô gloriæ nunc ferìmur. O labor, ò dolor, ó beatæ lacrymæ, quas ab afflictorum oculis manus omnipotentis absterget! Cœlorum regnum eorum dìcitur, qui propter justitiã persecutionem patiuntur. Cùm ergò in persecutione duo sint, culpa videlicèt, & pœna, meliorem partem habet patiens, cùm sit culpa lædentis, & tantùmmodò pœna sustinentis. Puritatem suæ dilectio-

ctioni: in nobis omnipotens Deus ex hôc probat, quòd eos, quos amat, arguit, & castigat. Hinc est, quòd in signù clementiæ ab Assuerô rege cõtra Hester. ulea virga extènditur, quâ nos esse cõsolandos virgâ Dominicæ correctionis figuratur. Si suis dilectoribus temporaliter benefaceret, plures sibi nõ pro se; sed pro donis potiùs adhærerent. Fuerunt, qui dexterâ utebantur, similiter, & sinistrâ, quibus quid aliud dixerim, nisi quòd, sicut ad meritum vitę convertebantur per prospèra, sic & per adversa, immò, ut veriùs dicam, nihil talibus adversum esse pòterit, pro quibus adversitas ipsa militans, semper cumulat meritum, & tandem ducit in gaudium. Patet ergò, quòd homo patiens de felle favũ melis èlicit, malum in bonum convertit, amarum quasi lac sugit, mœrorem in fœlicitatis æternę gaudium mutat, usq; ad tempus enim expectabit patiens, ut postea jocunditatis redditio subsequatur. Certè peccantes ad refrigerium venire non potèrimus, nisi hîc per aquam tribulationis, vel tandem per ignem purgatorij transeamus. Facilior est autem aquæ trànsitus, quam ignis. Si adversitatum utilitatem sciremus considerare, vix in centum annis Domino possemus pro infirmitatis unius beneficiô respondere. Unde sapienter ille bonus frater doluit plorans, quòd eum Dominus quintô Annô per infirmitatis molestiam non visitavit.

¶ QUALIS ESSE DEBET VERA Patientia. Cap. XLIII.

VElimus igitur bona àgere, & mala pati. Et ſi cordis tranquilitatem cùpimus habere, debemus, non quod nobis fit; ſed quod alijs irrogamus, ponderare, ferre libentiùs injurias, quàm inferre, flagella Dei ſine murmuratione ſuſtinere, ac injurias proximi ſine rancòris odiô tolerare. Exemplum nobis ſúmimus à Davìd, qui, quando cytharam tangendô tètigit, in Saüle malum ſpiritum mitigavit. Si pœnam ex culpâ meremur, doleamus. Si autem innocenter pàtimur, gaudeamus, quia jocundius eſt cum Chriſtô ſuſtinere moleſtias innocenter, quàm cum latrone pati juſtè, multòq; majoris gloriæ pro laude divinâ, quàm pro meritis mala ferre. Sunt igitur agendæ gratiæ Deo pro proſperis, & pro adverſis, ſicut non ſolúm cantat diebus; ſed & noctibus Philomèna. Sine querelâ tam activè, quàm paſsivè vos ſervetis fratres chariſsimi, ut nec querelas moveatis de alijs, nec de vobis cuiquàm tribuatis materiam querelandi. De nullô, niſi quòd pro Chriſtô militatis, gaudeatis, nec de aliquô doleatis, niſi quòd à conditoris gratiâ elongatis. Nam impatientia contra peccatum tantùmmodò eſt indulta. Hæc enim dilectiſsimi thronus Chriſti, & victoria eſt, ut cedant lædenti, & indulgeant

proſequenti. Sitis igitur fratres velut aròmata, quæ trita magis fragrant, ſicut aurum, quod fornax non conſúmit, ſed exàminat, ſicut granum, quod à paleâ flagellum ſèparat, ſicut navis, quam ventus non ìmpedit; ſed ad littus àgitat, ſicut gemma, quam ſculptura non deſtruit; ſed decòrat. Ad perfectam igitur patientiam venire cupientes, his gradibus utamur, ut videlicèt malum pro malô nunquàm reddamus, bono non reſiſtamus: mala toleremus, injuriantem placemus, bonum pro malô rependamus. Gaudenter injurias ſuſcipiamus, ad plus ſuſtinendum parati ſimus, in tribulatione Deo gratias referamus, adverſitates pro Dominô affectemus. Maximè verò valet ad ſuſtinendum cõvitia, ſi ad reſponſionem talionis ſitis non faciles; ſed immobiles velut muti, & quaſi qui hoc non audierint, vel advèrterint, ſicut ſurdi.

¶ *DE MALIS IMPATIENTIÆ.* *Cap. XLIV.*

MUlta mala impatientia operatur. Rationis etenim oculum cœcat, ſancti Spiritûs donum conturbat, ac pacis dulcèdine mentem privat. Hæc diabolo comparatur, quia, ſicut ille ignem vomit, ſic importunus homo impatientiæ verba fundit. Ira enim febribus ſimilis eſt, quia non ſolùm animus, ſed, & corpus per eam inordinatis motibus cõ

mo-

movetur. Immò dico iram febribus pejorem, quia cùm per febres homo vexetur semel, vel bis, per irā multotiens unô die agitatur. Cùm autem tribulatio sit quædam rasura, talis quisq; quando per hunc mundum ràditur, quietus sedeat: nè si sub rasoriô insolenter se moveat, pejus malum per impatientiā incurrat. Cùm detrahenti se quis vindicaverit, plus amittit, quia tribuit vestem innocentiæ tollenti pallium bonæ famæ. Si quis igitur à Deô vindictam poscit, Christum Deum quodàmmodò ultorem, & júdicem sibi facit. Quid de irâ dicam? Per iram cor accènditur, sivè pàlpitat, os in clamorem format, sensus, quid loquatur, ignorat, cæcantur oculi, facies igneścit, lingua impedítur, cor tremit.

¶ *QUOD IN QUIBUSDAM patientia deformatur. Cap. XLV.*

SUnt autem quidam, qui patientiam, non ex propriis; sed ex virtutibus concipiunt alienis, qui volunt tunc solùmmodò esse patientes, cùm non fuerint ab alijs irritati. Sunt, & alij, qui foris injurias dissimulant, qui rancòrem interiùs tamen servant. Horum patientia est sicut sotularis non unctus, qui ab exteriori quidem læsione pedem defendit; sed intrinsecus pedem rumpit. Isti sunt lupis similes, qui plagas in pelle foris benè sustinent, & vùlnera,

sed corruptionis cõcipiunt faciliter in interioribus detrimenta. Sunt item alij, qui proprias injurias studiosè vindicant; sed injurias Dei prosequi minus curant, non advertentes aliam per zelum, aliam per vitium iram esse, prima contra injuriam Dei: secunda contra injuriam propriam commovetur. Et illa est gratiæ, ista culpę, illa præmiũ, ista importat pœnam. Sed cavendum est valdè, ne tantum animus per iram turbetur, ut quod vitiô furoris àgitur, fieri per zelum rectitudinis æstimetur. Interdum enim vitia virtutibus se palliant, & actus, qui possunt fieri meritoriè, reddunt noxios, ac depravant. Sic nõnumquam in correctione fraternâ, ira charitatem excæcat, cùm potiùs è contrariô charitas iram debeat exęcare. Sunt, & alij, qui personis, & non vitijs irascuntur. Nos autem si charitatis òrdinem inspicimus, hoc videmus, quòd est diligenda natura, quam Deus còndidit, & detestanda sunt crimina, quę quis ex instinctu propriô, vel certè diaboli perpetravit. Pòssumus interdum homini non ex rancòre irasci, & pro bonô suô corpore, cúpere malum pœnæ. Cùm quis ex sanitate corporis, vel affluentiâ divitiarum, vel alijs ex gratijs extòllitur, aut peccatis alijs implicatur, ut sibi bona sub trahatur, benè, & rationabiliter possumus exoptare: ut, deficiente causâ, deficiat & effectus, sive desinat.

¶ QUALITER PATIENTIA acquiratur. Cap. XLVI.

UT autem jocúndiùs nobis adversantia sustinere possimus, studeamus hoc solicitè possidere, videlicèt memoriam passionis Dominicæ, considerationem retributionis divinæ, ac dulcedinem Dominicæ charitatis. Pensemus, & nostra mala merita, deniq; beneficia, pœnam purgatorij, quæ nobis per tribulationem diminùitur, & peccatũ, quod dimittitur, & gratiam, quæ perficitur, & Dei gloriam, ad quam ordinamur, præmium, quod augetur, atq;cautelam, quâ per hanc non modicum erudimur. Sed laborandum nobis est, nè per ipsam nobis contingat quandoq;pœnam incurrere, unde possemus, & gloriam expectare. Videmus enim, quòd per æqualem motum pigmentum videlicèt fragrat, & lutum fœtet, & quòd in eôdem igne aurum rutilat, & fœnum fumat. Certè tribulatio calcar est ad boni operis fervorem, pigritiam èxcitans nostram, & ventus ad portum gloriæ nos impellens. Cæterum, cùm injuriosè molestamur, citiùs in nobis rancòrem extinguimus, si per dissimulationem primos motus reprimamus. Est enim iræ natura, quòd signis exterioribus prolata crescit; sed occulta minùitur, & languescit.

¶ DE ORDINATIONE HOMINIS, quò ad Deum. Cap. XLVII.

OMni visu vos exhibete laudabiles fratres mei, corâ Deô sinceros mentis puritate, & coram hominibus præclaros decenti disciplinâ. Exhibete vos semper in tali servitiô timoratos, solicitos, & devotos. Solicitè Deo placita investigate, & ardenter ea concupiscite, ac implète. In charitate, & ex charitate cuncta facere satàgite, ut & Deô largiente habeatis charitatis habitum, & per vestrum studium ejus motum. Si enim unum istorum in vestris actionibus defúerit, nequaquàm apud Deum meritorium opus erit. Id ergò, quod in usum venerit, devotè ad Deum referte, & ei propter seipsum per amorem infatigabiliter inhærète. Via vobis sit ad Deum tam pròspera, quàm adversa, ut in successibus cum gratiarum actione sitis humiles, & in contrarijs patiétes. De nullô gaudeatis, nisi quòd Christo militetis, nec de aliquô doleatis, nisi quòd ab ejus gratiâ vos elongetis. Soli Deo placere appetatis, sibimet solùmmodò displicere timeatis. Sola vobis ea, quę Deo jungunt, dulcescant, sola, quæ sibi contraria, amarcescant. Totam vitam vestram ad Dei gloriam ordinate: semper illi de beneficijs suis gratias àgite, & quicquid ad laudem ejus non pertinet, quasi amissum pènitus reputate: vilescant vobis

vobis omnia præter Deum, nec quæratis aliquid in tranſitorijs, quod eſt contra Deum. Affectetis omne triſtabile, quod ordinat vos ad Deum. Sit vobis Deus honor, & gaudium, in mœrore ſolatium, & in tribulatione defenſio: ſit vobis cibus in jejunio, in paupertate abundantia, in infirmitate ſaluberrima medicina. Quapropter ſi eſuritis, ille vobis ſit convivium, ſi ſitiris, ille vobis ſit vinum conditum, ſi nudi, ſit ipſe veſtitus: infirmi, ſit ipſe medicus, ſi vigilatis, ſit ille lectus, ſi fatigati exitinere, ſit quies, & umbraculum vobis ipſe. Sit, inquam, Deus cordis veſtri ſpeculum, quo vos ornetis, ſit fons, qui vos lavet, ſit panis, qui vos confortet, electuarium, quod vos ſanet, ſit clavis, quæ corda veſtra ſibi aperiat, mundo claudat. Et ſi vires corporis deficiant, ſemper tamen in obſequio conditoris bonæ voluntatis deſideria inardeſcant. Diligite, quod diligit Deus, & odite tantummodo, quod odit. Quantum eſt in vobis, ſemper ſtudeatis habere intellectum Deum cognoſcentem, affectum Deum diligentem, diligentiam ipſum quærentem, ſapientiam ipſum invenientem, converſationem ſibi placentem, perſeverantiam ipſum fiducialiter expectantem. Quid plura fratres? Adoremus Dei potentiam, miremur ſapientiam: amemus clementiam, deſideremus pulchritudinem: alliciamur per dulcedinem, veneremur æternitatem: imitemur humilitatem, magnitudinem inquiramus: perfectionem laudemus, miſericor-

ricordiam ſperemus, juſtitiam ejus timeamus.

¶ *DE ORDINATIONE HOMINIS quoad ſeipſum. Cap. XLVIII.*

COrpus vobis ſolùmmodò ſit in mundô; ſed animus ſit in cœlô. Intar tam mentes veſtrę ſint intentæ ſuperiùs, ut præſentia velut tranſacta quodàmmodò reputetis. Mundus ſit vobis exilium, & patria veſtra cœlum. Frequenter ad Deum cor dirigite propter familiaritatis ejus amicitiam ſubintrandam, licèt hoc ipſum fiat breviter, & propter accidiam removēdam ſtudijs ſpiritualibus vos paulatim aſſuefàcite. Orationis uſum vobis fàcite, & imprimite: nec tamen tanquàm ex cōſuetudine; ſed ex devotionis dulcèdine adimplète. Orationes furtivas quęrite. Illis quoq; orationibus libentiùs inſiſtite, quę affectum veſtrum ad fervorem magis videantur excitare. Videte, nè dum corpus ſit in choró, animus ſit in forô. Exiſtentes in itinere, ſic vos exhibeatis bonô modô ſocijs affabiles, nè ipſa ſocietas ab orationum conſuetarum fructu faciat inanes. Quotidiè manè ſurgentes, cuncta, quæ facturi eſtis, Deo offeratis. Finitô die de commiſsis illâ die vobis ipſis capitulum teneatis, convocaris cogitationibus, locutionibus, & operationibus. In lectione ſtudeatis intellectu proficere, & affectu. Sic illa bona, quæ ex affectu quandoq; facienda concipi-

tis,

tis, facite: nè propter illa bonum obedientiæ, vel id, ad quod tenèmini, negligatis. Et breviter, ut supremo bono conjungi valeatis, sitis ab omnium negotiorum sæcularium strèpitu exùti, à vanitatib. speculatorum præsentium avulsi, à cunctis infructuosis cogitationibus extranei, & mundi blandimentis, ac illecebris crucifixi.

¶ DE ORDINATIONE HOMINIS quó ad proximum. Cap. XLIX.

IN omni actu fratres carissimi studète vobis proficere ad meritum, & proximis ad exemplum. Circa servitia fraterna sitis jocundi, spontanei, & parati, nec ulli sitis propter usum proprij còrporis onerosi. Gratiam, quam accepistis, alijs libenter impendatis. Id, quod deest, ab habentibus humiliter requiratis. Delictum fraternum non indignatio; sed compassio prosequatur. Accusate proprios defectus, & supportate humiliter alienos, semper cogitantes vos perpetrare potuisse similia, & majora, nisi divina vos misericordia custodisset. Et certè, licèt non advertatis, ideò forsitan in majoribus defectibus laboratis, in quibus & vos indigetis ab alijs supportari. Habet enim fructus quilibet vermen suum. Monète delinquentes humiliter, & argùite patienter. Pacem cum omnibus, & bellum cum vitijs habete. In omni bonô servate concordiam

diam, & non in malô. Fratris iracundiam sine ratione etiam contra vos conceptam considéretis cõpescere, sicut vestram. Quælibet transitoria fraternæ postpônite charitati. Sic homines diligatis, ut eorum vitia non ametis. Et dilectio debetur hominibus secundùm meritum; sed veneratio secundùm officium, & ætatem. Debetis igitur plus honorare superiores; sed plus diligere meliores, prælatis obedientiam, æqualibus concordiam, melioribus beneficium exhibere. Contendite majoribus per timorem subjici, æqualibus per charitatem obsequi; sed per humilitatem minoribus coæquari. Sitis præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus tàciti, laudantibus verecundi. Negligentes, & reprehensione dignos ita cautè declinate, ut ipsos præsumptuosè non judicetis, & tamen ea, quæ faciunt, fugiatis. Quoscumq; ferventiores in bonô cernitis, eorum familiaritatem avidiùs appetatis. Quamlibet virtutem velut apes, semper à melioribus deflorate, nec quid minus quis habeat; sed quid virtùtis possideat, cogitate. Universa verò, quæ videritis minus ædificationis habentia, velut cæci, & qui penitus hæc non viderint, transeatis. Nunquàm enim eorum, qui malè agunt, auctoritate, vel consuetudine animati, vel exemplô, id, quod deterius est, faciatis.

¶

¶ QUOD PRÆLATI DEBENT esse speculum subditorum. Cap. L.

AD vos autem spectat, ò prælati speculum subditorum esse, dominium non amare, nunquàm imperare, sine contumeliâ corrigere, sine superbiâ gubernare, sine crudelitate castigare, cum charitate fovere: Venerationem non exigere, æqualitatem servare, culpas propter timorem, vel amorem non dissimulare, ex rancòre, vel odiô non punirè, in pœnis misericordiam cum justitiâ temperare, communi aliorum victu, & vestitu contentos esse. Ad bonũ monere, nec moribus contradicere, verbô, & exemplô præesse: pro diversitate culparum, & personarum, nunc vinum, nunc oleum exhibere: sicut potestate, sic virtute cæteros præcèllere, non solùm præesse; sed prodesse. Circa interiora, & exteriora solicitudinẽ habere, spiritualia, & temporalia providè dispensare. Quæ sunt contra ordinem non dispensare, rationabiles licentias non negare. Curis superfluis se subtràhere; sed necessarijs non deesse. Cum his, qui in lenitate ambulant, nolle misceri: maturitatem honestam apprehèndere, prælaturam pro libertate, vel còmmodô non tenere, amare communia, superflua non appetere, contra honestatem non acquirere, de redendâ ratione continuè cogitare. Ad vos inquàm spectat, ò prælati,

esse

esse in actione pròvidos, in contemplatione suspensos, in conversatione humiles, in dictis veràces, in factis stabiles, in regimine fideles, vobis esse parcos; sed alijs liberales, in capitulò strenuos, extra pios, rebellibus esse patres, humilibus esse matres. Sic igitur vos habeatis ad súbditos, ut parati sitis semper infirmis subvenire, sanos ad bonum stimulare, tentatos confortare, peccantes corrìpere, devotos dilìgere, pigros excitare, indiscretè ferventes retràhere, religiosos ad exteriora mittere, dissolutos in domò tenere, seniores in dubijs consùlere, minores secundùm regulam nutrire, simplices non contemnere, præsumptuosos inclinare, turbatos cósolari, omnesq; vobis commissos Dño commendare.

¶ *DE DISPOSITIONE HOMINIS in corde. Cap. LI.*

UT perfectiùs posìtis fratres charissimi finem attingere, quem intènditis, ad quid mundum relinquentes venerìtis, cogitate solicitè. Voluntates vestras fràngite, & mundo vos mortuos æstimate. De cordibus vestris abjicite curiosas cogitationes, indignas affectiones, sinistras intentiones, violentas occupationes, tristitiam inùtilem, privatum amorem, & sensum utiq; singularem. Illud coram oculis Dei cogitare pertimèscite, quod in præsentiâ homi-

hominum erubescitis opèribus exercere. Conetur igitur quisq; cor habere, quod sit quasi hortus arboribus virtutum virès, ut apothèca sanctarum affectionum aromàtibus rèdolens, ut cœlum divinarum illuminationum syderibus fulgens, ut flos supernum rorem susçipiens, ut arca thesaurum mirificum in se claudens, ut fons devotionis rivulos semper manans, ut speculum domìnicam imaginem repræsentans. O beatum cor, quod èxhibet se solium, in quô Deus sedeat, thalamum, in quô quiescat, sigillum, cui similitudinem suam imprimat, cellarium, quod vinô suô impleat, librũ, in quô memoriam suam scribat, aurum, quod pro beneplacitô suô flectat! Conetur iterum atq; iterum quisq; cor habere Deo devotum, cogitationibus discretũ, in tentationibus cautum, à rancòre extraneum, à judicijs alienum, desideriô ęternorum lànguidum, amore vulneratum, cogitatione fùlgidum, in operibus timoratum, contemplatione elevatum, in bonô solicitum, contritione scissum, munditiâ sanctum, timore custoditum, & gratiâ decoratum. Denique diligentissime studeamus fratres, ut totô corde recedamus à peccatô, detestandô culpam, totô corde convertamur ad Deum, agèdô pœnitentiam, & totô corde quæramus dominum, supplicandô veniam, totô corde adhęreamus domino ipsum super omnia diligentes, totô corde serviamus domino ipsum laudantes, totô corde sequamur ipsius sèmitas imitantes.

tantes. Ista domino meritò debemus, qui beneficia præstat innumera cordi nostro. Ipse namquè Deus corda nostra illustrat, sapientiâ gubernat, bonitate ditat, dulcedine cibat, pulchritudine immutat potentiâ juvat, & charitate unit, promissis allicit, flagellis erudit, comminatione concutit, ac beneficijs emollit. Ipse Deus dulcissimus corda nostra intuetur probandô, allòquitur informandô, tangit excitandô, visitat consolandô, vivificat justificandô, & aperit irradiandô, de quibus omnibus gratiarum actiones nobis sibi referre convenit indefessè.

¶ *DE DISPOSITIONE HOMINIS in ore. Cap. LII.*

NUnquam superfileat loquenda, vel proferat tacenda. Quando verò loqui propònit quis, ipsa verba priùs in animô temperet, quatenus modestè, veraciter, & dulciter, quod voluerit, id propònat. Lingua enim mendax dupliciter elata, vel inflammata, Deo est, & hominibus odiosa. Diligenter igitur charissimi respicite, quid, vel quibus, quando, vel ubi, qualiter, vel quantum, vel certè quâ de causâ loquàmini: nè sermonibus vestris, si debitæ circunstantię defuerint, generetur mala conscientia in cordibus proprijs, vel certè scandalum in animô auditorum. Hęc autem tria, videlicèt: gestum,

ſtum, vocem, ſignificationem in veſtris locutionibus attendatis, ita ut geſtus ſint diſciplinati, vox lenis, ſignificatio ſemper vera. Verbis nolite contendere; ſed nec in litibus victoriam curetis obtinere. Vitanda ſunt ſemper verba, quæ vel loquentibus, vel audientibus ſunt nociva. Ab illis locutionibus eſt abſtinendum, quæ, vel illius, qui lòquitur, vel ejus, cui lòquitur, vel illius, de quò lòquitur, non conveniunt honeſtati. Tempus loquendi conſiderandum eſt, quia quandoquè nihil, quandoquè aliquid dicendum eſt. Sed nullum tempus invenìtur, quando mala, vel etiam bona omnia ſint proferenda. Aliquando enim tacere debemus, propterea quia alter loqui cœpit, nè ſermonem ejus interrùmpere videamur. Aliquando tacendum eſt propter auditorum animos, quando ad id, quod dicere propònimus, advèrtimus imparàtos. Aliquando tacendum eſt propter multiloquium devitandum, vel etiam propterea quia ipſi, qui ſumus loquuturi, nòdum formam congruam concèpimus proponendi. Senes loquantur de diſcretione conſulendi: Jùvenes de inſtantiâ operandi: ſapientes de myſteriò ſcripturarum: ſimplices de exemplis bonorum operum: hi, qui exteriora tractant, de ſolicitudine vitæ activæ: Qui quietam vitam ducunt, de dulcedine vitæ contemplativæ: prælati de diſpenſatione temporalium, & ſpiritualium: ſubditi de obedientiâ præceptorum. Cùm igitur ad ædificationem noſtram lo-

qui volumus, ad hoc illos, quorum doctrinâ possumus ad virtutem provehi, eligamus. Cùm verò propter aliorum ædificationem loquimur, ad illos, quos speramus nostrâ exhortatione corrigi, convertamur. Ad hoc autem doctrina nostra intendat, ut hortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad quietem importunos, ad fervorem tepidos, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis tacitos, ad mansuetudinem impatientes, ad vigilantiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam præcipites, & procaces. Hoc est solicitè considerandum, quòd frater habeat conversationem sibi placentem, perseverantiam ipsum fiducialiter expectantem. Quid plura fratres? Admiremur Dei potentiam, miremur pulchritudinem, alliciamur per dulcedinem, veneremur æternitatem. Cavendum est insuper, nè frater in loquendò membra inordinatè moveat, neq; oculorum nutibus, nec vultûs transformatione, vel transmutatione sermonis sui gratiam decolòret. Devitetis itaq; verbum amarum, superbum, detractorium, adulatorium, juratorium, superfluum, otiosum. Sicut autem absenti non debetis detrahere, sic nec præsentem aliquatenus deridere. Insipientibus non debetis illudere, nec sapientibus invidere. Sicut muti in otiosis; sed loquaces infructuosis: in sermonibus vestris non cor in linguâ, sed linguam in corde potiùs teneatis. Sanè cùm ad loquendum veneritis, pauca verba

verba rationabilia proferatis. Taciturnitatem ametis, & tumultum hominum fugiatis: per silentium namque conscientia servatur, & mens per contemplationē expeditiùs elevatur. Quantò enim plus à negotiorum strepitu vos subtrahitis, tantò Deus vicinior erit vobis.

¶ *DE EXERCITIO BONORUM operum. Cap. LIII.*

His virtutibus fratres charissimi pollère satàgite, quæ specialiter pertinent ad regularis observantiam disciplinæ, quales sunt abdicatio proprietatis cum obedientiæ bonō ad munditiam castitatis. Et quoniam per votum religionis ad magna vos ligastis, magna quoque in operibus demonstretis. Multò namquè melius est in minoribus promissionibus esse devotum, quàm in majoribus negligentem. Vestrum ordinem servetis ōpere; sed omnes alios charitate. Quotidie in aliquō virtutis exercitiō proficite, & in bonum conèmini solicitè laborare. Navis enim, quæ contra ictum fluvij dūcitur, retrocèdit, nisi sursum cum magnō labore cōtinuò moveatur. Secundùm statum, in quō Deus vos posuit, meliora semper, quæ ad illum pertinent, adimplete. Habeatis in pœnitentiâ vitam, in desideriō verò mortem. Disciplinam extrà servate, conscientiam interiùs expurgate. Subtiliter investigate ma-

la propria, & dignè corrigere indagate. Communem reprehensionem audientes, non illam ad alios; sed ad vosipsos humiliter retorquete. Quia certi estis de perpetratâ culpâ, doleatis; sed quiâ incerti estis de veniâ, timeatis. In omnibus actionibus vestris extrema fugite, & semper in mediô vos tenete. Unde tali moderamine carnem stringite, quasi centum anni victuri; sed vitia sic fugite, quasi crastinô morituri. Circa servitia fraterna sitis prompti, nec ulli circa usum proprij còrporis onerosi. Estote fratres humiles sine fictione, maturi sine ponderositate, àgiles sine levitate, timentes sine desperatione, sperantes sine præsumptione, obedientes sine contradictione, hilares sine dissolutione, patientes sine murmure. Estote, inquam, compositi ad morum disciplinam, pij ad misericordiam, immobiles ad constantiam, in oratione devoti, & in vestrâ custodiâ circunspecti. Curate mala præterita plângere, præsentia mala spernite, futura cavete, in bonô finaliter perdurate. Quamvis nihil honestatis humanâ præsentia vobis debeat adjicere, vel solitudo diminuere; tamen ibi magis servate disciplinam, ubi vel pluribus generat scandalum neglecta, vel formam imitationis tribuit custodita. Noctem ordinetis silentiô, & orationi, diem verò bonis exercitijs, & labori. Diem detis proximo: noctem Deo: laboris causam, non laborem in labore cogitate: In bonis fortes estote; sed in malis vos debiles exhibete. In ag-

agendis verò talem ordinationem, quò ad omnes, & singulos obſervetis, ut videlicèt ſit in prælatis diligentia, in ſubditis obedientia, in omnibus ſit pax, & concordia, in chorô devotio, & diſciplina, juxta altare maturitas, & reverentia. Devoti ſint ſenes: laborioſi ſint juvenes. Sit humilitas in habitu, parcitas in victu, ſobrietas in potu. Sit in claustrô non rumor; ſed lectio: in capitulô non lis; ſed confeſsio. Et intentio fratrum non verſetur in cauſis; ſed in pſalmis. In conventu quoquè ſint aſsidui, ad curias verò rari.

¶ *DE EXERCITIIS VITUTUM. Cap. LIV.*

SIcut ſpectat ad juſtitiam operatio boni, ſic declinatio quòque mali. Quapropter laudabiliter vivatis: nec tamen laudem hominum appetatis. Nó glorièmini de multis diebus, quibus in religione diu vixiſtis; ſed de paucis, quibus ordinem obſervaſtis: hypòcriſim fugiatis, & in veritate corã Deó ambuletis, ſicut & in veſtimentis ovium foriuſecus apparetis. Nimis enim parum eſt in ingreſſu religionis tantùm habitum mutare; ſed mores, & vitam laudabile eſt. Igitur ſimplici gradientes viâ, nunquam duplicetis, aut fictionis veſtigium prætendatis. Quicquid cõtra communem uſum eſt, vel quod vos poteſt rèddere notabiles, id fùgite quaſi peſtem.

Justitiam nũquam deseratis propter verecundiam, vel timorem. Dissolutiones non faciatis, nec vos cum eis, qui in levitate ambulant, commisceatis. Studete visum à vanitate, aures à rumoribus, cor à malis cogitationibus claudere: & linguam à sermonibus otiosis, manus à contactibus impudicis, pedes ab evagationibus cohibere. Ab omni denique vos subtrahite, quod in conditoris posset vos obsequijs impedire. Otia declinetis: nè cellas inutiliter occupetis: crebra munúscula, frequentemque missionem cingulorum, & cultellorum, & hujusmodi devitetis. Nolite non fienda sapienter appetere, aut facienda per accidiam fastidire. Diligentissimè caveatis, nè quando in labore minus patientes, vel inobedientiâ præceptorum minus álacres, vel in operibus charitatis inveniámini negligentes. In certô statu, & certâ conscientiâ vos ponatis: nunquam etiam in illô statu vivere presumatis, in quô moriendô discedere non velletis. Excessum in habitu caveatis: nè vestimenta vestra sint in genere pretiosa, vel in qualitate minus mollia, vel in colore splendétia, vel in formatione signũ habentia vanitatis. Gestum quoq; corporis ubique cum distinctione disciplinæ exerceatis, sic ubique, ut singula mébra suum teneant officium, nec usurpent in suis actibus alienum. Unde nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus officium linguæ sibi sumat; sed unumquodq; membrum tam decenter opus suum impelat, quate-

nus

nus aſpectus intuentium non offendat. Facies humana, cùm ſit ſpeculum diſciplinæ, intantùm majori cuſtodiâ eſt habenda, quantó minus poteſt abſcõdi, ſi quod peccatum in eâ fuerit, vel cœlari. Diſcurſus inutiles ſemper caveatis diligenter. Nam ſicut de inconſtantiâ mentis nãſcitur inordinata motio corporis: ſic è contrariô mens paulatim requiem impònit, quando motus còrporis inordinatè fluere non ſinitur: corpus non colatis, nec ſolatijs tranſitorijs hæreatis. Terrenę namque delectationes jocundant faisè, dum ſunt, & contriſtant veraciter, poſtquam non ſunt. Hoc quoquè ſpecialiter attendendũ, quòd, ſicut malum opus quandoquè eſt laudabile, ſic, & bonum opus reprehènditur quodàmmodó, ſi non fit tempore oportunô. Juſtitia enim & veritas nõ ſemper deficiunt: quando tempus debitum in his expectatur. Fructus namquè non pròvenit, cùm ſemen jacitur; ſed tunc demum quando ſuô tempore ſeminatur.

¶ *DE TEMPERANTIA SERVANDA in cibô, & potu.* Cap. LV.

CORpus ut ſerviat, nutriatur, & nè laſciviat, ordinetur. Sic abſtinentiam exerceatis, nè poſtea comedentes, ipſum jejunij ſuperfluitate nimiâ compenſetis. Nõn ſapor ciborum; ſed fames comedẽdi vobis excitet appetitum. In menſâ ſtudeatis ne-

cessitati providere, non appetitui. Caro etenim est pascenda; sed vitia extinguenda. Unde corpori non sunt danda superflua, neque necessaria subtrahenda. Cùm igitur sufficientem cibum sumpsistis, si postmodum delicatiora, vel meliora superveniunt, non propter illa stomachum oneretis. Et quod de cibo diximus, de potu quoque, ac somno, & indumento, alijs quoque corporis necessarijs intelligatur: ut numquam illis curetis voluptati satisfacere; sed necessitati naturæ. Illud etiam prætereundum nō est, quòd ante sumptū cibum magis hilares esse convenit, nè videamur propter abstinentiam turbati: postea verò tacitos, & modestos, nè putemur in crapulâ inflammati. Ante prandium tempus est doctrinæ, & orationis: postmodum autem operis, & laboris. Tunc enim exercendus est animus, quando ad studium spirituale levis est. Et tūc reprimenda est caro, quando calores incentivi per cibum solent amplius excitari.

¶ *DE VENIALIBUS VITANDIS.*
Cap. LVI.

SIcut libenter vitatis peccata gravia, sic cavete fratres, nè multa vos molestent venialia, vel levia. Sæpe etenim de peccatis minimis venitur ad majora: sicut ignis calidus nonnūquā surgit modicâ de scintillâ. Vitanda sunt igitur peccata venialia, quia

quia nos in malis assuescunt, & fervorem charitatis diminuunt, animam màculant, ad pœnam òbligãt, animę potestatem in operibus suis lassant, & à gloriâ nos retardant. Numquam enim à quôcumquè facies Dei vidèbitur, donec per venialium pœnitentiam ultimus quadrans persolvatur. Hæc sunt quoquè, quæ gaudium cœleste nobis indirectè minuunt, quia opera bona nostra, per quę crèscere nobis posset æternorum cumulus pręmiorum, convèr tere nos oportet ad solutionem hujusmodi debitorum. Curemus ergò per omnes declinationes esse potiùs innocentes, quàm committentes etiam culpas levissimas, esse pœnitentes.

¶ *EXHORTATIO BONA, ET FINIS Epistolæ. Cap. LVII.*

ECce fratres charissimi qualiter in multis vos instruxi, quia, & ipse indigeo erudiri. In locô pe regrinationis nostræ quandiu pravum est cor hominis, proclivum ad vitia, lànguidum ad virtutem, mutuis exhortationibus indigemus. Hinc est, quod omni virtute vos precor contestans, ut per eũ, qui sũ reverendô sanguine nos redemit, & ad vitam piâ morte reparavit, vestræ professionis, vestrique propositi non immèmores, semitarum meminerìtis antiquarum, per quas antecessores nostri currere festinarunt in spiritu vehementi, & jam regnant cum Christô

Christô perpetuâ requie cõsolandi, ad quam,& nos cùm,divinâ suffragante gratiâ,pervenerimus,erit animabus nostris cognitio puræ veritatis, dilectio summæ bonitatis, ac divinæ fruitio majestatis. Erit & corporibus nostris claritatis pulchritudo: agilitatis promptitudo: subtilitatis aptitudo : & impassibilitatis invictissima fortitudo. Ibi erit affluentia divitiarum: influentia bonorum omnium, & honorum. Ibi gaudebimus super nos de divinâ intuitione: infra nos de loci amœnitate: intra nos de corporis, & animę glorificatione, juxta nos de societate angelorum, & hominum unitate. Quid plura ? Ibi evasio periculorum : distinctio mansionum : concordia voluntatum. Ibi amœnitas vernalis: candor lucis æstivalis : & requies hyemalis. Ibi inquam vita sine morte : certum sine sorte : dies sine nocte: libertas sine timore : gaudium sine mærore: requies sine labore: regalis dominatio sine fine. Hæc vobis præstare dignetur, qui est principium sine principiõ, & finis omnium sine fine. Amen.

Appensus es frater in statera regulæ tuæ, & inventus es minus habens. *Daniel.* 5.v.17.

FINIS.

En-

En tela, en clamydem, en clypeos, enque arma ſalutis
Hoſtes queis vincas, queis ſúbigaſque tibi.
Sit ſine carne caro pauper, ſit menſque ſubacta:
Vincitur his mundus, tártara furva, caro.
Colla jugo ſub das, fati tum munera ſpernas:
Sitque tibi cœlebs tum ſine carne caro.
Tum ſúbiges mundum, luxus, tunc tàrtara, manes:
Tunc ſti: ophiô dignus, cœlica regna petes.
Victima grata Deo mentis mactata voluntas:
Hoſtia grata Deo, cùm ſine carne caro.
Hoſtes cæde Deo cordis penetrale tenentes:
Mundum macta, & opes ìmmola egenus, inops.
Ara Dei ſit cor, caleat charitatis in igne:
Hoſtia divitiæ victima Marte Venus.
Jam pereas mundo, carnis pereatque voluptas:
Tunc eris Angelicis dignus ineſſe choris.
Nudus eris dives, regnis potiere ſubactus:
Caſtus delicijs tuque fruére Dei.



INCIPIUNT PRÆDICTÆ Epistolæ Capitula.

SALUS, & Exordium Epistolæ. Cap. 1.

Exhortatio ad obedientiam servandam. Cap. 2.

Detestatio inobedientiæ. Cap. 3.

De bis, qui vitiant obedientiam. Cap. 4.

Qualis debet esse obedientia. Cap. 5.

Quòd obedientia debet esse prompta. Cap. 6.

Quòd obedientia debet esse devota. Cap. 7.

Quòd obedientia debet esse voluntaria. Cap. 8.

Quòd obedientia debet esse simplex. Cap. 9.

Quòd obedientia debet esse ordinata. Cap. 10.

Quòd obedientia debet esse jocunda. Cap. 11.

Quòd obedientia debet esse strenua. Cap. 12.

Quòd obedientia debet esse universalis. Cap. 13.

Quòd obedientia debet esse perseverans. Cap. 14.

De abdicatione proprietatis. Cap. 15.

Quædam moventia ad abdicationem proprietatis. Cap. 16.

Quòd ipsa multipliciter vitiatur. Cap. 17.

Quales debent esse amatores paupertatis. Cap. 18.

De multiplici nocumento proprietatis. Cap. 19.

De utilitate paupertatis. Cap. 20.

De Castitate. Cap. 21.

Similitudines quædam de castitate. Cap. 22.

De tribus malis incontinentiæ. Cap. 23.
De cogitatione malâ. Cap. 24.
De delectatione. Cap. 25.
De consensu. Cap. 26.
Quales debent esse viri continentes. Cap. 27.
De circunstantijs luxuriæ. Cap. 28.
De Visu incautô. Cap. 29.
De tactu incautô. Cap. 30.
De amplexibus, & osculis. Cap. 31.
De remedijs luxuriæ. Cap. 32.
De resistentibus contra luxuriam. Cap. 33.
De Humilitate. Cap. 34.
De his per quæ humilitas habetur. Cap. 35.
De signis humilitatis. Cap. 36.
De utilitate humilitatis. Cap. 37.
Quomodo quis humilis debet apparere. Cap. 37.
De nocumentis Superbiæ. Cap. 38.
De conversatione humilitatis. Cap. 39.
De Patientiâ. Cap. 40.
De utilitate patientiæ. Cap. 41.
Qualis debet esse vera patientia. Cap. 42.
De malis impatientiæ. Cap. 43.
Quòd in quibusdam patientia deformatur. Cap. 44.
Qualiter patientia acquiritur. Cap. 45.
De ordinatione hominis quò ad Deum. Cap. 46.
De ordinatione hominis quò ad seipsum. Cap. 47.
De ordinatione hominis quò ad proximum. Cap. 48.
Quod prælati deb. esse speculũ subditorũ. Cap. 49.

De

De ordinatione hominis in se quò ad dispositionem cordis. Cap. 50.
De ordinatione hominis in se quò ad dispositionem oris Cap. 51.
De exercitiô bonorum operum. Cap. 52.
De exercitijs virtutum. Cap. 53.
De temperantiâ servandâ in cibô, & potu. Cap. 54.
De venialibus vitandis. Cap. 55.
Exortatio bona, & finis epistolæ Amen. Cap. 56.



SIQUÆRAS HUMBERTI STRICTIM CARmine preſſa
Geſta videre: hęc carmina, quæ aſtant, pèr lege Lector.

Muſa refert, quæſo, Humberti memoranda Magiſtri:
Quis fuit hic? M. ſpeculum. Cur? M. quia ſorde lavat.
Sorde lavat? Mèmora: M. ſcripſit monimenta ſalútis:
Queis vigilans animus:, ſordida noxa piat.
Quis fuit hic? M. Genitor; pèperit ſacra gemina Chriſto.
Nunc virgulta rigat ſtelli ferique Patris.
Quis fuit hic? M. miles, pugnans ſuperavit Avernum:
Divitias ſprævit, carnis, & illecebras.
Quis fuit hic? M. Sacræ legis fuit iſte lycurgus:
Hanc ſerva; & ſuperum tu æthera conſpicies.
Quis fuit hic? M. Dux: cœleſtem, fortemque Phalangem
Confràtrum duxit, tela retorſit ovans.
Quis fuit hic? M. Mater: dedit hic lac, pocula: mammas:
Fovit, dum vixit, dumque quieſcit, alit.
Quis fuit hic? M. Palinurus: magnam hanc æquore navim:

In-

Incólumen duxit, fluctìvomoque mari.
Quis fuit hic? M. Lumen pellens de cordibus úbras:
Ut pèpulit linguâ, nun cálamô que fugat.
Quis fuit hic? M. Tuba, quæ reboans totô intonat orbe:
Excitat hæc fratres, palmæ ànimat que sonô.
Quis nunc est? M. sidus clarum, sol, cœlica lampas:
Clauſtris quæ fulsit, nunc rútilat que choris.
M. Dicam: Athlèta, Parens, ſpeculum fuit iſte, Lycurgus:
Dux: mater, Rector, lux, tuba, ſidus, amor.
Sat dixti, & novitanci memoranda Magiſtri:
Grátulor ipſe tibi: Cœlica Muſa Vale.

FINIS.

TRACTATUS VITÆ

Et instructionis spiritualis S. VINCENTII FERRERII

ORDINIS PRÆDICATORUM.

PONam in hôc tractatu tantummodò documẽta salubria ex dictis doctòrum extracta: non adducam aliquod scripturæ testimonium, vel alicujus doctoris ad probandum, quæ dicam, vel suadendum: tum quia brevitati intendo, tum quia tantummodò ad eum sermonem dirigo, qui cum magnô affectu desiderat implere, quæcumque secundùm Deum facienda cognoverit: Et idcircò etiam dicta non probo, quia humilem intendo instruere, non cum arrogantibus contentionibus deservire. Quicumque ergo volùerit proximorum animabus utilis esse, & ipsos verbis ædificare: primò debet in seipsô habere, quidquid alios est docturus: alioquin parum proficet: nam verbum ejus erit inefficax: nisi prius homines in eô comperiant esse, quod docet: & longè majora.

CAPUT PRIMUM.

De Paupertate.

OPortet enim primitus, ut omnia terrena contemnat, & velut stercora reputet: &

solùm districtissimè ad necessitatem de ipsis recipiat : quam necessitatem in paucô côlligat, sufferendô etiam quædam incòmmoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait. Scio, quòd laudabile non est pauperem esse ; sed paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter, & hilariter sustinere. Proh dolor ! multi de paupertatis solùm nomine gloriantur ; sed cô pactô, ut eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis ; sed paupertatis sodales, & micos fugiunt quantum possunt, famem, sitim, contemptum, despectionem. Non sic S. Dominicus pater noster : non sic ille, qui, cùm dives esset, pro nobis egenus factus est. Omnesque Apostoli, ita ut nosti, verbô, & exemplô docuere. Nihil ab aliquô petas ; nisi sit necessitas, nec acquiescas cuicumque dare volenti quibuscumque precibus, etiam sub prætextu, ut indigentibus largiaris : quia crede, quòd in hôc ipse, & omnes, qui audierint, finaliter multum lætificabuntur, ac per hoc ad contemptum mundi eos pòteris facilius inducere, & ad subventionem aliorum indigentium inclinare. Necessitatem autem tuam intelligo in parcô victu, & vili vestitu, & calceamentô, quibus nunc præsentialiter indiges. Non voco autem necessitatem librorum, sub quorum velamine frequenter magna avaritia cooperitur. Satis enim libri com-

communes ; vel accomodati inveniuntur in ordine. Et quicumque effectus prædictorum voluerit clarè cognoscere ; studeat primò corde humili adimplere : alioquin si corde tumidò contradicere voluerit ; foris stabit. Nam à Christô humilitatis magistrô humilibus manifestatur veritas ; quæ tumidis occultatur.

CAPUT II.

De taciturnitate.

FActô ergo paupertatis stabili fundamentô à Christô fundatore in vertice positô, dicente : Beati pauperes spiritu &c. ad restringendam linguam viriliter se accingat : ut lingua, quæ utilia debet loqui, ab otiosis, & inutilibus compescatur omninò. Et ; ut melius restringat, penitus non loquatur ; nisi interrogatus. Interrogatus dicò de re necessariâ ; & utili. Nam inutilem quæstionem silentium debet sòlvere. Si quæ tamen causâ solatii, vel recreativa sibi dicantur, ne onerosus aliis videatur ; quandam vultûs hilaritatem, & benignitatem pòterit ostendere ; sed nullômodô loqui : etiam si illi, quicumque sint, de hoc videantur murmurare, vel contristari, aut verba detractionis proferre : ipsum causandô singularem, seù superstitiosum, & gravem.

Debet tamen pro ipsis attentius orare, ut Deus ab eorum cordibus omnem turbationẽ amoveat. Pòterit tamen aliquando loqui, si immineat aliqua necessitas, vel proximi charitas, vel obedientiâ provocatus, & tunc valde præmeditari, & cum paucitate verborum, voce humili, & submissâ. Quod etiam debet facere, dum alicui habet respondere de aliquô. Nam taceat ad tempus ad proximi ædificationem, ut tacendô discat qualiter suô tẽpore loqui valeat: rogãdô tamen Deum, ut per se ipsum suppleat, cordibus proximorum interius inspirandô ea, quibus interim se àbstinet, linguam per silentium edomandô.

CAPUT III.

De puritate, & munditiâ cordis.

EXtirpatis igitur per paupertatem voluntariam, & per silentium multis solicitudinibus, quæ impediunt virtutum semina: ne quantumcunque in agrô cordis sæpè, & sæpius seminatâ inspiratione divinâ, valeant pullulare: jam tibi supereſt cura virtutibus illis amplius insudare, quæ te adducunt ad illam cordis munditiam, per quam interiores oculi juxta salvatoris eloquium, aperiantur in contemplatione divinâ, per quam habeas quietem, & pacem, ut

ille,

ille, cujus in pace factus est locus ejus, in te quoque habitare dignetur. Nec intelligas me loqui de munditiâ, quæ hominem purgat tantummodò à luxuriâ cogitationis immundæ; sed loquor potius de illâ munditiâ, & cordis puritate, quæ hominem elongat, quantum in hâc vitâ possibile est, à quibuscumque cogitationibus, inutilibus, ut jam non libeat homini aliquid cogitare, nisi de Deô, vel propter Deum. Ad hanc autem obtinendam cœlestem (ut ita dicam) immò divinam quodammodò puritatem (nam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eô) ista necessaria sunt: primò omninò studeas, quantumcunque potes, abnegare te ipsum juxtà salvatoris præceptum. Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. Et hoc sic intellige, ut tuam voluntatem in omnibus mortifices, & conculces, & in omnibus contradicas, benignè amplexandô aliorum voluntatem, si tamen licita sit, & honesta. Hoc tamen generaliter habeas pro quâcunque re temporali, per quam corporalibus necessitatibus deservitur, numquam sequaris voluntatem propriam, ubi alium contradicere videas, quantumcunque exorbitaret à judiciô rationis, sufferasque quodcunque incommodum pro internâ mentis tranquillitate servandâ, quæ per tales repugnantias perturbatur, dum homo suo judicio adhærendô, & suam vo-

luntatem implendô, verbis, vel cogitationibus cum aliis altercatur. Et non solùm in temporalibus; sed etiam in his, quæ spiritualia sunt, vel ad spiritualia ordinata, alterius potius, quàm tuam impleas voluntatem, dummodò sit bona, licèt tua perfecta videatur, quia majus detrimentum acquires in diminutione humilitatis, & tranquilitatis, & pacis cum aliis contendendô, quàm possit provenire profectus in quôcumque aliô virtutis exercitiô, voluntate propriâ assecutâ, alteri repugnandô: & hoc intelligas quantum ad illos, qui sunt tibi familiares, & in spirituali exercitiô socii, & qui ad perfectionis virtutem anhèlant: non de illis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & qui student aliorum dicta, & facta càrpere, & judicare plusquam sua prava corrigere. Non enim dico, quòd debeas talium judicio adhærere in his, quæ spiritualia sunt. Nam in temporalibus benè debes quorumcumque voluntatem, plusquam tuam excqui, & implere. Si autem in his, quæ secundùm Deum operari desideras, sive ad profectum tuum, vel ad Dei honorem, vel proximi utilitatem aliquos tibi obsistere videas, seù etiam totaliter impedire, sivè sint superiores, pares, vel inferiores, noli contentionibus deservire; sed te ipsum restringere, & cum Deô tuô colligens ubique dicas: Domine vim patior, responde pro me.

me. Nec de hôc contristeris, quia non possunt; id, nisi finaliter pro bonô tuô, & aliorum sit expediens. Immò plus dico tibi, quôd quantumcumque ad præsens non videas, videbis finaliter, quòd illud, in quô tibi eos impedimenta præstare credebas, erit tibi adjuvamen ad tuum propositum assequendum. Licèt autem de hortô sacræ scripturæ possem tibi ad hæc exempla producere, sicut de Joseph, & multis aliis: nolo tamen contra id facere, quod prædixi: sed experto crede: quia ita est. Si etiam in his, quæ secundùm Deum desideras, te videas quodammodò divinitus impediri, vel per infirmitatem, vel quôcumque aliô contingente: de hôc nullatenus contristeris; sed totum æquanimiter feras, & te ex totô committas illi, qui melius novit, quid tibi expediat, quàm tu ipse: qui te ad se continuò sublevat, dùmmodò te ipsum illi ex totô committas, quamvis fortè tu hoc minimè videas. Ad hoc ergo sit totum studium tuum, ut te ipsum in pace, & tranquilitate cordis possideas, & pro quôcũque eventu non doleas, nisi desolô peccatô propriô, l. alienô, seù de his, quæ te indùcerent ad peccatum. Non ergo te contristet quicumque casus fortuitus, non te exàgitet indignationis stimulus contra defectum alterius; sed habeas ad quemcumque miserationis, & compassionis affectum, cogitans semper, quòd tu

pejus faceres, nisi te Christus Jesus suâ gratiâ conservaret. Præpara insuper teipsum ad quæcumque opprobria, ad quæcumque aspera, ad quæcumque adversa pro Christi nomine sufferenda. Omnem etiam appetitum, seu cogitatum tibi suggerentem appetitum cujuscumque altitudinis, sub quôcumque charitatis prætextu in ipsô principiô, & ortu suô velut caput dracònis infernalis cauteriô mortifices cum baculô crucis, tibi Christi humilitatem, & durissimam passionem ad memoriam revocandô, qui regnum fugiens, crucem voluntariè est amplexus, omni confusione contemptâ. Omnem humanam laudem fugiens cum horrore tanquam venenum mortiferum, & in despectu tuô gaudens teipsum talem verè, & ex corde reputes, qui meritò debeas ab omnibus conculcari, & despici. Videas continuò tuos defectus, & peccata tua, & ea àggrava quancumque pòteris: aliorum verò defectus post tergum projicias, & non videas; & si vides, allevies, & excùses, & ipsis compatiaris, & àdjuves, quantumcunque pòteris. Averte oculos tuos, & mentis, & corporis ab aliorum aspectu, ut teipsum possis inspicere in lumine vultûs tui. Teipsum sine cessatione considera, & semper sine simulatione dijùdica: in omni lectione te ipsum reprehende, & in te semper materiam compunctionis studeas invenire, cogitandô,

tandò, quòd bona, quæ facis, non sunt plenè executa, nec illò fervore facta, quo deberent, & multis negligentiis inquinata: ut meritò omnis tua justitia panno menstruatæ debeat cõparari. Te igitur ipsum continuò reprehendas, nec permittas in te sine forti increpatione transire, nõ solùm negligentias verborum, & operum; sed etiam de ipsis cogitationibus, non dico malis tantùmmodò; sed etiam inutilibus in conspectu Dei tui omni horâ graviter reprehendas te, & te reputes magis vilem, & miserabilem pro tuis defectibus coram Deò, quàm quoscumque peccatores pro quibuscumque peccatis: & meritò puniendum, & à cœlestibus gaudis excludendum, si secundùm justitiam suam, & non secundùm misericordiam suam vellet tecum agere Deus tuus: qui tantas gratias super multos alios tibi prærogavit, ad quas omnes ingratus extitisti. Considera etiam diligenter, & cum pavore frequentissimè rùmina, quòd omnem aptitudinem ad bonum, & omnem gratiam, seù quamcumque solicitudinem ad virtutis acquisitionem à te ipsò non habeas; sed Christus suâ misericordiâ dedit tibi, quòd si voluisset, potuisset ita conferre cuicumque sceleslo, te in lutò fæcis, & lacu miseriæ derelictò. Cogita etiam teipsum, & ad hoc te credendum inducas: & hoc tibi ipsi persuadeas, quantum potes, quòd non est sceleslus,

vel

vel quicunque peccator, qui non magis assistere Deo suo, quàm tu: & qui non magis recognosceret Dei beneficia, quàm tu, si recepisset gratias, quas tu solâ Dei gratuitâ bonitate, & non propriis meritis recepisti: propter quod sine fallaciâ potes teipsum viliorem, & inferiorem omni homine judicare, & meritò formidare, ne propter ingratitudinem tuam à suô conspectu te Christus foras abjiciat. Non tamen dico, quòd per ista debeas credere te esse extra gratiam Dei, vel esse in peccatò mortali, quamvis alii peccatores habeant innumerabilia peccata mortalia: quod tamen est nobis multum occultum propter fallax judicium: tum propter subitam contritionem, & divinæ gratiæ prævíam infusionem. Dum autem te ipsum vilificandô, aliis peccatoribus còmparas, non èxpedit tibi in speciali ad eorum peccata descendere; sed solùm in quodam generali cum eorum peccatis tuam ingratitudinem ponderandô, quia etiam si in speciali velis eorum peccata videre, potes èadem peccata in te quâdam similitudine transformare, sic te in tuâ conscientiâ increpandô: Ecce ille est homicida, & ego miser quoties occidi animam meam? Ille fornicator, & adulter est: & ego totâ die forpicor, & adùlteror à Deô meô oculos avertendô, & diabolicis suggestionibus me suponendô: & sic de aliis. Si autem videris, quòd diabolus

bolus te velit in talibus responsionibus quodammodò per talia ad desperationem inducere, tunc omissis talibus increpationibus in spem assurgas: consideratâ bonitate, & clementiâ Dei tui, qui tot te beneficiis jam prævenit. Nec dubium, quin opus suum in te velit perficere, quod incepit. Communiter tamen de homine spirituali, qui aliqualem Dei notitiam jam percèpit, de hâc desperatione timere non èxpedit: dum totô studiô ad se increpandum invigilat. Illi tamen posset accidere, immò sæpè accidit in homine incipiente, & specialiter quem Deus liberavit à multis periculis, sceleribusque, quibus fuerat involùtus. Et his, quæ supra jam perstrinxi, generabitur in te virtus illa, quæ est mater, & origo, custosque virtutum, scilicèt humilitas, quæ interiores oculos àperit ad Dei conspectum, cor humanum ab omni superfluâ cogitatione purgandô. Nam, dum homo in suam rèsilit pravitatem, seipsum vilificandô, se increpandô, se detestandô, suam nihilitatem considerandô, sibi ipsi intensissimè displicendô, & hæc similia cogitandô, & talem se verè existimandô: in tantum circa propria negotia occupatur, quòd omnis alia inùtilis cogitatio arescit. Et sic, dum anima omnia audita, visa, & temporaliter operata à se repellit, & in oblivionem adducit, incipit ad seipsam redire, & modô mirabili in seipsam con-

convolvi, & sic ad originalem justitiam, & cœlestem puritatem appropinquare incipit. Sic, dum in seipsâ reflectitur, contemplationis oculus dilatatur: & in se scalam erigit, per quàm transeat ad contemplandum Angelicum spiritum, & divinum. Et ex tali contemplatione animus exardescit ad bona cœlestia, & omnia temporalia à longe conspicit tamquam nihil. Per hoc illi perfecta charitas incipit in mente fervescere, quæ velut ignis consumit omnem rubiginem interioris hominis. Quod si sic totam animam occupat charitas, non est quòd intret vanitas. Jam quidquid cogitat, quidquid lòquitur, vel operatur, totum prôvenit ex dictamine charitatis. Unde securè potest aliis prædicare sine detrimentô, sine inanis gloriæ periculô. Neque enim, ut jam dixi, potest aliqua vanitas subintrare, ubi charitas totum occupavit. Numquid jam respectum habebit amplius ad aliquod commodum temporale, qui omnia rèputat velut stercus? Sed, & ipse laudis appetitus numquid animum ejus pòterit subintrare, cùm se videat velut stercus vilissimũ corãDeô miserum, abominabilem, & ad omnia peccata proclivem, nisi eum suâ benignitate manus conditoris continuò conservaret? Quomodò jam extolli pòterit de quôcumque bonô opere, qui luce clarius videt se nihil posse penitus agere, nisi continuò de horâ in horam divina virtus quodam-

dàmmodò cogat eum, atque conſtringat? Quomodo jam ſibi aliquid attribuet, ac ſi à ſe ipsô proveniat, qui non dicam centies; ſed etiam millies eſt expertus ſuam impoſsibilitatem in quibuſcumque bonis operibus magnis, & parvis, & qui toties cognovit ſe non poſſe, dum voluit: & quando, ut ita dicam, non voluit, nec curavit, nec ſuper talibus cogitabat, vidit ſubitò ſe divinitus excitatum fervore mirabili ad illa facienda, quæ prius cum omni conatu ſuô implere non pòterat? Nam, & talem impoſsibilitatem idcircò Deus tam longô tempore dominari permittit in homine: ut homo diſcat humiliari, & ut numquam in ſeipsô inaniter glorietur; ſed Deo attribuat omne bonum, non ſolùm in conſuetudine quâdam; ſed potius ex intimis cordis ſui: utpote qui, & propriâ experientiâ doctus, luce clarius videt, quòd non ſolùm non poſsit operari; ſed nec Jeſus dicere, niſi in Spiritu ſanctô, & niſi ille donaret qui dicit: ſine me nihil poteſtis facere, ut jam regratiandô ex totis animæ ſuæ viribus Domino confitèatur, & dicat: omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine: ac cum pſalmiſtâ clamet: non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. Non igitur tali timenda eſt vana gloria, quando jam Dei vera gloria, & animarum zelus ejus præcordia totaliter occupant. Ecce jam ſummariè

riè perſtrinxi, & in quôdam brevi loquiô poſui ea, quæ ſunt neceſſaria homini in ſe ipsô quantum ad vitæ ſuæ perfectionem, ſi utiliter, & ſine periculô vult animæ ſuæ procurare ſalùtem. Et hæc quidem ſufficerent homini illuſtrato, & altum intellectum habenti, & qui in operibus ſpiritualibus longum habuiſſet exercitium: quia in his, quæ poſui, breviter tanquam quibuſdam vitæ perfectæ principiis, recolligere poſſet quæcunque alia perfectorum actuum exercitia. Nam his tribus primis perfectè ſervatis, ſcilicèt voluntariâ paupertate, taciturnitate, & internâ mentis exercitatione, de quibuſcunque aliis exterioribus actibus, quomodò eſſent faciendi, homo judicaret. Quia tamen non omnes poſſunt capere faciliter breviter dicta, paulò diutius inſiſtemus circa particulares actus virtutum.

CAPUT IV.

Quòd per inſtructorem idoneum citius, & facilius per venìtur ad perfectionem quàm per ſeipſum.

SCiendum igitur, quòd homo faciliùs, & in breviori tempore poſſet ad perfectionem pertingere, ſi haberet inſtructorem, cujus regimine duceretur, cujus obedientiam in omnibus actibus parvis, & magnis totaliter ſequeretur,

quàm

quàm aliquis posset per se ipsum proficere, quantumcunque vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Immò plus dico, quòd numquam Christus suam gratiam ministrabit, sine quô nihil possumus, si homo habet à quô possit instrui, & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, & per se posse investigare, & invenire, quæ sunt utilia ad salutem. Ista enim via obedientiæ est via regia, quæ homines inoffensô pede ducit ad summitatem scalę, cui Dominus apparet innixus. Hanc viam tenuère omnes sancti Patres in eremô, & breviter omnes, qui ad perfectionem attigerunt, per hanc semitam processerunt: nisi fortè Deus aliquos per seipsum instruxerit ex privilegiô gratię singularis, deficientibus eis, & non inventis, qui eos instruerent, quia tunc pietas divina per se supplet, quod exterius minimè reperitur: si tamen corde humili, & ferventi ad Deum accedunt. Et quidem istô tempore (heu nobis miseris!) quasi nullus reperitur, qui alios de perfectione vitę instruat: cùm potius, si homo velit tendere ad Deum, inveniat retrahentes multos, & quasi neminem adjuvantem. Quamobrem expedit, ut homo ad Deum totô corde recurrat, & ab eô instrui cùm omni orationum instantiâ, & cordis humilitate deposcat: & se in

Deum

Deum projiciat, se ipsi totaliter committendô: ut ipsum benignus tanquam òrphanum sine patre recipiat, qui neminem vult perire; sed vult ad cognitionem veritatis quoscunque venire. Igitur ad te dirigo sermonem meum qui, magno cordis affectu Deum desideras invenire, qui ad perfectionem anhèlas, ut animabus aliorum utilis esse valeas. Ad te ergo nunc dirigo sermonem meum qui corde simplici, & non duplici accedis ad Deum, qui quæris virtutum intima penetrare, qui per viam humilitatis pervenire desideras ad gloriam majestatis.

CAPUT V.

De obedientiâ servandâ.

DUobus igitur jam præmissis, scilicèt paupertate, & taciturnitate, tanquam fundamentis primariis, Christi athleta se accingat, ut obdientię regulam, & sèmitam in omnibus, & per omnia teneat, quamtum pòterit inconcusè, secundùm regulam, constitutiones, rubrìcas ordinarii, & aliorũ librorũ, omni loco, & tempore intus, & extra in refectorio, dormitorio, in choro inclinationes, & prostrationes faciendo, surgendò, & stando, & omnes majorum ordinationes ad unguem teneat, quantum potest, sem-

per

per cogitans verbum Christi, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Deinde ad coaptandum corpus suum totaliter in obsequiô Christi Jesu coerceat, ut omnes actus, & motus corporis sint omni morum honestate compositi secundùm regularem disciplinam. Neque enim poteris unquam animam ab inordinatis cohibere, nisi prius estudùeris corpus tuum subiicere disciplinę ipsum restringendô, non solùm ab omni actu; sed etiam ab omni motu incongruô, & inneptô.

CAPUT VI.

De modô regulandi corpus.

IGitur regulationem corporis intendendô, primô contra gulam insiltas. Nisi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquisitione aliarum virtutum. Istum autem modum observes: Primò, ut nihil tibi in speciali procures; sed cibarijs, quæ fratribus communiter apponuntur, sis contentus. Sæcularibus volentibus tibi encœnia mittere, nullatenus acquiescas pro tuâ personâ: si tamen volunt conventui mittere, mittant. Invitationes fratrum extra refectorium nullô modô recipias; sed continô refectorium teneas; omnia jejunia ordinis obser-

vando. Et hoc intellige, quandiu Christus te in sanitate conservabit. Nam si infirmus fueris, juxta infirmitatis necessitatem te tractari permittas nihil tibi penitus procurando; sed omnia cùm gratiarum actione recipias, quę tibi fuerint ministrata. Ut autem non excedas in sumptione cibi, & potûs, debes naturam tuam diligentissimè examinare, quanto cibo, & potu valeas sustentari: ut scias judicare inter superfluum, & necessitatem. Hoc autem habeas pro regulâ generali, ut saltem de pane còmedas sufficienter, quantum natura requirit, specialiter dum jejunas. Nec unquam credas diabolo suadenti tibi facere abstinentiam de pane. Et in hoc pòteris experiri, quantum natura requirit, vel quid sit illi superfluum: si tempore binæ refectionis post nonam invèneris te gravatum, & in stomacho sentias quendam ardorem, ut orare, scribere, vel legere neques: communiter hoc accidit propter excessus: si idem sentias post matutinas, quando cœnasti: si etiam quando jejunas post completorium idem gravamen ad esse percipias. Igitur còmede satis de pane, sic tamen, ut post comestionem sis paratus legere, scribere, vel orare: si tamen illâ horâ non esses ita aptus, sicut aliis horis, cùm tamen non sentires gravamen aliud, ut prędixi, non esset crimen excessus. Cogita igitur tuæ naturę sufficientiam modo predicto, vel aliter,

aliter ; prout te docebit altissimus, à quo debes simpliciter postulare. Sis sollicitus valde illum modum continuè observare ; & semper in mensâ, quidquid còmedis æstimare, & quando per negligentiam excèsseris, non sinas absque pœnitentiâ dignâ pertransire.

CAPUT VII.

De modò bibendi.

DE potu verò nescio tibi regulam ponere, nisi quòd paulatim te restringas de die in diem minus bibendo : ita tamen, quòd non sitias nimis die ; & nocte. Specialiter autem cùm potagium còmedis ; potes facilius transire cùm potu temporato : ita tamen ; quòd sufficiat ad cibi digestionem. Nolo tamen bibas extra comestionis horam ; nisi vesperi quando jejunas ; & tunc valde temperatè : vel nisi propter laborem itineris ; vel quancunque aliam lassitudinem. Bibas autem vinum ita limphatum ; quòd vini fortitudo deficiat. Et si esset forte, apponas aquæ medietatem, vel plus. Et sic magis ; vel minus secundùm quòd Dominus inspiràverit.

CAPUT VIII.

De modò standi in mensâ quó ad utrumque hominem.

PUlsato itaque cymbalo ; cum omni maturitate lotis manibus in claustro sedendo, no-

là pulsatâ, refectorium introibis : & non parces tibi, cùm omni fortitudine tuâ, cùm vocis, & corporis modestiâ Dominum benedicens, & juxta ordinem tuum te colocabis in mensâ, cogitans apud te corde pavido, quòd debeas peccata populi manducare : cor tuum etiam præparabis ad intelligentiam lectionis, quæ legitur in mensâ, vel, si lectionem non habeas, ad meditationem aliquam spiritualem, ut nequaquam totus comedas; sed corpore suam refectionem habente, anima nullatenus defraudetur. Positus autem ad mensam, vestimenta decenter coaptes, cappam super genua retorquendo. Statue autem pactum tecum omninò, ut nullo modo circumspicias comedentes; sed solùm tibi apposita videbis. In principio cùm sederis, ne extendas subitò manus ad incidendum panem; sed stes aliquandiu super : usquequo saltem dicas Pater noster, & Ave Maria, pro animabus defunctorum, qui in purgatorio existunt magis indigentium. Hoc autem generaliter habeas, quòd omnem actum, & omnem corporis motum cùm quâdam modestiâ facias. Si panem diversum, durum, mollem, album, aut aliter factum ante habeas, illum cò-medas, qui est vicinior, & libentius còmedas illũ, ad quem minus sensualitas inclinatur. Nunquam in mensâ aliquid petas; sed permitte alium pro te postulare. Quòd si non faceret, patientiam habe.

habe. Non teneas cubitum super mensam ; sed simpliciter manus. Non teneas crura divaricata, nec pedem alteri supponas. Non recipias scutellas dùplices , vel aliud quodcunque, nisi tantùm quantùm communiter omnes alii habent. Quamcunque pitantiam à quocunque missam , etiam priori , non còmedas ; sed , ut potes competenter in fragmentis abscondas, vel in scultellâ. Ubi nota , quòd mos Deo gratus est aliquid de potagio Christo pauperi semper in scultellâ dimittere , similiter aliqua panis fragmenta non crudas, immò illas còmedas, & de pane confracto Christo dimittas. Nec nimis cures si de hoc aliqui mùrmurent , dummodò prælatus tibi non mandàverit oppositum. Et generaliter de omni eò, quod còmedis , aliquam particulam Christo pauperi dimittas , & bolos meliores , & non viliores. Sunt tamen aliqui, qui vilia tantum donant Christo, sicut porcis fieri consuevit. Si tamen cùm uno pulmento sufficienter potes comèdere de pane, in secundo pulmento aliquid de pane repònas, & Christo dimittas. Et si tibi Dominus donaverit, potes facere quasdam mirabiles abstinentias, Deo gratas , & hominibus incognitas. Si est tibi cibus insipidus ex defectu salis , vel alia quâcunque causâ, noli appòncre tibi sal, nec aliud condimentum propter Christum felle, & aceto potatum ; sed sensualitati resistas : similiter quæcun-

que salsamenta, quę ad nihilum valent, nisi ad gulæ excitamentum, dimittere occultè potes. Quandocunque aliquis bolus gratus tibi circa finem apponitur, istum dimitte propter Deum. Similiter caseum, fructus, & hujuscemodi, sicut nectar, vinum melius apportatum, & cętera, quę non sunt necessitatis pro salute corporis humani, immò frequenter est noxium, dum prodest, quod delectat. Si dimiseris propter Christum hæc, non dubito, quin tibi parabit in dulcedine Christus Dominus cibum consolationis spiritualis, etiam in alio cibo, quo contentus es propter Christum. Et, ut melius, & facilius possis à quibuscunque volùeris abstinere, ponas in corde tuo, quando vadis ad mensam, quòd pro peccatis tuis debes in pane, & aquâ abstinere. Unde panis sit solus cibus, & pulmentum pro cibo non adjicias; sed ut possis panem convenientiùs deglutire. Tene, quod si hoc posueris in corde tuo, quòd videbitur tibi magna pitantia, habere aliquid de pulmento. Et observes, quòd non ponas offas multas in paròpside; sed sufficiat tibi panem intingere: Quando verò pulmentum non habùeris, comedas panem, vel dimidium, vel paulò plus. Quando bis comesturus es, naturæ satisfacias etiam si talia non haberes. De multi talibus actibus, quos tibi exprimere non possum, te instruet Christus, si ad ipsum ex corde

recur-

recurreris, & totam ſpem in ipſo poſueris. Quis enim exprimere valet modos innumeros, quos tibi Deus demonſtrabit? Sis etiam attentus, nec ſis de illis, qui finem non faciunt in edendo: Immò quàm citiſsimè poteris, te expedias, ſervatâ debitâ honeſtate, ut magis lectioni poſsis attendere. Dum à menſâ ſurgis, ex toto corde regratièris Altiſsimo; qui tibi contulit bona ſua, & qui tibi virtutem aliquam præſtitit, ne tibi ſenſualitas prævalèret. Non parças voci tuæ; ſed ſecundùm poſsibilitatem tuam gratias age bonorum omnium largitori. O chariſsime, cogita quàm innumerabiles ſunt pauperes, qui ad delicias maximas reputaſſent, ſi habuiſſent tantummodò panem, quem tibi cùm aliis cibariis Dominus miniſtravit. Ita enim veraciter debes cogitare, quòd Chriſtus eſt, qui tibi dedit, immò plus quòd in menſâ ipſe tibi ſervivit. Vide ergo cùm quantâ diſciplinâ, cùm quanta reverentiâ, maturitate, & tremore debes in menſâ conſiſtere, ubi vides præſentialiter Deum tuum in propriâ perſonâ miniſtrare? O quàm beatus eſſes, ſi tibi deſuper daretur mentalibus oculis iſta conſpicere. Videres enim ſanctorum multitudinem copioſam cùm Chriſto per totum refectorium diſcurrere.

*** *** *** ***

CA-

CAPUT IX.

De modô perſeverãdi in ſobrietate, & abſtinentiâ.

VT autem in tali modô ſobrietatis, & abſtinentiæ jugiter, perſeveres, ſta in timore, & à Deo totaliter recognoſce, & ab ipsô perſeverantiam pete. Et ſi non vis corrùere, noli alios judicare, nec contra eos indignationis ſpiritu movearis, ſi eos vides in edendô debitum ordinem non ſervare; ſed eis compatiaris corde, & pro eis ora, & eos in corde tuô quantum potes excuſa, cogitando; quòd tu non potes aliquid nec ipſi poſſunt: niſi quantum Chriſtus porrigit manum ſuam, qui non pro meritis tribuit; ſed pro ſuę beneplacito voluntatis. Si hæc cogitaveris, firmus eris. Nam quæ eſt cauſa, quòd multi quandoque incipiunt multa facere in abſtinentia, & in aliis, qui non perſeverant, corpore torpente, & ſpiritu frigeſcente? Certe nulla alia niſi propter eorum elationem, & præſumptionem, dum de ſe præſumentes aliis indignãtur, eos in cordibus ſuis judicandô. Et ideo Deus ſubtrahit ab eis donum ſuum, &, vel ſpiritu frigeſcunt, vel ex indiſcretionis vitiô plus facientes, quàm oporteret, in infirmitatem incurrunt, & ſic tandem dum ad reſtaurationem corporis intendunt, in hoc quoque metas excedunt, efficiunturque

guloſi

guloſi pluſquam alii quos primitus judicabant, ſicut ego de quibuſdam cognovi. Nam iſtud communiter accidit, quòd quicunque alium in aliquò judicat, Deus tandem permittit in illum defectum cadere, vel majorem. Ergo ſervias in timore. Et quandocũque te ſentis in exaltatione ob memoriam beneficiorum, quæ tibi donat altiſſimus, aprehende diſciplinam increpationis, & propriæ reprehenſionis, ne quando iraſcatur tibi dominus, & pereas de viâ juſtâ; ſi ſic feceris, ſtabilis permanebis. Ecce indicavi tibi modum Altiſſimo gratum, contra gulæ dominium, ad quem pauci pertingunt, qui non excedant, vel plus, vel minus edendô, vel debitas circunſtantias non ſervandô.

CAPUT X.

De modô habendô in ſomno, & vigiliâ.

POſt hoc nitariscirca ſomnum, & vigilias modum debitum cuſtodire, in quô valde difficile eſt habere menſuram. Ubi nota, quòd ſunt, in quibus ſpecialiter imminet periculum corpori, & per conſequens animæ, ſi diſcretionis limites excedant, ſcilicèt in nimiâ abſtinentiâ, & in vigiliâ inordinatâ. Nam in aliis virtutum exercitiis, non ſic eſt periculum in exceſſu. Et propter

hoc

hoc diabolus habet istam astutiam finaliter, quòd si videt hominem spiritu ferventem, immitti illi suggestiones, ut faciat abstinentias, & vigilias magnas, & per hoc inducat eum in tantam corporis debilitatem, quòd infirmetur, & debilitetur, & quod ulteriùs ad nihil valeat, immò, ut supra dixi, ut plus postea, còmedat & dormiat, quã alii, Et talis numquã audet assumere exercitiũ in vigiliis, & abstinentiis, recognoscens se per talia infirmitatem incurrisse, sibi diabolo suggerente, & dicente, non facias talia, nescis, quòd ob talia fuisti infirmus? cùm tamen non fuerit per vigilias, & abstinentiam infirmatus; sed quia in his discretionis tramitem non servavit: Unde homo simplex non intelligit sophismata diaboli ca, quibus ex utrâque parte decipitur: unde sub colore boni ipsi dicit: Tu fecisti tot peccata, quando pòteris satisfacere? Vel, si non fecit peccata enormia, dicit ei: O quanta passi sunt martyres, & eremitæ! Et credit simplex homo, quòd, cùm talia habeant speciem boni, non possint esse nisi à Deô, & Deô permittente. Hoc fit maximè quando talis primò cùm magnà humilitate, & tremore, & cum instantiâ orationum non recurrit ad Deum, qui eum illuminaret, & dirigeret, quando non reperiret hominem directorem. Homo enim, qui sub obedientiâ sanctâ consistit, & continuæ regulâ directionis dirigitur,

tur, & instruitur, à talibus deceptionibus tutus est, etiam si ipse Pater spiritualis aliquando aliqualiter erraret. Deus enim propter humilitatem obedientiæ totum sibi disponit ad bonum, sicut probari posset multis authoritatibus, & exemplis. Itaque circa somnum, & vigilias, talis modus pòterit observari. Ut scilicèt tempore estivô post prandium postquam campana pro silentio est pulsata, quieti membra componas. Etenim illud tempus ad spiritualia exercitia minus aptum est, & per hoc in nocte amplius pòteris vigilare. Hoc tamen generaliter debes observare quotiescumque vis dormire, ut semper, vel psalmos rùmines, vel spirituale aliquid meditèris, quod etiam somnum intercipiat, & quandoque tibi in imaginatione præsentetur. In serô hoc communiter habeas, ut non multum vigiles. Nam per vigiliam seròtinam impeditur attentio, & devotio in matutinali officiô. Est enim communiter talis somnolentus, gravis, & indevotus quando nimis vigilat in serô, immò aliquando ex totô à matutinali officiô cogetur remanere. Igitur statue tibi aliquas breves orationes, vel aliquam lectionem, vel meditationem, quibus in serô antequam dormias breviter occupèris. Et inter illas meditationes si in hôc fertur tua devotio, potest tua mens ferri ad ea, quæ in passione Domini illâ horâ contigerunt, & similiter

militer faciendô in omnibus aliis horis, juxta modum, quem habes à S. Bernardô traditum vel prout tibi Dominus inspiraverit. Non enim est omnium devotio uniformis; sed alius plus aliô excitatur. Aliis enim sufficit in suâ simplicitate in foraminibus habitare. Nullus tamem quantumcumque pollens ingeniô, debet omittere ea, quæ possunt eum ad devotionem excitare, immò quæ legit, vel studet, debet ad Christum reflectere cum ipso loquendô, & ab ipso intelligentiam postulandô. Sæpè dum actu studet, à libro debet ad horam oculos avertere, & oculis clausis se in Christi plagis abscòndere, & iteratò se ad librum convertere. Etiam quando debet à studiô surgere, debet in cœlum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum brevitate ad Deum fùndere, vel etiam quando vult cellam ègredi, & Ecclesiam, clàustrum, vel capitulum circumire, secundùm quod impetus spiritûs confert, & aliquando oratione formatâ, vel informi, per gemitus, & suspiria de ebullitione cordis divinum auxilium implorandô, vota sua, & desideria Altissimo præsentando, sanctorum ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoque àgitur sine psalmis, & sine quibuscunque orationibus extèrius formatis verbô, quamvis hoc aliquando initium sùmpserit, vel ex aliquô versu psalmi, vel alterius scripturæ, si-

ve

ve alicujus sancti, nobis interdum Deo inspirante interius propriô desideriô, vel cogitatu adinventum. Cùm autem ille fervor spiritûs transierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam revocare, quæ paulò ante studueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus: quô factô, iteratò ad studium redeas, vel ad lectionem, & iteratò ad orationem; & sic alternando commûtes. Nam per hujuscemodi commutationem, in oratione majorem reperies devotionem, & in studio intelligentiam clariorem. Iste autem fervor devotionis post studium lectionis, licèt quâcunque horâ indifferenter veniat secundùm quod ille dignatur immittere, qui suaviter disponit omnia, prout vult; tamen communiter post matutinas amplius evenire consuevit. Et ideo in serô parum vigiles, ut totum spiritum post matutinas in studio, & oratione valeas occupare. Igitur in nocte, dum audis horologium, vel quodcunque signum, statim excussâ omni pigritiâ à stratô discedas, ac si ibi esset ignis accensus, & flexis genibus cùm fervore aliquam orationem effundas, saltem Ave Maria, vel aliud in quô animus tuus magis inflamatur. Ubi nota, quòd ad hoc, ut faciliter, & sine molestiâ, immò cum quâdam alacritate surgas, multum facit si supra stratum durùm dormias, & jaceas indùtus. Hoc debet habere generaliter servus Dei, ut omnem mollitiem,

litiem, & complacentiam fugiat, ita tamen, quòd discretionis limites non excedat. Habeas igitur de paleis, quæ, quantò amplius expressione duriores extiterint, tantò gratiores debes habere, & super ipsas sufficiat tibi fasciatam, seù coopertorium habere, pro tegumentò autem contra frigus unam, vel duas pro temporis diversitate, secundùm quòd tua necessitas postulabit. Ad caput autem sacculum plenum paleis habeas, & fugias molliciem pulvinaris, & similiter omnes mollicies alias assuetas, sicut de sudariis sub maxillâ, vel ad collum, seù ad zonam, nisi fortè de nocte in æstivò tempore propter sudorem. Nam talibus natura non indiget; sed sunt quædam malæ consuetudines introductæ. Dormias etiam indùtus, sicut de die, nisi quòd sotulares debes extrâhere, & corrigiam relaxare. Potes tamen tempore æstivò magni æstùs, cappam detrâhere, & cùm solo scapulari quiescere. Si per istum modum dormias, non erit tibi molestum surgere, immò citò, & cùm alacritate consurges. Dum igitur officium de beatâ Virgine dicitur, stans in ostiò cellæ tuæ non appodiatus; sed super pedes tuos cum omni attentione, competenti voce, distinctè, & alacriter dicas officium virginis gloriosæ. Et te sic habeas quasi eam cerneres corporalibus oculis coram te. Officiò virginis terminatò, & completâ corporis necessitate

sitete ad Ecclesiam vadas, vel ad claustrum prout majorem devotionem invenies. Ubi nota, quòd servus Dei eundò, & redeundò ad cellam, vel in quòcunque aliò locò non debet esse ociosus corde; sed, vel psalmos, vel aliquid spirituale ruminare. Potes tamen ante inchoationem officii chorum intrare, & aliquid speciale præmeditari, ut devotius, & attentius cùm aliis psalmos valeas decantàre. Pulsatis igitur matutinis, & factis veniis, vel inclinationibus, psallendò sta super pedes tuos non appodiatus; sed corde, & corpore sta viriliter coram Deo tuo, & ipsius laudes cùm omni alacritate decanta, recògitans quòd sine dubiò sancti Angeli sunt præsentes, in quorum conspectu psaliens Deo, eos debes continuè revereri: ut pote qui faciem Dei patris omnipotentis, qui omnium creaturarum est creator, in cœlis vident, quàm tu nondum nisi per speculum in ænigmate contemplaris. Nunquam parcas voci quantum potes, discretione regente, non obmittas jota unum tam de psalmis, versibus, dictionibus, & syllabis, quàm de voce. Et si non potes æquali voce cùm aliis, tamen cùm voce submissà. Et si potes, psalmos, & hymnos cantes in librò, dum intellectum habes in psalmis, & cæteris orationibus ut consolationem spiritus reportes. Tunc oportet te esse solicitum, ne in actu exteriori, scilicèt in gestu corporis,

poris, & sonô vocis specialiter aliquid appareat levitatis; sed tunc spiritualiter oportet te conservare mentem, & debitam gravitatem. Nam spiritualis lætitia in quandam convertitur levitatem, nisi frænô discretionis actus comprimatur extrinsecus: conâtu tuô facias, ut psallas spiritu, & mente. Nam magnus labor est homini, præcipuè incipienti, nondum in Deô roborato, tempore psalmodiæ mentem ab evagatione constringere. Semper in chorô teneas locum tuum, & communiter te ponas in unô locô, nisi fortè alius veniret, cui meritò cedere oportet. Si in chorô prævideris aliquem defectum, per te, vel per alium studeas implere. Unde nota, quòd Deus gratum haberet, si pridie prævideres rubricas, & omnia dicenda in chorô, & paratus esses ad omnes defectus, & negligentias aliorum supplendas. Sed caveas, quòd dum in chorô est aliqua controversia eorum, quæ sint dicenda, vel cantanda, ne tu os tuum aperias, etiam si certus esses de eô, quod dicendum esset. Sed multi quandoque pro unô modicô multum litigant. Minus malum esset errare, quàm litigare. Si autem unicô verbô posses errorem chori corrigere, tunc facere debes specialiter si tu es de provectioribus in chorô. Si autem tu vides spiritu impatientiæ agitari, melius est, quòd tu studeas motum animi tui subjugare. Si autem aliquis malè legit, vel can-

cantat, vel quôcunque modô ineptè se habet, non submùrmures, vèl còrrigas. Est enim species cujusdam jactantiæ talis correctio. Idem in lectione quantumcunque quis malè, & ineptè legat, nec etiam aliquod signum faciat, quia hoc est signum mentis ventô elationis inflatæ. Quando multi subitò currunt ad aliquem defectum supplendum, non te ingeras. Si autem nullus esset supplens tunc cum omni modestiâ ad supplendum occurras; sed si potes, taliter defectum anticipes, ne valeat deprehendi. Cave tamen ne duas lectiones immediatè legas, vel duo responsoria, nisi tantus esset defectus, & maximè ubi est multitudo fratrum. Item non de facili te ingeras, si juvenis es, ad dicenda ea, quæ pertinent ad antiquos. Non circùnferas oculos hinc inde, nec aliquem videas, quid faciat, quomodo se habeat; sed oculis in terram demissis, vel sursum erectis, vel clausis, vel ad librum stes. Semper quando dicitur divinũ officiũ, dum stas, vel sedes, non teneas manus sub mentô; sed sub cappâ, vel scapulari, ubi còndecens est semper cappam habere. Non teneas unum pedem super alium, vel tibias divaricatas; sed cum omni modestiâ: ut, qui es in præsentiâ Dei rui. Caveas ne digitos teneas in naribus: sunt enim aliqui, qui in hôc, & talibus miserijs, non sine diaboli stimulatione occupantur, divertentes

à divinô officiô, & indevotionem non modicam ostendentes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non possunt èxprimi; sed, si humilitatem habueris, & integram charitatem, de omnibus unctio te docebit. Tu, qui legis, attende, quia cum hîc ponantur multi actus, qui ad omnem circunstantiam variantur, non propter hoc ista improbes, si aliquando aliter fieri oporteret, sicut de loquendô in chorô, cum error appareat quia ad antiquum benè pertinet emendare. Generaliter tamen verum est, quòd servum Dei litigare non decet: minus malum est patienter tolerare errorem, quàm contentionibus deservire: quantò magis in chorô ubi tales contentiones scandalosæ, attentionis, ac tranquilitatis mentis sunt conturbativæ? Similiter, cùm dico, quòd semper legat, vel cantet in chorô. Quandoque enim posset oriri talis in mente devotio, quæ ex cantu impediretur, quòd melius esset apud se dicere officium, præcipuè ubi alii essent, qui sufficerent ad cantandum, & sic de multis aliis: prout melius docebit Altissimus, si contemptis omnibus ei corde simplici volueris adhærere. Non enim debet sibi quisque faciliter credere, ut oppositum faciat, nisi longô virtutum exercitiô discretionis spiritum sit adeptus.

***

CAPUT XI.

De modô prædicandi.

IN prædicationibus, & exhortationibus ùtere eloquiô simplici, & confabulatione domesticâ ad declarationem actuum particularium. Et quantum potes, insiste cum exemplis, ut quilibet peccator habens illud peccatum videatur percuti, ac si illi soli prædicares, taliter tamen, quòd verba videantur ab animô procedere, non superbô, vel indignantis; sed magis ex visceribus charitatis, & pietatis paternæ, sicut pater còndolet peccantibus filiis, vel infirmitate gravi, vel fovêâ grandi jacentibus: quos nititur extrahere, & liberare, & fovere sicut mater, & sicut qui gaudet de profectu eorum, de gloriâ paradisi speratâ. Talis enim modus consuevit esse proficuus audientibus. Nam de virtutibus, & vitiis locutio generalis parum excitat audientes. Item in confessionibus, ut, sive blandè tractes pusillanimes, sive terreas induratos, sèper viscera charitatis ostendas: ut sèper peccator sètiat, quòd verba tua ex purâ charitate descendant. Et ideò charitativa verba, & dulcia semper pungitiva præcedat. Tu, itaque, qui desideras proximorum animabus esse utilis, ad Deum ex totô corde recurre, & ab eô simpliciter postula, ut, tibi illam charitatem largiri dignetur, in quâ est summa virtutum, per quàm possis perficère, quod optas.

CAPUT XII.

Remedia contra tentationes aliquas ſpirituales.

AD honorem Jeſu dicam tibi remedia contra aliquas tentationes ſpirituales, quæ in iſtô tempore abundant in terrâ, ad purgandum, & probandum electos. Quæ quamvis expreſsè, & manifeſtè non ſint de aliquô principali articulô fidei, tamen qui benè reſpicit, cognoſcit, quòd ſunt in periculô deſtructionis principalium articulorum fidei, & quòd præparent cathedram, & ſedem antichriſto. Quas tentationes nolo exprimere: non enim ponam materiam, & occaſionem ſcandali, ſeù offendiculum, & imperfectionem; ſed monſtrabo tibi per quam ſpiritualem diſcretionem debes te regere, ſi non vis eſſe victus à prædictis tentationibus. Et quia prædictæ tentationes veniunt, duobus modis, primò quidem per ſuggeſtionem, & illuſionem diaboli, qui decipit hominem in regimine, quod deberet habere erga Deum, & in hôc, quod eſt Dei: ſecundò per corruptam doctrinam aliquorum, & eorum modum vivendi, qui jam venerunt in prædictas tentationes. Propter hoc volo tibi dicere, quod regimen debes habere erga Deum, & illud quod eſt Dei, ſi vis eſſe immunis à prædictis tentationibus: Et poſt quomodo debes regi erga alios quan-

quantum ad doctrinam , & modum vivendi eorum. Primum ergo remedium contra tentationes ſpirituales hujus temporis,quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, eſt quod illi, qui volunt ſe ſubdere Deo,nõ deſiderent per orationem, vel contemplationem , vel per alia opera perfectionis,viſiones,vel revelationes, vel ſentimenta, quæ ſunt ſupra naturam,& ſupra omnem curſum eorum, qui diligunt Deum, & timent per veriſſimum amorem: quia prædictum deſiderium non poteſt eſſe ſine radice , & fundamentõ ſuperbiæ, & præſumptionis , vel intentationis alicujus vanæ curioſitatis circa Deum, vel ſine fragilitate fidei. Et per hunc defectum juſtitia Dei dimittit animam, quæ habet ante dictum deſiderium , & permittit eam venire in talem illuſionem, & tentationem diaboli per falſas viſiones,& revelationes, & falſas ſeductiones , per quem modum sèminat majorem partem tentationum ſpiritualium hujus temporis, & radicat eas in cordibus illorum,qui ſunt nuntij antichriſti, ſecundùm quòd poteris videre per ſubſequentia. Debes enim ſcire, quòd veræ revelationes, & ſentimenta ſpiritualia ſecretorum Dei , non veniunt per antedictum deſiderium,neque per aliquem conatum, ſeu ſtudium,quod anima habeat in ſe; ſed tantùm veniunt purâ bonitate Dei in animam, quæ eſt in magnâ humilitate, & in magnõ deſideriõ Dei,&

reverentiâ. Nec etiam exèrcitèt ſe in magnâ humilitate, & timore Dei propter hoc, ut homo habeat viſiones, & revelationes, & ſentimenta ſupradicta: quia in idem delictum càderes, in quô per ſupradictum deſiderium. Secundum remedium eſt, quòd in ànimâ tuâ in tuâ oratione, vel contemplatione non ſuſtinéas aliquam conſolationem, vel parvam, ex quô tibi videretur, quòd fundaret ſe in præſumptione, & æſtimatione tui ipſius, & poſtquam ducit in abuſionem proprii honoris, & reputationem, & ex quô ſuggerit menti tuæ dignum eſſe, vel hujus vitæ gloriæ, & laudis, vel Paradiſi, quia ſciàs, quòd anima, quæ ſentit ſe in tali conſolatione, venit, & incurrit in plures malos errores, quia dominus per ſuum juſtum judicium permittit poteſtàtem diabolo augmentandi prædictam conſolationem, & acceleràndi, & imprimendi in illâ animâ falſiſsima, & periculoſiſsima ſentimenta, & alias illuſiones, quas conſolationes credit, & putat eſſe veras. Heu heu Deus meus quot perſonæ ſunt deceptæ per iſtum modum! ſcio pro certô, quòd major pars raptuum, immò rabierum nuntiorum antichriſti venit per iſtum modum. Et propter hęc cave ne in tuâ oratione, vel cõtemplatione ſuſtineas aliquam conſolationem, niſi illàm, quæ venit per perfectam notitiam, & completum ſentimentum tuæ humilitatis, & imperfectionis, & quæ facit perſeve-

ſeverare dictam notitiam, & antedictum ſentimentum in te, & in magnitudinem, & altitudinem Dei per altam reverentiam, & cum magô deſiderîô honoris Dei, & gratiæ, & quòd ãtedicta cõſolatio fundetur in prædictis. Tertiũ remedium eſt, quòd omne ſentimentum, & quantuncumque altum, & omnis viſio quantumcunque ſit ſecreta, & ſecretò tibi appareat, quæcunque ſit, ex quô ducit cor tuum ad opinionem, vel infectionem contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, & maximè contra humilitatem, vel contra honeſtatem, exhorreſcas, quia ſine dubiô ex parte diaboli venit: & ſi appareret tibi aliqua viſio ſine lumine, & ſentimentô, de quô ſis certus quòd venit ex parte Dei, & propter quam ſis certificatus in corde tuõ, quòd illud, quod inducit viſio, eſt Deo placitum, noli te firmare in dictâ viſione. Quártum remedium eſt, quòd nec propter magnam devotionem, nec propter magnam vitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquam ſufficientiam aliam, quam vides in aliquâ perſonâ, vel aliquibus perſonis, noli ſequi eorum conſilia, nec eorum modos, ex quô cognoſcis clarè, & multum rationabiliter quòd eorum conſilia non ſunt ſecundum Deum, & veram diſcretionem, & per vitam Jeſu Chriſti, & ſanctorum monſtratam, & per ſanctam ſcripturam in dictis ſanctorum prædicatam, & notificatam.

catam. Et propter hoc non timeas, quòd spernendò talia consilia eorum, pecces per superbiam, & præsumptionem, dum hoc facis propter zelum, & amorem veritatis. Quintum remedium est quòd fugias, & vites familiaritates, & societates illorum, & illarum, qui, vel quæ dictas tentationes sèminant, diffundunt, & vites illas personas, quæ sustinent, & laudant eas, & noli audire eorum verba, nec colationes eorum, nec modos eorum velis videre, quia tibi dæmon subministrabit, & ostendet magnum signum perfectionis in pluribus eorum verbis, & modis, quæ si velis accipere, & illis credere, venires, & rueres in pericula, ruinas, & præcipitia errorum illorum.

CAPUT XIII.

Remedia contra inanes revelationes.

POst hæc dicam tibi aliqua remedia, quæ debes attendere circa personas, quę seminant dictas tétationes per suam vitam, & doctrinam. Primum est, quòd non habeas magnam æstimationem visionum earum, & sentimentorum, nec raptuum: immò si dicerent tibi aliquid, quòd sit contra fidem, & contra sacram scripturam, aut contra bonos mores, abhorreas earum visionem, & sentimenta, tamquam stultas dementias, & earum rap-

raptus, ficut rabiamenta. Tamen, si dicant, sive judicent in hôc, quòd est secundùm fidem, & sanctam scripturã, & secũdùm sanctos, & bonos mores, noli spernere: quoniam sperneres, quod est Dei, tamen non confidas totaliter: quia sæpè, & maximè in tentationibus spiritualibus falsitas inducitur, seù absconditur sub similitudine boni, ut diabolus possit sæpè, & melius mortale venenum sine suspitione diffundere. Et ideò credo, quòd plus placet Deo, quòd visiones, & sentimenta, & raptus, qui secundùm quòd dictum est, habent similitudinem veritatis, & bonitatis, dimittas ire pro tantô quantum valent, nisi contingant aliquibus personis ratione sanctitatis, & discretionis, ac eorum humili probitate, de quibus certum est, quòd prædictæ personæ non possunt decipi per illusiones, nec per ingenium diaboli. Et tunc, quamvis sit pium visionibus, & sentimentis tantarum personarum consentire, tamen securum est, non totaliter credere in eis ratione sui, per rationem prædictam; sed quantum concors cum fide catholicâ, & sacrâ scripturâ, & bonis moribus, & verbis sanctis, ac doctrinâ sanctorum. Secundum remedium est, quòd si per revelationem, vel sentimentum, vel alium modum cor tuum moveatur ad faciendum aliquod opus, & maximè opus grave, & notabile non tibi consuetum, de quô non habeas certitudinem, an Deo pla-

placeat, immò dubitas rationabiliter, contrahas moram ad faciendum dictum opus usquequò inspexeris omnes circunstantias, & maximè finales, & cognoscas, quòd Deo placet, non tamen quòd tu judices per tuam opinionem; sed, si potes, per testimonium sacræ scripturæ, vel exemplum imitabile factorum Patrum. Et dico exemplum imitabile, secundùm beatum Gregorium aliqui sancti fecere aliqua opera, quæ non debemus imitari, quamvis bona essent in eis; sed debemus ea habere in admiratione, & reverentiâ. Et si per temetipsum non potes venire in notitiam, an placeat Deo: petas consilium à personis approbatis in vitâ, & doctrinâ, & consilium totius veritatis. Tertiũ remedium est, quòd si tu es immunis à prædictis, sic quòd nunquam habueris, vel quòd quantumcunque habueris, fueris liberatus ab eis, dirige cor tuum, & intellectum ad Deum, recognoscendò humiliter gratiam Dei tibi factam, & eidem in corde multoties, immò indesinenter regratieris super hoc, & caveas tibi ne hoc, quod habes per puram gratiam, & bonitatem Dei, velis attribuere virtuti, vel sapientiæ tuæ, vel merito tuo, sive tuis moribus, neque, quòd fuit factum à casu, sive à fortunâ, quia secundùm quòd dicunt sancti, hoc est principalius, per quod Deus beneficium suę gratiæ aufert, sùtrahit homini, & permittit eum subjici tentationibus, & illusionibus

bus diaboli. Quartum remedium est, quòd te existente, seu corde tuô in tentatione spiritaali, per quam es in dubiô, non incipias ex tuâ propriâ voluntate aliquid notabile tibi ante inconsuetum; sed cor tuum refrænandô, & voluntatem expectes humiliter, & cum tremore, & reverentiâ Dei, usquequò Deus cor tuum clarificet: quia scias pro certô, quòd si existendò in dictô ex tuâ propriâ voluntate inciperes aliquid notabile inconsuetum tibi, non posses exire ad bonum finem. Et intendò dicere de incipiendô opera notabilia, & inconsueta, super quæ est dubium ante dictum. Quintum remedium est, quòd propter antedictas tentationes, si eas habeas, non dimittas aliquod bonum, quod incepisti, dum non eras in tentationibus antedictis. Et maximè non debes dimittere orare, nec confiteri, nec communicare, nec jejunare, nec opera pietatis, & humilitatis, licèt consolationem non invenias in operibus antedictis. Sextum remedium est, quòd si tentationes antedictas habeas: leva cor tuum, & intellectum ad Deum, quærendô humiliter hoc, quod ei honorabilius, & tuæ animæ salubrius erit super tentatione, subjiciendô tuam voluntatem voluntati divinæ? quòd si sibi placet, quòd perseveres in illis tentationibus: similiter tibi placeat, ut Deum non offendas.

CA-

CAPUT XIV.

De rationibus excitatoriis ad perfectionem.

QUia placet mihi multum de hôc, quod cœpisti bonum ad honorem Dei, & desidero non solùm, quòd perseveres; quin immô ut ascendas ad majora opera virtutum, vel saltem desideres: idcircò scribo tibi aliquas rationes, unde poteris cor tuum excitare, & movere ad majores perfectiones omnimodæ virtutis, quam non incœpisti, nec poteris servare per propriam virtutem. Prima ratio est, quia si inspicias quantum Deus est dignus amari, & honorari secundùm suam bonitatem, & sapientiam, & alias suas perfectiones, quæ sunt in eô sine numerô, & sine terminô, videbis, quòd hoc, quod credidisti multum, & magnum ad honorem Dei, & secundùm bonitatem suam, est minimum, & quasi nihil in respectu ejus, quod deberes esse, secundùm quòd Deus est dignus. Istam rationem idcirco pono primam: quia principaliter debemus attendere in omnibus operibus nostris honorem, & reverentiam, & amôrem Dei: quia seipso est dignus amari per omnem creaturam. Secunda ratio est, quòd attendas si despectus, & vituperia, egestates, & dolores, & passionem, quam tam amarè sustinuit Filius Dei propter amo-

amorem tui, &, ut in hôc ames, & honores eum, cognoſces, quòd parum eſt, quod feciſti ad Deum amandum, & honorandum ſecundùm quòd facere deberes. Iſta ratio altior eſt, & perfectior quàm ſequentes: & ideò pono eam ſecundam. Tertia ratio eſt, quòd ſi cogites innocentiam, & perfectionem, quam debes habere ſecundùm mandatum Dei, per quod teneris eſſe abſque omni vitiô, & ſine omni culpâ, & in plenitudine virtutis totius, ſicut eſt quod debes amare Deum ex totô corde tuô, & ex omni mente tuâ, & totis viribus tuis, videbis manifeſtè infirmitatem tuam, & diſtantiam, in quâ es à prædictâ innocentiâ, & perfectione. Quarta ratio eſt: quia ſi cogitas multitudinem, & largitatem beneficiorum Dei, gratiarum corporalium, & ſpiritualium, quæ tibi, & aliis, vel quę ſingulariter tibi ſunt datę, ſenties quòd hoc, quod facis, vel potes facere propter Deum, eſt nihil ad dicta beneficia recompenſanda, & gratias Dei: & maximè ſi ejus liberalitatem attendas, & bonitatem. Quinta ratio eſt, quia ſi cogitas altitudinem, & nobilitatem remunerationis, & gloriæ promiſſæ, & paratæ illis, qui faciunt opera virtutum ad honorem Dei: quoniam gloria tantò major erit, quantò opera erunt virtuoſiora, & majora, cognoſces pro certô tuum meritum eſſe nihil comparatione tantæ gloriæ: & deſiderabis facere

opera

opera virtuosa, plusquam ante feceras. Sexta ratio est: quia si attendas pulchritudinem, & generositatem, quam habent virtutes in se, & nobilitatem, quam recipit anima per supradictas virtutes: & si attendas ad vilitatem, & turpitudinem quam habent vitia, & peccata, eo nàberis, si sapiens fueris, ad amplius acquirendum virtutes, & amplius fugiendum vitia, & peccata. Septima ratio est, si attendas altitudinem, & perfectionem vitæ sanctorum Patrum, & eorum multas, & perfectas virtutes, cognosces imperfectionem, & infirmitatem vitæ tuæ, & tuorum operum. Octava ratio est, quia si cognosceres magnitudinem peccatorum, & multitudinem offensarum, quę fecisti contra Deum, cognosceres quia opera tua, quę facis, quantumcunque bona sint, nihil sint ad satisfationem per viam justitię de offensis Dei. Nona ratio est: quia si speculeris universitatem, & pericula tentationum carnis, & mundi, & diaboli, conàberis ad assumendum majorem firmitatem, & majorem altitudinem in omni virtute, quam feceris unquam: ut possis in majori securitate persistere contra dictas tentationes. Decima ratio est: quia si cogites districtum judicium Dei finale, & cum apparatu bonorum operum, & cum satisfactione de offensis Dei, & quòd debeas venire ad dictum judicium: videbis, quòd parum est, quòd feci-

ti per bona opera, & pœnitentiam, secundùm quòd facere debuisses. Undecima ratio est: quia si tu cognosceres brevitatem vitæ tuæ, & vanitatem tuæ mortis, postquam non habebis spatium faciendi opera meritoria, neque pœnitentiam: cognosces, quòd cum majori corde, & studiô deberes facere bona opera, & pœnitentiam, quàm tu facis. Duodecima ratio est: quia si animadvertas, qualitercumque incipias bonam vitam, in quôvis gradu sine conanime, & desideriô ad majorem perfectionem ascendendi, & ad altiorem vitam non posse esse sine fundamentô præsumptionis, & superbiæ hujus, quod incæpisti: nec sine inclusione magnæ tepiditatis, & negligentiæ: ex quô hæc duo mala includuntur, non potest esse sine magnô periculô vivendi in multis vitijs spiritualibus, secundùm quòd monstrare tibi possem; sed nimis esset longum ad scribendum per litteras: non dubito, quin, si velis dictorum malorum esse liber, & immunis, quòd quantumcumque altam vitam incæperis, tu adhuc conaberis in altiori, & perfectiori vitâ esse. Bernardus super psalmum Qui habitat in adjutorio altissimi: loquens de illis, qui sunt fervidi in principiô, & postea credentes se aliquid esse, tepescunt: O, inquit, si scires quàm parvum est, quod habes, & hoc ipsum quàm citò perdes, si non servaverit, qui dedit! Decima tertia ratio est:

quia

quia si cogitas abyssalia judicia Dei facta supèr aliquos, qui diu perseveraverunt in magnâ sanctitate, & in magnâ perfectione, quòd Deus deseruerit eos propter aliqua occulta vitia, quæ non credebant habere: non dubito, quin, quantumcunque altam vitam inceperis, omni die levabis tuas affectiones, & tentationes: deserendô omne vitium plusquam feceras ante: appropinquandô te ad perfectam, & integram sanctitatem, timendô ne fortè in te sit vitium aliquod occultum, propter quod merearis à Deo deseri. Decima quarta ratio est: quia si cogites pœnas infernales damnatorum, paratas cunctis peccatoribus, credo, quòd levis erit tibi omnis pœnitentia, humilitas, paupertas, & omnis labor, quem in ista vita possis sustinere propter Deum, ut evadas pœnas supradictas: & conàberis continuò ad tenendum altiorem, & perfectiorem vitam: timendô periculum veniendi ad supradictas pœnas.

CAPUT XV.

Supradictarum rationum declaratio, & applicatio.

PRædictas rationes plus in brevitate tetigi, quàm explicaverim: ut tu addiscas in paucis magna cogitare: sic quòd quælibet sit tibi materia altæ contemplationis, & spaciosæ. Attamen scias,

scias, quòd, si velis proficere cum prædictis rationibus, debes formare non solùm per intellectum, immò etiam est necessarium, quòd per certam affectionem moveas voluntatem tuam ad hoc, quod dictant dictæ rationes. Et, ut melius intelligas, replicabo tibi sub brevi memoriâ dictas rationes: ostendendò tibi qualiter dictæ rationes non habent efficaciam in animâ nisi formetur per affectionem, & sentimentum spirituale. I. enim ratio non habet vigorem nisi in animâ, quæ habet magnum spiritum, & sentit, & contemplatur nobilitatem, & perfectionem, & dignitatem Dei, & conatur ad amandum Deum, & honorandum in omnibus, secundùm quòd Deus est dignus. II. ratio non habet efficaciam nisi in animâ, quæ cordialem devotionem sentit in spiritu, & charitatem, & bonitatem filii Dei, quam nobis monstravit in suâ propriâ passione propter nos acceptâ: sic quòd anima desideret totis suis viribus facere recompensationem Deo, de bonitate, & de charitate ostensâ in passione. III. ratio non proficit nisi in animâ, quæ sentit altitudinem perfectionis, quam requirit Dominus, & præcipit esse in creaturâ, quæ profundâ ratione mandatum Dei conatur adimplere, & cum magnâ voluntate venire in dictam perfectionem. IV. ratio solùm locum habet in animâ, quæ per intellectûs affectionem recògitat magnitudinem,

& nobilitatem beneficiorum Dei, & gratiam ipsius: & quæ conatur repèndere Deo servitium debitum secundùm beneficia recepta. V. ratio habet valorem tantum in animâ, quæ habet in æstimatione, & ferventi amore gloriam promissam in Paradisô, & quæ habet firmam fidem, & spem veniendi ad illam gloriam per bona opera virtutum: sic quòd cum dictis operibus conetur venire ad illam gloriam supradictam. VI. ratio non habet efficaciam nisi in animâ, quæ habet in horrore omnia vitia, & peccata in abominatione: & in magnâ compla centiâ, & amore perfectionem virtutum, & gratiæ Dei, & hoc cum magnô excessu, & altitudine. VII. ratio habet solùm virtutem in animâ, quæ habet in magnâ æstimatione vitas sanctorum cum desiderio imitandi. Et maximè intendo dicere perfectè, & perfectorum sicut est Virgo Maria principaliter, Joannes Baptista, Joannes Evangelista, & omnes Apostoli, & sic de alijs. VIII. ratio non proficit nisi in animâ, quæ àggravat offensas contra se, quas fecit contra Deum, & quæ habet voluntatem magnam faciendi Deo justitiam, & satisfactionem peccatorum suorum per bona opera, & virtuosa. IX. ratio non habet locum nisi tantum in animâ, quæ sentit suam debilitatem, & gravitatem: & periculum tentationum, propter quod conatur ad fugiendum occasionem cadendi

dendi in tentationem, & ad veniendum in securitatem gratiæ Dei. X. ratio non habet locum nisi in animâ, quæ cognoscit peccata suâ: & habet timorem, & tremorem cordialem sententiæ finalis judicij, quæ dabitur contra peccatores, qui non egerunt pœnitentiam de peccatis suis. XI. ratio non habet locum nisi in animâ, quę habet timorem mortis, & habet magnum pręparamentum faciendi opera meritoria. XII. ratio tantum proficit animę, quæ sentit, vel intelligit, quòd inchoare bonam vitam sine conamine, & desideriô altioris vitam assumendi non potest esse sine inclusione prędictorum vitiorum: & sine periculô grandium malorum ejus, quæ non vult fugere dicta vitia, & pericula. XIII. ratio non habet efficaciam, nisi in animâ, quę summè curat de suâ salute, & timet separationem à gratiâ. XIV. ratio non habet efficaciam nisi in animâ, quę timet de pœnis damnatorum: sentiendô, quòd digna est, venire in pœnas suprædictas propter offensas, quas commisit contra Deum: & quæ vult, & conatur vitare pœnas antedictas per satisfactionẽ pœnitentię. Et nota, quòd conclusio, & finis cujuslibet rationis debet esse in duobus. Primò in sentimentô proprię imperfectionis, & nihilitatis. Deinde in desideriô, & conamine veniendi in altiorem vitam, sic quòd non sit sentimentum propriæ imperfectionis, &

annihilationis sine desiderio, & conamine majoris perfectionis, & vitę altioris, nec è conversō.

CAPUT XVI.

Remedia ad fugiendos laqueos, & tentationes diaboli.

QUI vult fugere, atque evadere laqueos, atque tentationes Antichristi, seù diaboli finales, debet habere in proprio sentimentō sui duo: Primò, quòd sentiat de seipsō sicut de unō corpore mortuō plenō vermibus, & malè olenti: & sicut de cadavere, quod dedignantur videre intuētes: immò superclaudūtur nares propter ejus pessimum odorem, & fœtorem, & avertuntur facies, ut non videant talem, & tantam abominationem. Sic oportet charissime facere semper mihi, & tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est: totus fœtidus sum, & corpus meum, & anima mea, & omnia, quæ intra me sunt, fæce, & putredine peccatorum, & iniquitatum fœdissima, & abominabilissima sunt: & quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentius, & copiosiùs renovari. Et debet talēm fœtorē de seipsâ sentire fidelis anima cūm maximâ verecūdiâ ecorā Deō, sicut coram illō, qui omnia videt: & sicut si esset coram districtō judiciō, & dolere maximè de offensâ Dei, & perditione grātię animę, in quâ erat, quando redempta fuit

prę-

pretioſiſsimô Chriſti ſanguine;& abluta per baptiſmum. Et ſicut ſibi, & Deo fœtere ſe credit, & ſentit, ſic etiam credat, & ſentiat, quòd non ſolùm coram Angelis, & ſanctis animabus; ſed etiam coram omnibus viventibus ſit abominabilis, & fœtidus, & quòd facta, & dicta ſua non ſolùm homines videre, & audire dedignãtur;ſed quòd nares ſuas claudant, & avertant facies ſuas ne ipſum videant, & tanquam fœtidum cadaver de mediô ſui expellant, & ſit ab eis alienatus,& ſeparatus, projectus ſicut pluſquam leproſus,uſque quò veniat,& reveniat ad ſeipſum. Et ſi quis de eô juſtitiam faceret, & de corpore ſuô ſentiat, quod juſtum eſt, & ita credat etiam ſi ſibi oculi eruerentur, truncarentur manus, abſcinderentur aures,& os, & ſic de alijs ſenſibus corporalibus, & membris, quia cum his omnibus Deum offendit, & creatorem. Item quòd deſpici deſideret, & contemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blaſphemias, & omnia adverſa ſummô cum gaudiô, & lętitiâ recipiat, & patienter ferat. Et oportet, quòd deffidas de te ipsô totaliter: & de omnibus bonis tuis: & de totâ vitâ tuâ, & convertas te totum,& reclines ſuper brachia Jeſu Chriſti paupertimi, & viliſsimi, & improperati, deſpecti, & mortui propter te: uſquequo tu ſis mortuus in omnibus ſentimentis tuis humanis: &

Jesus Christus crucifixus vivat in corde tuô, & in tuâ animâ, & totus transformatus, & transfiguratus cordialiter sentias in te, ut numquam videas, nec sentias, nec audias nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum, & suspensum ad exemplum Virginis Mariæ, & mortuus in mundô, & vivens in fide. Et quòd in illâ fide vivat tota anima tua usque ad resurrectionem, in quâ Dominus immittet gaudium spirituale, & donum sancti spiritûs in animam tuam; & in illis personis, in quibus debet renovâri status Apostolorum, & Ecclesiæ sanctæ Dei, exercens te sanctis orationibus, sive sanctis meditationibus, & affectibus ad obtinenda dona virtutum, & gratiam Dei. Sed debes præcipuè septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicèt amore ardentissimô, timore summô, honore debitô, zelô constantissimô, & illis debet adjungi gratiarum actio, & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & suavitatis divinæ pro posse degustatio, utpotè dicendô: Bone Jesu fac, ut totis medullis, & mente te summè timeam, reverear, & pro omni honore tuô fortissimè zeler, ita quòd omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementissimè exhorrescam, & potissimè si in me, vel pro me facta tibi sint opprobria illa, Deus meus. Da etiam, ut te Dominum tanquam tua creatura humiliter adorem,

& cognoſcam, & de omnibus beneficijs à te mihi impenſis gratias ſemper agam: & hoc cum ſummâ gratitudine cordis. Da etiam ut in omnibus ſemper te benedicam, laudem, & magnificem: & hoc cum ſummô jubilô, & tripudiô cordis, & tibi in omnibus obtemperans, & obediens ſemper reficiar dulciſsimâ tuâ, & ineffabili ſuavitate cum ſanctis tuis Angelis, & Apoſtolis tuæ menſę aſsiſtens, licèt omninò indignus, & ingratus. Qui cum patre, &c. Debet etiam circa ſe ipſum ſe exercere aliô ſeptiformi affectu. 1. ſcilicèt quòd totus de ſuis vitijs, & defectibus confundatur. 2. ut peccata ſua tanquam offenſiva Dei, & ſui ipſius maculativa acuciſsimô, & acerbiſsimô dolore plangat, & deploret. 3. humiliatio ſui, & conculcatio cum contemptu: ut ſcilicèt totis viribus ſicut rem viliſsimam, & fœtidiſsimam ſpernat, & contemni appetat ut dictum eſt. 4. rigore ſeveriſsimô, ut ſcilicèt corpus ſuum aſpèrrimè màceret, & macerari appetat tanquam peccatum fœtidum, immò tanquam latrinam, & ſentinam, & tumulum omnium fœditatum. 5. irâ implacabili contra omnia vitia ſua, & contra radices, & inclinationes vitiorum ſuorum. 6. vigore pervìgili, & ſtrenuô ut ſcilicèt omnes ſenſus, actus, potentias ſuas ſemper cum quâdam viriliſsimâ ſtrenuitate in omne bonum teneat pervìgiles, & attentos. 7. diſcretione perfec-

fectæ modeſtię, ſeu moderantię, ut ſcilicèt in omnibus diſtrictiſsimè ſervet menſuram, & modum, inter videlicèt nimium, & non ſatis, ut nihil ſit in eô ſuperfluum, nil diminutum, aut defectivum: nec pluſquam debet, aut minus quàm deceat.

CAPUT XVII.

De affectibus, quibus nos exercere debemus circa proximum.

DEbèt etiam circa proximum ſe exercere aliô ſeptiformi affectu. Primò ſcilicèt per piam compaſsionem, ut ſcilicèt ita ſentiat aliorum mala, & incòmmoda, ſicut ſua. II. per dulcem congratulationem, ut ſcilicèt de aliorum bonis lętetur, ſicut de ſuis. III. per tranquillam ſupportationem, & condonationem, ut ſcilicèt moleſtias, & injurias ab alijs illatas patienter tòleret, & ex corde indulgeat, & condònet. IV. per benignam affabilitatem, ut ſcilicèt ſit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet, & optet, & talem ſe exhibeat in geſtibus ſuis, & verbis. V. per reverentiam humilem, ſcilicèt ut omnes ſibi præferat, & omnes revereatur, & omnibus ex corde ſe ſubdat tanquam Dominis ſuis. VI. per cõcordiá unanimẽ, ut ſcilicèt, quãtũ in ſe eſt, & quãtũ ſecũdũ Deũ poteſt eſſe, unũ ſentiat cum

cum omnibus, ita sentiat se esse omnes, & illos se, & omnium rectum velle pro suô rèputet, & è contra. VII. per Christi formenî sui pro omnibus oblationem, scilicèt ut ad instar Christi pro omnium salute sit paratus, & solicitus pònere vitam suam, & die, noctuque orare, & laborare, ut omnes in Christô invisçerentur, & Christus in eis. Sed tamen ne ex hôc credatur, quin vitia hominum sint pro totò posse cavenda, & fugienda : Sciendum, quòd quandocunque ex societate malorum hominum, vel imperfectorum esset periculum, vel occasio rètrahens, vel impediens â perfectione, vel fervore prædictarum virtutum, debes â talibus sicut à serpentibus, vel draconibus elongari. Non enim est carbo ita ignitus, quin in aquâ frigescat, aut te pescat : sic è contra vix est carbo ita frigidus, qui non acervô carbonum ardentium accendatur : aliàs ubi periculum hujusmodi non imminet, etiam merâ simplicitate debes aliorum non videre defectus, aut si videas, per compassionem supportare. Ut autem utiliter ad temporalia, & æterna te habeas perfectè, scito, quòd temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu. Primò scilicèt ut tanquam peregrinus, & âdvena sentias omnia, ut extranea, & aliena in tantum, ut tua vestis tuo sit sensui ita extranea, ac si esset in Hispaniâ, vel in Indiâ. II. ut in tuô usu abundantiam timeas, ut venenum,

&

& ut mare submergens. III. ut in tuô usu omnem inopiam, & egestatem sentias, quia ipsa est scala, per quam ascenditur ad cœlestes divitias, & æternas. IV. ut societatem, contubernium, & apparatum divitum, & magnatum fugias, non ex contemptu tamen: & de societate pauperum glorieris: & in memoriâ, & aspectu, atque conversatione pauperum, & defectuosorum, vel despectorum totus læteris: quasi expressâ imàgine Christi, & eis quasi regibus cum summâ alacritate, & jucunditate, & reverentiâ associeris.

CAPUT XVIII.

De perfectionibus necessarijs servienti Deo.

QUindecim sunt perfectones necessariæ personæ, quæ servit Deo in vitâ spirituali. Prima est clara, & perfecta notitia suorum defectuum, & suarum infirmitatum. II. est magna, & fervens impugnatio, contra malas inclinationes, & contra suas voluntates, seu passiones rationi repugnantes. III. est timor magnus, quem habere debet, quòd de offensis hactenus factis contra Deum non est certus, an bene satisfecerit, nec si cum Deô fecerit pacem. IV. est magnus timor, & tremor, qui debet esse in ipsô, ne per suam fragilitatem iterum cadat in similia, vel majora peccata. V. est fortis disciplina,

na, & aſpera correctio ad regendum ſuos ſenſus corporales, & totum ſuum corpus ſpiritui ſubjugare in obſequium Jeſu Chriſti. VI. eſt fortitudo, & magna patientia in tentationibus, & adverſitatibus. VII. eſt vitare virilliter omnem perſonam, & omnem creaturam aliam, quę impeleret eum, aut eſſet ſibi occaſio non ſolùm ad peccatum, ſed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ ſpiritualis, ſicut dæmonẽ infernalem. VIII. eſt, quòd portet in ſe crucem Chriſti, quæ habet quatuor brachia. I. eſt mortificatio vitiorum; Secundum eſt. derelictio omnium bonorum temporalium. III. derelictio omnium affectionum carnalium parentum ſuorum. IV. ſui ipſius contemptus, & abominatio, & annihilatio. IX. eſt diutiſsima, & continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepit à Domino Jeſu Chriſto. X. die, ac nocte ſtare in oratione. XI. eſt guſtare, & ſentire de divinô dulcòre continuò. XII. èſt magnum, & fervens deſiderium exaltandi noſtram fidem, ſcilicèt quòd Jeſus Chriſtus ab omnibus timeatur, ametur, & cognoſcatur. XIII. eſt habere miſericordiam, & pietatem in omnibus neceſsitatibus ſuo proximo, ſicut ſibi vellet haberi. XIV. eſt regratiari ex totô corde tuô in omnibus Deo, glorificare, & laudare in omnibus Jeſum Chriſtum. XV. eſt, quòd poſtquam hæc omnia fecerit, ſentiat, & dicat,

dicat, Domine Deus meus Jesu Christe nihil sum, nihil possum, nihil valeo, & malè tibi servio, & in omnibus servus sum inutilis.

CAPUT XIX.

Quædam præcepta ad modum utilia, & de statu virorum Evangelicorum, quem futurum prædicit.

TRes sunt radices Evangelicæ, & Apostolicæ paupertatis, seù principales partes: abdicatio omnis sui juris, rerum temporalium moderatio, paupertatis usus habituatus ad utrumque affectus. Tres sunt partes abstinentiæ, scilicèt enervatio carnalis amoris, & solicitudinis vitę suæ sustentationis, non curare de abundantiâ, vel sufficientiâ victualium, & deliciarum, & nti parcè oblatis. Tria sunt à nobis singulariter fugienda, & metuenda. Primum exterior distractio negotiorum. II. interior promotio, & axaltatio. III. temporalium rerum, & carnalium amicitiarum ad se, vel suos amicos, vel suum ordinem immoderata, vel inordinata affectio. Tria sunt à nobis singulariter exercenda, & amplectenda. I. desiderium proprij contemptûs, abjectionis, externæ vilificationis. II. viscerosa coinpassio ad Jesum Christum crucifixum. III. sufferentia persecutionum, & martyriorum pro dilectione

ne cultûs nominis Christi, & Evangelicę vitæ. Hæc tria sunt per quædam verba extensiva per horas diei gemitibus, & ardentibus suspirijs postulanda. Tria sunt à nobis singulariter, & quasi assiduè meditanda. I. Christus Crucifixus, incarnatus, &c. II. status Apostolorum, & fratrum prętéritorum nostri ordinis, & hoc cum desiderio, ut illis conformemur. III. status virorum Evangelicorum futurus. Et hoc debes die, noctuque meditari, scilicèt statum pauperrimorum, simplicissimorum, & mansuetorum, humilium, abjectorum, charitate ardentissimâ sibi conjunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium nec saporantium nisi solùm Jesum Christum, & hunc Crucifixum, nec de hôc mundô curantium, suique oblitorum, supernam Dei, & beatorum gloriam contemplatium, & ad eam medullitus suspirantium, & ob ipsius amorem semper mortem sperantium, & ad instar Pauli dicentium: Cupio dissolui, & esse cum Christô: & innumerabiles, ac inæstimabiles thesauros divitiarum cœlestium: & super dulces, & millifluos rivos divitiarum, suavitatum, & jucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos, & superinfusos. Et per conversationes imaginari debes eos ipsos, ut cantantes canticum Angelicum cum jubilô citharizantium in citharis cordis sui. Hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in

quod

quoddam impatiens desiderium adventûs illorum temporum. Ducet te in quoddam admirabile lumen, amotô omnis dubietatis, ac ignorantiæ nubilô, & limpidissimè videbis, & distincte discernes omnes defectus istorum temporum, & immixtum, vel mysticum ordinem Ecclesiasticorum, ordinem productorum, & producendorum ab initiô Christi usque ad finem sæculi, & usque ad gloriam summi Dei Jesu Christi. Crucifixum semper portans cor in de tuô, ut te ad suam æternam gloriam perducat.

AMEN.

FINIS.



ERRATA SIC CORRIGE.

P. paginam. L. primum *lineam*, ſecundum verò *lege* Lectori venèvolo indicat.

P. 2. l. 9. dicunr l. dicunt. eâdem p. l. 11. micos l. amicos eâdem p. l. 27. librornm l. librorum p. 5. l. 8. cogitationibus, in utilibus l. cogitationibus inutilibus p. 6. l. 7. hnmilitatis l. humilitatis p. 8. l. 19. quancunque l. quantuncunque p. 10. l. 2. aſsiſtere l. aſsiſteret. eâdem p. l. 26. forpicor l. fornicor. p. 16. l. 2. ſtne l. ſine. p. 17 l. 27. continô l. continuò p. 18. l. 4. procutandô l. procurandô. eâdem p. l. 19. neques l. nequeas. eàdem p. l. 28. natnræ l. naturæ p. 19. l. 24. utruque l. utrunque p. 22. l. 25. natnræ l. naturæ. eâdem p. l. 27. multi l. multis. p. 26. l. 2. imittit l. immittit. p. 27. l. 13. obſerxare l. obſervare p. 29. l. 4. qni l. qui. p. 30. l. 22. dicitnr l. dicitur. p. 31. l. 15. pſaliens l. pſallens. p. 32. l. 26. tu l. te. p. 35. l. 24. præcedat l. præcedant. p. 39. l. 18. remedinm l. remedium. p. 43. l. 2. ſpirituaali l. ſpirituali. eâdem p. l. 15. divinæ ? l. divinæ : p. 47. l. 2. qnia l. quia p. 48. l. 1. ſuper l. ſuper.